DESIDERATA MEDICA.

AUTORE

D. JO. HERM. FÜRSTENAU,

MEDICINÆ PROFESSORE ORDINARIO IN ACADEMIA RINTELENSI.



LIPSIÆ,

APUD JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

M DCC XXVII.

HIERONYMUS AD VIGILANTIUM.

Non parum eſt ſcire, quid neſcias.

AD

VIRUM CELEBERRIMUM ATQUE DOCTISSIMUM

D. D.

MICHAELEM ERNESTUM ETTMÜLLERUM

PROFESSOREM MEDICINÆ IN ACADEMIA LIPSIENSI CLARISSIMUM

PRÆFATIO EPISTOLARIS

AUTORIS.



DE Desideratis scientiarum in communi post H. C. AGRIPPAM, qui Monachorum inprimis errores & vitia exagitaturus, reliquis quoque scientiis & vitæ generibus non pepercit, quin singulorum defectus acri lixivio perlueret, primus fere FRANCISCUS BACO de VERULAMIO, Vir maximis meritis inclytus fuit, qui data, quod ajunt, opera ageret. Post hunc longo annorum intervallo, nostris temporibus, Anglus pariter quidam, WASSE commemoratur, cujus Desiderata variis in scientiis in BIBLIOTHECA LITERARIA LONDINENSI continentur. Et in MERCURIO FRANCOFURTENSI, nuper qui prodiit, Desiderata pariter Eruditorum circa varias

d. Incert. & Vanit. Scient.

L. d. Augm. scient.

T. I.

P. IV.

rias ſcientias haud inconcinne re-
cenſentur. Ac ſi J. F. REIMANNUM audias, tot deficiunt libri, ut de libris deſideratis integrum liceat conſcribere librum. Medicam quod attinet artem, in ea, præter laudatum VERULAMIUM, unicus, primus & ſolus fere G. H. VELSCHIUS, immortalis memoriæ vir, Deſiderata medicinæ per ſumma veluti capita, adjectis pauciſſimis admonitionibus, indigitavit. Idquod viro ſummo ſub idea quaſi ſomniantis præſtare convenientiſſimum viſum eſt. Hoc vero inſtitutum imitari voluiſſe nobis quidem videtur medicus pariter doctiſſimus, JO. DANIEL MAJOR, quando genium conſcripſit errantem. Idem enim utriusque libelli ſcopus, idem fere dicendi patet eſſe argumentum, quamvis & illis contradicere non audeamus, qui Cl. MAJORI, Muſas er-

Verſuch der Einleit. in Hiſt. Litter.

l. c.

Somn. Vindic.

Kilon. 1677.

 rantes

Antverp. 1610. rantes J. LIPSII oculis obversatas fuisse, adfirmaverint, quando animum ad dissertationem istam, sicut ipse appellat, conscribendam applicuit. Et hæc sunt, quæ de Desideratis in rebus physicis & medicis a Viris Doctissimis superioris seculi conscripta ad nostram pervenere notitiam. Nostro pariter ævo medici passim eruditi, & de incremento artis solliciti, Desideratorum in medicina passim mentionem in scriptis faciunt, quo nomine THOMAS inprimis SYDENHAMIUS, & GEORGIUS BAGLIVIUS laudandi veniunt, nec BERNHARDINUS RAMAZINI & BARTHOLOMÆUS de MOOR plane sunt omittendi, utpote qui omnes & singuli Desiderata passim medica recensent, ingemiscunt, & medelam optant. Neque ullus facile doctus atque expertus reperietur hodie medicus,

qui

qui non voce aut calamo data occasione profiteatur, multa in arte salutari etiamnum desiderari. Nos certe ante hosce XX annos in Academiis Saxonicis artis medicæ addiscendæ causa versati, & Præceptores ibidem per Dei gratiam eruditos & fideles nacti, id unum omnes deprehendimus data occasione sponte confiteri, varia in variis artis partibus occurrere Desiderata, in quibus posterorum industria semet possit debeatque exercere. Et hæc confessio ingenua, toties a Viris summis, & communibus Germaniæ Præceptoribus, deque studiis nostris optime meritis, repetita, incitamento nobis fuit, primamque suppeditavit occasionem, Desideratis medicis paulo pleniorem instituendi tractationem, cum, qui hactenus eorundem meminerunt, non nisi per summa capita, &

quaſi aliud agendo id præſtiterint.
cIↃIↃCCIX. Hinc anno ſeculi nono Deſiderata primum Anatomico-Phyſiologica publice, & pro Licentia adſpirandi ad ſummos in Arte ſalutari honores, & quidem ex ſingulari ordinis medici in Academia Hallenſi conceſſione, absque Præſidio, ad diſceptandum pro-
cIↃIↃCCXII poſuimus. Secuta ſunt brevi Deinceps, anno nempe ſeculi duodecimo, Deſiderata Pathologico-Semiotica, quæ diſſertationis forma epiſtolaris ad virum quondam πολυμαθέϛατον, THEODORUM JANSONIUM ab ALMELOVEEN in Belgio exaravimus. Aliquot deinde anni elapſi ſunt, antequam Deſideratis Practicis, praxi interea ſedulo incumbentes, conſcribendis mentem manumque applicaremus, donec id epiſtolari itidem forma ad Virum Cl. GODOFRIDUM THOMASI-

UM,

UM, Medicum Norimbergensem primarium, exarata, & Francofurti ad Mœnum impressa tandem quoque fieret, idque anno seculi cIↄIcccxx.
vigesimo. Eodem anno a Serenissimo Hassorum Principe huc ad munus Professorium obeundum clementissime vocati, anno mox cIↄIcccxxI
sequenti vigesimo primo, in actu solenni Doctorali, Desiderata Physico-Chemica exposuimus, anno cIↄIↄccxxI
vero sequenti vigesimo secundo Desiderata Chirurgica dissertatione publica & solenni comprehensa vulgavimus. Quæ vero circa materiam medicam occurrunt Desiderata, ea anni initio vigesimi cIↄIↄccxxIV
quarti oratione quadam, qua simul Magistratum Academicum auspicati sumus, enarravimus, cui anno sequenti vigesimo quinto, cIↄIↄccxxV
ut & Desideratis nostris, habita brevi & succincta de Desideratis Medico-Forensibus oratione, colopho-

lophonem imposuimus. Hæc est brevis Desideratorum nostrorum historia, quæ cum Tuis potissimum auspiciis, Vir Celeberrime atque Doctissime, nunc revisa & aucta partim, partim emendata, junctim in lucem prodeant, non desunt, quæ Tecum de instituti ratione præfaminis loco conferre, Tibique commendare, necessarium pariter atque opportunum duximus. Non commemorabimus, HistoriamLitterariam passim, & variis in capitibus insertam, & vel hoc nomine opusculum commendandum, lectuque dignum esse, ne proprii fœtus encomiasten agere velle videamur. Sed hæc tamen non duxi prætermittenda. Duo nimirum sunt, quæ mihi circa hæc Desiderata quondam objecta meminimus: alterum; nos defectus ostendere equidem in re medica, sed
de

de medela eorundem minus esse sollicitos; huic vero dubio hoc uno satisfactum esse putamus, quando, hoc nobis non esse propositum, sed aliis, quibus volupe est, in hac palæstra ingenii experiri vires, relictum, modeste & decenter respondemus; alterum nobis imputat, ac si destructorem artis medicæ & principiorum ejus agere, atque ad ductum mentemque H. C. AGRIPPÆ, C. BONTEKOE, A. a GEHEMA, ipsiusque CARTESII omnia fundamenta medicinæ evertere animus esset. Hanc vero mentem a nobis alienam esse, ipsamet lectio atque inspectio textus satis unicuique ob oculos ponet, & clare satis monstrabit, omnes fere paginas votis atque desideriis esse plenas, quo tandem aliquando defectus indigitati tollantur, & extra dubium collocentur. Enimvero LEON-

HAR-

HARDUM novimus CAPUANUM, ut incertitudinem artis ſalutaris penitus evincat, aperte aſſerere, non tam medicis, quam titubantibus medicinæ fulcris, ſeu rationi & experientiæ dubiis imputandum eſſe, quod diſſidia nunquam finienda undique occurrant, cum tamen ad eadem illa principia provocent ſinguli. " Et concedimus non illubentes, medicinam eſſe omnium ampliſſimam atque difficillimam. Atqui ardua ſunt, quæ pulchra. Age igitur, ſentiamus de Nobilisſima hac Arte non niſi optime. Imitemur apes, (nam & hoc genus medicorum apis æmulum deſiderat G. BAGLIVIUS) modo humi repentes, dum ignobile quærunt trifolium, aut ſi quid vilius illo, modo ad excelſisſimarum arborum ſummitatem evolantes altius, undique laborioſas & in colli-

Prax. p. 105.

colligenda mellis dulcedine ſe-“
dulas. Sic tandem fore ſpera-“
mus, ut decori, ſi non priſtino,“
qui regius quondam ac prope“
divinus erat, ſaltim debito reſti-“
tuatur ars noſtra: utque poſte-“
ritas noſtra, ſera etiam, ſuo tem-“
pore de majore felicitate ac cer-“
titudine illius ſibi gratulari queat;“
quemadmodum pulchre, nec ſine
cauſa, quondam auguratus eſt J.
BOHNIUS in elegantisſimo P.P. Lipſ.
iſto Programmate, quo Te, Vir cIↃIↃCIC
Clarisſime, una cum aliis, laurea
Doctorali ex merito ornatum
cinctumque iri, publice indixit.
Nimirum, ut, de Deſideratorum
medicina medicorum, ſeu quo-
modo iisdem obviam eundum
ſit, & qua ratione defectus emen-
dandi, hiulca ſupplenda, incerta
vero ab iſta incertitudine liberan-
da veniant, verba quoque non-
nulla faciamus, adſcribi primum
me-

merentur consilia illa Velschiana, quibus nostram qualemcunque mentem addendo finem præfa-
l. c. p. 14. mini imponemus. Ita autem VELSCHIUS: "Æsculapius universis „medicinam professis εὖ ἄγειν. „Postquam perditis nostris o-„mnibus, & qui a nobis proxime „vixerunt, Asclepiadarum com-„mentariis multa medicinæ ne-
l. c. „cessaria decesserunt, hunc indi-„cem confici & distribui jussi, ut „quisque de revocandis, investi-„gandis, restituendis, emendan-„dis, excolendis, addendisque De-„sideratis cogitare possit. Quod „omnes jubeo, quamprimum fa-
l. c. p. 33. „ciatis. Et præterea: Eo ten-„debant omnia; sollicitandos Im-„perii Romani Proceres, ut pu-„blicis conventibus hac de re „colloqui non gravarentur, & „certi quidpiam sciscerent, quod „deinde medici eruditi ulteriori opera

opera proſequerentur. Eligen-“
da nimirum ex omnibus ſcien-“
tiis optima quæque axiomata, &“
remedia experientia probatis-“
ſima, tam univerſalia, quam par-“
ticularia, comportatis auxiliis in“
unum ſyſtema harmonicum, &“
perfectum corpus, in uſum to-“
tius orbis efformanda, ut iſtis“
deinde tanquam legibus, aut“
fundamentis & principiis, quæ-“
cunque obvia, ſeu condemnare,“
ſeu abſolvere, admittere ac pro-“
movere, vel etiam rejicere, im-“
pedire & abrogare liceret: ex-“
emplo a faſtorum renovatione“
adjecto, quam nemo neceſſari-“
um fuiſſe, unquam negare auſit.“
Haud levi omnium attentione“
hæc audita ſunt. Plerique ta-“
men impoſſibilem, nonnulli et-“
iam iniquam & abſurdisſimam“
ejusmodi interpolationem pro-“
nunciabant: cœteri etiam peri-“
culo-

„culoſam, quando illam calenda-
„rum novationem tot turbas de-
„diſſe, nemo ignoret, ne idem in
„medicina deinceps quoque fie-
„ret, veriti, & unius arbitrio o-
„mnes dependerent, ſive, ut ve-
„tus verbum habet, unius colo-
„podio omnia metiri cogeremur:
„ſi medicina, inquiebat non ne-
„mo, in illo artium aut ſcientia-
„rum nnmero reponenda eſſet,
„quibus æterna quædam princi-
„pia, & indubia fundamenta pu-
„blicis auctoritatibus apta conti-
„gerunt, totus in illam reſtaura-
„tionis ſententiam pedibus con-
„cederem. Nunc adeo nihil mi-
„nus eidem convenire videtur.
„Idem profecto de medicina quod
„de jurisprudentia ſperandum,
„ut, conſtitutis etiam pandectis,
„non minor tamen deinde circa
„verba & reliquas circumſtantias
„diſſenſuum & altercationum
mate-

materia superfutura esset, quam"
hodie inter jurisperitos. - - "
Quid quod in medicina nihil tale"
præcipi queat, sed ingeniis & ju-"
diciis prudentia instructis rerum"
successus relinquendi sint, oc-"
casionibus captandi? & quis so-"
lertiam curiosorum tam rigida"
definitione inhibendam, cona-"
tusque non tantum anatomes,"
nostro utique seculo mire feli-"
ces, sed etiam botanices, seu"
potius philologices, chimices &"
therapevtices, uno quasi ictu"
prosternendos, aut saltem suffla-"
minandos putarit? - - Nec"
tamen propterea impediendum,"
ne viri doctrina & ingenio illu-"
striores de reformandis quibus-"

dam hypothesibus, effatis & opi-"
nionibus cogitationes serio jun-"
gant, & quæ invitis gratiis irre-"
psere, eliminent, ac exterminent,"
melioribus & accuratioribus sub-"
stitutis, de quibus audiendus"
Verulamius d. A. S. Ex quibus"
doctissimi Viri verbis fusius hic, ut merebantur, repetitis, pronum est colligere, ipse quid de Consiliis suis sperandum esse existimet. Videlicet, ut paucis multa comprehendamus, Deo, tempori, & Virorum erectioris indolis industriæ omnia commendanda esse nobis quidem videntur. Ita enim spes est, fore, ut impossibilia visa in actum deducantur, & multa è tenebris eruta ante omni-

um

um oculos in aprico ponantur. Sed lubet tamen hæc qualiacunque cogitata, & universum laborem nostrum aliorum, & Tuo inprimis, Vir Celeberrime, acri judicio submittere, nihil magis atque ardentius voventes, quam, ut ex amica sententiarum, atque experimentorum collatione ars salutaris majus indies majusque incrementum nanciscatur! Ad ultimum, & quod frequentem attinet autorum citationem atque locorum allegationem, quam & ipsam nobis quondam objectam meminimus, istam hoc unicum facile excusaverit, quod desiderata medicorum non tam propriis, quam alienis, & quidem summorum in

arte virorum, qui hodie florent, verbis, indigitare consultum duxerimus, ne scilicet nobis tale quid forsan occinatur: Tu quod nescis, & in desideratorum serie collocas, aliis forsan Te doctioribus dudum cognitum atque perspectum est. Vale, Patronorum optime, & favorem mihi Tuum, tot hactenus experimentis insignem, integrum porro conserva. Vale ex voto! Dab. Rintelii ad Visurgim ipsis Calendis Septembr. cIↄ Iↄcc xxvi.



INDEX PARTIUM ET CAPITUM.

I. DESIDERATA ANATOMICO-PHYSIOLOGICA.

II. DESIDERATA PATHOLOGICA.

III. DESIDERATA SEMEIOTICA.

IV. DESIDERATA PRACTICA.

II. DESIDERATA PATHOLOGICA.

III. DE-

III. DESIDERATA SEMEIOTICA.

IV. DESIDERATA PRACTICA.

XXIV.

V. DESIDERATA IN MATERIA MEDICA.

VI. DESIDERATA PHYSICO-CHEMICA.

XV.

VII. DESIDERATA CHIRURGICA.

VIII. DESIDERATA MEDICO-FORENSIA.

X. DE

IX. DE DOCTA MEDICORUM IGNORANTIA.





I.

DESIDERATA ANATOMICO-PHYSIOLOGICA.

I.

NOn minus vere, quam graviter magnus ille genuinæ & ſolidæ eruditionis & Naturalis inprimis Hiſtoriæ reſtaurator, FRANCISCUS BACO L. B. DE VERULAMIO, poſtquam varios defectus ac deſiderata, tum in omni ſcientiarum genere, tum ſigillatim in arte ſervandorum hominum enarraſſet, illud, quod pluris eſt, quam hæc omnia, denotaturus, deſideratur, inquit, Philoſophia Naturalis "Vera, cui Medicinæ ſcientia inædificetur." Quam ſane querelam non modo illo, quo facta eſt, tempore, ſed & hodie poſt tot factas acceſſiones, varia inventa nova, & indefeſſam ubivis fere terrarum, impen- L. IV. de Augm. Scient.

 ſam

ſam operam, juſtiſſimam omnino eſſe, in proclivi erit, oſtendere. Inſtar omnium ſit, quæ de ſtatu hominis ſano exponit ſcientia, quamque a Phyſicis mutuatam ſibi nunc vendicant Medicorum filii. In hac ſane quid actum hactenus ſit ab illis, qui excuſſo autoritatis jugo ſolam Naturam ſectati ſunt, & cultri mentisque acie in profunda viſcerum penetrarunt, ut hodierna anatomiæ lux veterum dogmatum inſomnia longo poſt ſe intervallo relinquat, notiſſimum eſt. Aſt neque nunc omnem Naturæ abyſſum exhauſtum, multaque etiamnum intereſ- ſe, quorum ratio nondum in aprico poſita eſt, nemo ibit inficias. Utrumque probe intelligens elegantiſſimi vir ingenii,

diſſ. Academ. p. 138. „OLAUS BORRICHIUS, quando, nec „feliciſſime ſe habere Medicinæ princi- „pia, adſerit, imo ne anatomica quidem, „ut in quibus novæ identidem ſtellæ, no- „væ Americæ reperiuntur, quæ veterum „fundamina ſi non convellunt, ſane velli- „cant, & evigilandum monent, ne per- „gant fidere Teucri. JOHANNES VAN

Microc. præloq. „HORNE vero ex inventorum cumulo „conſtare, arguit, neutiquam incrementi „ſui terminos attigiſſe Anatomen, nulli- „que præcluſum aditum ad Naturæ pene-

trália

ralia ulterius pervestiganda. Duo ad-"
eoque in anatomicis optanda esse, exi-"
stimat, tum ut Anatomici nunc tempo-"
ris ea duntaxat, quæ supra præcedentes"
anatomicos invenerunt, scriptis trade-"
rent, tum ut ea, quæ prave scripta sunt,"
emendarent: quorum primum a viris"
publici boni amantissimis observari"
cum videat, postremum nunc etiam de-"
siderat.,, Hæc vero ut suo loco merito
relinquuntur, ita nemo, qui sanum &
æquum de rebus judicium ferre didicit,
hæc, quæ a C. VATERO scripta sunt Diff. de Memor. proæm.
verba, digna, quæ hic legantur, in dubi-
um vocabit: Tantum abest, ut absolu-"
tam atque perfectam vel unicam artis"
nostræ partem credam, ut, utrum nobis"
vel majoribus nostris minores difficulta-"
tes expediendæ videantur, nesciam:"
ubivis enim adhuc, præcipue in physio-"
logicis, obscuritates, defectus, dubia,"
imo plane falsa deprehenduntur, sive"
quod per imbecillitatem sensuum, & lu-"
men rationis nostræ obscuratum ad inti-"
miora Naturæ plane pervenire non lice-"
at: sive quod Doctores & Scriptores"
plurimi genio suo & hypothesibus præ-"
conceptis nimium indulgentes faciant"
sæpius, ut nimium intelligendo intelli-"

gant minus.„ Quare, cum desiderata anatomica, inventorum numerum & molem longe superare, eorum vero histori- am & ipsam ad desiderata pertinere intelligerem, nullus dubitavi, quin divino fretus auxilio, eadem mihi pertractanda sumerem.

II.

Et hominem quidem, quem præcipuum tractationis nostræ objectum fore patet, duabus constare, iisque essentialibus partibus, corpore nimirum organico, & mente omnis materiæ experte, sua quemvis conscientia edocet. Quæ enim pro tertia hominis parte, stabilienda, quam Naturam, animam, spiritum, archeum alii, alii aliter appellant, a nonnullis in medium proferuntur, vel ex Scriptura, vel natura, aut lucta carnis & spiritus, vel animi præsagiis, aliisque phænomenis deprom̃ta argumenta, penes A. Q. RIVINUM, & M. E. ETTMÜLLERUM aliosque videnda, ea omnia vel hoc nomine desideratis merito annumerantur, quod nondum conveniat inter hujus sententiæ patronos, cujus naturæ atque essentiæ sit principium, quod sensus motusque in homine & brutis auctorem esse volunt. Aut enim est immateriale, & a

d. Spiritu Ho. Vitali d. Nat. Med.

men-

mente immortali neutiquam diversum, aut materiale, adeoque ad corpus, quod omnis generis particulas, & crassiores terrestres, & fluidas aqueas, & subtiliores aëreas æthereas, sulphureas & lucidas, subtilissimasque comprehendit, referendum erit. Ut nulla sit necessitas, animam quandam brutam ad explicanda ea phænomena, quæ ab unione mentis immortalis cum corpore organico proficiscuntur, in scenam advocare. Quid vero unio ista involvat, & in quo consistat, aut qua ratione exponi debeat, quæstio est majoris omnino momenti; Id enimvero claris-" simum est, partes illas tanto Naturæ hia-" tu inter se differentes, ut nihil in unius" conceptu contineatur, quod alterius" notio non excludat, adeo tamen arcte in" unam personam coagmentari, ut una si-" ne altera nec affici, nec sine alterius ad-" jumento, negotia sibi a Deo demandata" perficere queat, adeoque ex sapientissi-" mo optimi Creatoris instituto, anima" corpori consociata, hujus non solum" ministerio utatur. sed & in hoc unionis" statu, motionibus, seu cogitationibus" suis, organa ipsius varie afficiat, & ab eo-" rum vicissim motibus varie afficiatur, uti" concinne loquitur S. M. VERDRIES. Æquilibr. Ment. & Corp.

Non pauci equidem amore, quem vocant, animæ erga corpus ſuum, negotium omne abſolvi arbitrantur, quemadmodum alios inter, penes G. DETHARDINGIUM videre eſt; præterquam autem quod hæc ſententia plura ceu indubia præſupponat, quæ aliis nondum ſatis probata videntur, v. c. quod anima ſit prior corpore ſuo, quod ipſa ſibimet corpus pro arbitrio ſuo fingat, & quæ ſunt ejus generis alia, amor iſte, niſi ſit mutuus, vix, omnis generis phænomenis, ne ad ſpeciem quidem ſolvendis ſufficient: quod ſi vero mutuum, animæ nimirum erga corpus, & verſa vice, quis fingat amorem & propenſionem, is enimvero, niſi voculis nihil ſignificantibus ludere velit, ignoret, neceſſe eſt, quæ ſit natura & indoles materiæ extenſæ & corporeæ, utpote in quam nullus unquam amor, nulla propenſio, cadere poteſt. Neque vero rectius ſibi aliisque conſulunt, aut evidentius clariusque rem concipiunt, qui ad celeberrimorum mentem virorum G. G. LEIBNITII, & C. WOLFII per Harmoniam quandam præſtabilitam omnia ita, ut nullus dubitandi locus ſuperſit, exponi poſſe exiſtimant; eſt enim ipſa cum ſatis in ſe obſcura, & ad difficiliora expe-

Scrutin. Commerc. Animæ & Corp.

dien-

dienda, minus accommodata, tum vero
omne commercium, quod animam inter
& corpus, experientia teſte, intercedit,
tollere, adeoque rem in ſe ſatis impedi-
tam magis intricare videtur, quemadmo-
dum pulchre præ ceteris F. HOFMAN- Opuſc.
NUS oſtendit. Alii igitur has, & ſi quæ Phyſ. d. Fato p.
ſunt aliæ, ut evitarent difficultates, vincu- 281.
lum quoddam, ſeu gluten quæſiverunt,
mediante quo corpus animæ, hancque
viciſſim illi alligarent: quæ quidem ſen-
tentia facile admitti poſſet, modo ab
ejusdem Patronis tale gluten, quod me-
diæ corpus inter & animam eſſet ſubſtan-
tiæ, adeoque huic muneri idoneum, pro-
duceretur: quæ enim hactenus pro ejus-
modi vinculo venditata ſunt, ſive ſpiritus
voces animales, ſive aliud quodcumque
eodem deſignes nomine, nihil tamen ſunt
aliud, quam materiale & corporeum, ad-
eoque a mente diſtinctiſſimum. Neque
vero nobis tantum tribuimus, ut vincu-
lum qualecunque res has diverſisſimas
combinans demonſtraturi ſimus, plane
quippe perſuaſis, nullum hodie quidem
notum eſſe vinculum, hoc nomine di-
gnum, præterquam ſimpliciſſimum illud,
in quo merito acquieſcimus, quod Dei o-
ptimi maximi voluntas audit. Hac enim

 juben-

jubente anima rationalis ea lege cum corpore juncta est organico, ut certos hujus motus certæ in mente perceptiones & versa vice certos hujus impulsus certæ in corpore commotiones consequantur, quod præter cætera sua cuivis dictitat conscientia, solide id post R. CARTESIUM evincente CORDE-MOY, & J. G. BERGERO. Aut enim totus fallor, aut hi ipsi viri rem omnem ita exposuerunt, ut nihil eorum, quæ eam in rem dici poterant, desiderari posse videatur. Quamvis negandum non sit, ipsam mentis cum corpore unionem & utriusque partis per sensus motusque mutuum commercium, si modum exquiras, omnem sensuum atque intellectus humani aciem longissime superare. „Magna enim sunt sensuum mysteria; majora mentis, quæ illis internunciis & apparitoribus utitur. Hanc in ipsa domo sua hospitem vix noscimus: vicinissimam eminus vix videmus, sensibus ipsis fallimur, ad lucem & colorem cæcutimus, in sonorum natura pervestiganda obmutescimus, in odoribus captandis non satis emunctæ naris sumus, in saporibus parum sapimus, ad tactum stupemus ac ipsos sensus nostros vix sentimus.“ Quæ sunt verba doctissimi Viri

Tr. d. Corp. & Ment. differ. Physiol. Med. & diff. d. tuenda Valet. ex Cognit. sui.

D. G.

D. G. MORHOFII, quibus elegantissimam de Paradoxis sensuum Dissertationem claudit. De quo quisquis dubitat, id saltem cogitet: visionem instar cameræ fieri obscuræ, in hac vero cum objecta inversa conspiciantur, idem in oculo humano pariter & brutorum contingere, nullum equidem dubium est, sed nulla quoque ratio reddi potest, quare ab homine sanæ mentis objecta minus inversa conspiciantur.

III.

Hujus occasione doctrinæ, non abs re erit, pauca de origine animæ nostræ spiritualis subnectere. Ingentes namque omni ævo hac de re viguerunt lites, & discrepantes plane sententiæ, quas a C. BARTHOLINO, AVO, longa serie enumeratas videre licet, quæque hodie in duas potissimum classes dispescuntur, dum alii per traducem, ut loqui amant, eandem propagari, alii vero in quovis generationis actu immediate a Deo creari, existimant; ab utraque parte gravissimis rationum momentis instructi, adeo, ut utra alteri palmam præripiat, animo a præjudiciorum fuco libero judicare sit difficillimum. Quæ cum ita sint, nobis perplacet ingenua confessio laudati modo

Controv. Anat. Qu. IX. X.

Nat. Hu. P. II. p. 464. BERGERI. „Quomodo mens feratur hu-„mana, & utrumne ea ex Patre, an potius „ex Matre, an vero ex utroque procedat, „quæſtio eſt difficilis & pene indiſſolubi-„lis. Quare hoc Dei opus mei vim inge-„nii longiſſime ſuperat, quod præſtat pie „revereri, quam audacter argutari. „ Quæ eadem AUGUSTINI quondam fuit ſententia, ſequentem ſcribentis in modum: „Cum ratio de adventu, vel exortu ani-„mæ in tanto Naturæ profundo ſic lateat, „ſatius eſt, eam ſemper quærere, quam-„diu in hac vita ſumus, quam aliquando „inveniſſe, præſumere. „

Ep. CXX. ad Honorat. To. II. col. 592.

IV.

Non attinet, nec inſtituti ratio permittit, plura circa mentem immortalem accumulare dubia. Enimvero ipſa anima noſtra, experimentis in momenta continuatis cogitare ſe ſubinde quædam, res alias diſcernere, alias conjungere, alia ex aliis elicere, ratiocinari, quædam velle & anxie deſiderare, quædam rurſus averſari, novit, intelligit, animadvertit, modum vero, quo vel unicam, eamque ſimpliciſſimam cogitationem eliciat, prorſus ignorat: Ut animam, quam ſibi familiariſſimam eſſe conſtat, ſibi ipſi maxime ignotam eſſe, haud inepte dixeris, quem-

ad-

admodum post J. C. STURMIUM, quem in hisce capitibus plane ὁμόψηφον deprehendimus, A. BERND, peculiari labore ostendere conatus est. Quare & PLATO, postquam in Timæo copiose de Anima disseruisset, hunc tandem conclu-dit in modum: " Quidnam ergo mor-" tale, quid divini habeat anima, & ubi, &" cum quibus & quorum gratia? explica-" tum a nobis est, sed, quam vere id di-" ctum sit, tum demum, si id oraculo Deus" edixerit, asseremus.„ Quocum paria per omnia facit J. F. BUDDEUS, „Nihil in-" quiens, abstrusum æque reconditumque" est quam mentis nostræ, ejusque, quibus" pollet, facultatum ratio. Elaborarunt" in iis indagandis sapientissimi quique vi-" ri, quorum quo quisque cordatior fuit," eo apertius, nunquam tantum se cogi-" tatione sua assequi posse, ut non plura" ignoraret, professus est.„

d. Obscurit. Simpl. X. d. Ignorantia Ment. Hu. circa se ipsam. Lips. 1705.

Diss. an Homines poll. Nat. Vaticin. facult. I.

V.

His vero missis, ad ea nunc progrediamur, quæ propius scopum nostrum videntur respicere, stupendam illam & artificiosissimam summi opificis machinam, quæ corpus audit, quaque mens ceu carcere inclusa est, contemplaturi. Cujus cum infinitæ sint partium myria-

des,

des, dubiique ſimus, a quanam dicendi faciamus initium, conſultum tamen videtur, rem omnem ab ovo, quod dicitur, exordiri, hujusque machinæ primordia primum perluſtrare, quo deinde facilior ad reliqua pateat aditus. Abſtruſum nimirum & plane divinum generationis humanæ negotium examinandum nobis ſumimus. In quo quidem perveſtigando declarandoque deſudarint quamvis tot tantique nominis viri, HARVEII, HORNII, MALPIGHII, GRÆFII, SVAMMERDAMMII, KERCKRINGII, RUYSCHII, BOHNII, BARTHOLINI, non tamen eo usque res confecta eſt, ut omnem certitudinis paginam impleviſſe videantur, ſed in his vel maxime, quantum adhuc neſciant, haud diffiteantur viri cæteroquin oculatiſſimi ſagacisſimique: e quorum numero ingenti pauca pro inſtituti ratione delibabimus. Et hominem quidem duobus originem debere principiis, maſculino & fœminino ſemini, & ratio dictitat & communis loquitur uſus. Quæ enim de Homunculis T. PARACELSI ex ſolo ſemine maſculino per diuturnam digeſtionem & circulationem producendo, ab ipſo, ejusque aſſeclis in medium paſſim proferuntur, valde ſunt in-

cer-

certa, & dubia, neque magis conſtat, quid de iisdem, quam quid de inſolitis partus humani viis T. BARTHOLINO & F. RUYSCHIO obſervatis, habendum ſit. Animatum vero illud eſſe, & vermibus ſcatere, licet multi hodieque cum A. LEWENHOEKIO, microſcopiis ejus nimium fidentes, adſerant; a ſanioribus tamen & nuper admodum a J. B. PAITONO clare ſatis demonſtratum eſt, quæ ſub ſalientium ſpecie particularum oculo ſiſtuntur armato, non niſi partes activas & valde mobiles in ſemine recens emiſſo eſſe. Illud hodie conſtat inter omnes, maſculinum, quod dicitur, ſperma, nihil aliud eſſe, quam defœcatiſſimam & ſubtiliſſimam ſanguinis partem, e communi ejus fonte per arterias ſpermaticas, ad teſticulos delatam, inibique magis adhuc digeſtam & quaſi cohobatam, atque ad fæcundum usque coitum ibidem aſſervatam; fœmininum autem quod dicitur ſemen, ipſamet eſſe ovula, in ovario muliebri conſpicua, neminem hodie latet. Cuinam vero ex his duobus principiis in generatione hominis primus debeatur locus? ſi quæratur, hunc ovulis maturis in ſexu ſequiori tribuendum judicant modernorum plurimi, utpote in quibus omnia & minu-

Diſcurſ. de Generat. Ho. Venet. 1722.

minutiſſima fœtus futuri, quoad ſingulas partes ſtamina & rudimenta, a virili ſemine tantummodo evolvenda ſe vidiſſe, & tantum non manibus palpaſſe, gloriantur, indeque adeo & ſexus diverſitatem, & reliqua phænomena derivare allaborant. Sed reſpondeant, quæſo, ad id, qui fiat, quod liberi non raro Patris vultum, greſſum, actiones exactiſſime imitentur? dices, ob imaginationem matris. Quid vero fiet de inclinationibus parentis occultis & moribus ejusdem in natum quoque propagatis? quid de hæreditaria patris diſpoſitione morbifera in liberos quoque redundante? quid denique de ſingulari partium quarundam in Patre conformatione, quorum veſtigia in genitis quoque deprehenduntur. Quare rectius illi philoſophari videntur, qui cum F. HOFFMANNO, ſtamina quidem futuri fœtus in ovulo materno præexiſtere, ſed quæ ob teneritudinem ſummam, a ſemine virili robuſtiori forſan aliquam experiuntur alterationem, exiſtimant. Sed hæc non arridebunt ad vivum omnia reſecantibus. Ergo, quisquis es,

Diff. de Aff. Hæred.

Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

VI.

VI.

Quod si porro, ut par est, & res ipsa postulare videtur, de viis, per quas semen virile ad ovarium pertingere suamque ibidem energiam exerere soleat, & qua ratione ipsum fœcundatum ovum, uterum postea ingrediatur, solliciti erimus, diversæ occurrunt anatomicorum sententiæ, nulla, quæ omni careat dubio. Enimvero si ovarium novum a M. NABOTH in cervice uteri collocatum firmo staret talo, viæ istæ essent expeditæ nec longius quærendæ. At postquam M. E. ETTMÜLLERUS, varias dubitandi rationes circa idipsum F. RUTSCHIO proposuit, quas ille calculo suo probavit, tum vero & J. B. MORGAGNI industria jam clare constat, uteri cervicem in tunica interiore densis glandularum subrotundarum, aut ovalium, variæ magnitudinis agminibus stipari, easque fontes esse lenti illius & glutinosi succi, qui, facta conceptione, adjuvantibus rugis cervicis valvulosis aditum aëri per os uteri ad interiora præcludit, nemini mirum videri debet, vix "nuper propositam de tertio in cervi- "ce uteri ovario sententiam in ipso ortu "defecisse," uti J. G. BERGERUS pereleganter scriptum reliquit. Ovarium vero anti-

Diss. & Steril. Lips. 1707

Ep. problemat. Adversar. Anat. 1717.

Adv. Anat.

Diss. de Fluore Albo, V.

antiquum & vulgo notum utrumque, dextrum & ſiniſtrum & uterum cum nulla intercedat, hactenus quidem nota, connexio, de viis iſtis rogati anatomici alii quidem in tubis Fallopianis, in poroſa uteri ſubſtantia alii, alii rurſus in vitali ſanguinis circulo easdem quæſiverunt. Poſtremam qui cum C. BARTHOLINO, Nepote, amplectuntur ſententiam, priores non usque quaque ſibi conſtare animadvertunt, licet &, his quid opponi poſſit, neutiquam deficiat: præterquam enim, quod Natura ſimplicitatis amantiſſima vias longinquas abhorreat, ubi breviori ad metam datur pertingere, nulla huc usque mentis acies aſſequi valet, quomodo tantillum illud ſeminis maſculini, quod conceptum conficit, per tot vaſorum, & meatuum ambages, ad ovarium demum illæſum atque integrum pervenire poſſit, quin in via longiſſima in infinitas atomos diſcontinuetur, ac ſanguini illum, qui ovis deſtinatus erat, characterem imprimat. Nec quicquam huc facit, quæ ab opiatis, aliisque ſpirituoſis, ore & œſophago vix exceptis, vim ſuam ſanguini & reliquis humoribus mox communicantibus, deſumitur, analogia: ibi enim, eandem ob cauſam, ut ſubitam opem præſtet,

ſtet, provida Natura via, qua datur, breviſſima, res definitas mittit. Et quæ mox a conceptu in gravidis obſervantur ſymptomata varia, nihil aliud evincunt, quam quod ob ſuppreſſum lunare tributum, & humores nutritioni fœtus deſtinatos magna in copia ad uterum determinandos, inſignis in ſuccis matris oriatur alteratio. Quamobrem multi cum J. BOHNIO poroſam uteri ſubſtantiam eligere maluerunt, rati, illic & viam breviorem, & modum agendi, ob ſummam liquoris genitalis energiam & ſubtilitatem, conceptu multo faciliorem ſe reperiſſe. Verum, ut ea taceamus, quæ vir iſte ſagaciſſimus huic ſuæ ſententiæ obiici poſſe, ipſe non diffitetur, nihil videtur obſtare, quo minus tubas Fallopianas iisdem, quibus ille, commoti argumentis, officium hoc ſuſtinere, aſſeramus Et huic quidem ſententiæ, omnium quippe probabiliſſimæ, plurimi hodie accedunt, licet nec ipſi de omnis dubii carentia, cum tubæ ovario non niſi tertio a conceptu die, obſervante R. A. GRAEF, fimbriis mediantibus cohærere, alias vero notabiliter ab eodem diſtare deprehendantur, cautum ſatis ſit. Quod vero ovula fœcunda per has deinde tubas fundum uteri ordinarie petant, non eo-

Circ. Anat. phyſiol. p. 15.

rum modo rudimenta, sed & integri conceptus in harum cavitate non raro reperti manifestum reddere videntur.

VII.

De viis autem utut sit, illud certum est, ovulum maternum virtute liquoris seminalis impraegnatum, turgescere, expandi, atque a reliquorum consortio ovorum separatum serius ocyusve ad uterum devolvi, ibidemque sensim sensimque nutriri, accrescere, & ad debitum usque pariendi tempus detineri. Hic vero nova oritur difficultas, fiatne illa Nutritio per os, an per umbilicum, an per utrumque? quorum primum multi, ultimum non pauci, medium vero, ex universa anatomicorum schola, nemo unquam, quod constet, vocavit in dubium. Quippè cum animadverterent antiqui, notabilem illam sanguinis copiam, qui stata Naturæ lege singulis mensibus ab illis, quæ illibata gaudent valetudine, excernitur, per integrum gestationis tempus, intra uteri claustra asservari; cum porro duas ex fœtu arterias hisque sociam venam unam, ab umbilico ad placentam funiculi more contortas produci, oculis usurparent; in proclivi ipsis erat, ex hisce immediatam quandam sanguinis materni, illiusque, qui fœtum

ıum rigat, communicationem, mutuam-
ıue vasorum uteri, & fœtus anastomosin
:olligere, ut adeoque his ipsis nullum es-
et dubium, quin fœtum illo ipso sangui-
ıe matris menstruo ex vasis uteri per ve-
ıam umbilicalem advecto nutriri atque
ugeri crederent. Alii tamen, quos me-
iora docuit superiorum temporum feli-
itas, quique mutuam illam vasorum in
ıatre fœtuque anastomosin nuspiam de-
rehendere potuerunt, qui denique om-
es adultorum partes non sanguine, sed
ympha potius gelatinosa nutriri, accura-
iori instituto examine, intellexerunt,
ollicem ptioribus premere detrectarunt,
deoque anastomosi illa sublata, non pu-
um sanguinem, sed succum quendam ge-
tinosum nutritium ex poris uteri per ve-
am umbilicalem fœtui advehi putarunt;
tque hi non prorsus alieni sunt ab eorum
ntentia, qui fœtum, ultimis saltem
ıensibus, per os quoque alimentum su-
ıere contendunt, adducti eo illis præser-
m rationibus, quas jam tum apud HIP- L. d. Car-
OCRATEM pulchre expositas videre est. nib. & d. Nat. Puer.
unt iterum alii, iique non infimi subsel-
i viri, quibus, cum fœtum, ultimis men-
bus per os nutriri, unanimis esset con-
nsio, nullum videtur dubium, quo mi-

nus fœtum toto geſtationis tempore per os nutrimentum capere adſererent: funiculi vero umbilicalis arteriæ ex horum mente chorio amnioque proſpiciunt, quo nimirum membranæ iſtæ ab exili ducto initio in ſat magnam fœtuique continendo ſufficientem aſſurgant magnitudinem, & per totum illud tempus nunquam nutritio deſtituàntur rore. Autopſiam porro allegant VOLCHERI COITER, qui jam ante HARVEIUM, intra ventriculos pullorum decimo quinto & decimo ſexto ab incubatione die ſubſtantiam chyloſam vidiſſe fertur. Et in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS notabile legitur fœtus cruore per habitum corporis tincti, & vomitu quoq; cruento, ſimilique ſeceſſu poſt nativitatem laborantis exemplum. Quibus noſtram qualemcunque addere licebit autopſiam. Annus nimirum erat ſeculi octavus, cum Jenæ ductu CL. SLEVOGTI in collegio privato anatomico fœtus vaccinus valde immaturus, liquoribus ſuis innatans, membranisque involutus, ſeſe offerret, quo proin diſſecto, cum liquori amnii limpidiſſimo, neſcio quo fato ſcybalorum quædam fruſtula imnatarent, apertus poſtea ventriculus humorem in ſinu gerebat, non ſolum priori per

Vratiſſ. 1723 Novembr. p.

om-

omnia ſimilem, ſed &, mirum dictu, iis-
dem excrementitiis fruſtulis maculatum,
&, quod magis mirum, hæc ipſa ſcy-
bala, ubi ulterius ad inteſtina delapſa,
aliam quodammodo faciem ibidem in-
duerant, magis digeſta & alterata appa-
rebant. Huic proin ſententiæ multi ho-
die, iidemque doctiſſimi favent anatomi-
ci. Inſtar omnium autem videri meren-
tur, quæ BERGERUS more ſuo elegan- & L. II
ter hanc in rem diſſerit. Enim vero no- c. 2.
ſtrum cum non ſit, tantas componere li-
tes, duo tantum adverſus utramque ſen-
tentiam, quæ iisdem premi videtur diffi-
cultatibus, allegabimus dubia; quid ni-
mirum fiat de ovulo primis ſtatim a con-
ceptu diebus, ubi nulla adhuc organa, ne-
que os cum œſophago & ventriculo, ne-
que etiam placenta vel vaſa adſunt umbi-
licalia? tum vero, per quas vias illi nutri-
antur fœtus, in quibus vel os clauſum, aut
nullum plane, & caput nullum, vel vaſa
umbilicalia impervia, aut plane abſen-
tia ſunt deprehenſa, quorum illud M. Hiſt. Me-
MAPPUS, hoc vero GALLORUM EPHE- dic. d. A-
MERIDES, & C. ST. VAN DER WIEL cephal. 1673.
obſervarunt. Atque ut brevitati ſtudea- Cent.
mus, poſteriori, quæ multis hodie arridet, Poſt p. I.
opinioni, præter alia hoc inprimis fraudi Obſ. 32.

esse videtur, quod liquoris illius gelatinosi major multo in cavitatem amnii depluat quantitas, quam quæ fœtui nutriendo sufficit, id quod magna ejusdem in partu profusio, clare puto, edocet, qualem jacturam non facile provida rerum mater μετὰ σπουδῆς adornare solet. Certe, quod nonnulli hic quærunt refugium, liquorem scilicet amnii ex duum generum particulis constare, laudabilibus nutritiis, & feculentis excrementitiis, prioribusque a fœtu consumtis, posteriores tantum in partu perdi, illud annon vel maxime desideratis nostris aunumerari mereatur, æquis rerum arbitris dijudicandum relinquimus. Imo vero & ossium, ut totius corporis principium summis tenebris est obvolutum, neque quisquam hic certo quid adserere unquam poterit. Ecclesiastes enim liquido testatur, illud æque esse obscurum, ac opera summi numinis divini sunt, ut W. V. WALDSMIDIUS opportune advertit.

XI. V. d. Fract. Off. I. X.

VIII.

Hujus occasione doctrinæ alia insuper moveri solet quæstio, an nimirum fœtus in utero, ultimis saltem mensibus respiret, cum nutritionem ejusdem per os absque respiratione fieri non posse, plu-

res

res existiment, quamvis diversas has esse in homine nascendo functiones, & alimentum in os infantis per impulsum derivari, ab aliis demonstratum sit. Enimvero, si rite calculum ponimus, & cordis, & pulmonum, & diaphragmatis in fœtu structuræ, respirationem proprie dictam, nullum in eo locum invenire, aliamque esse circulationem sanguinis in fœtu, pulmones quippe præterlabentis, aliam in homine adulto clare satis evincunt, uti præter cæteros Cl. Vir, M. E. ETTMULLERUS solide demonstravit. Ac licet post J. MAYOVIUM J. H. BÖTTICHER respirationem fœtus in utero peculiari labore adserere, ejusque organon placentam uterinam, materiam vero sanguinem maternum aëre imbutum, allegare non dubitaverit, facile tamen hæc tantum per quandam analogiam dici, & ob anastomosin vasorum uteri fœtusque secundum ea, quæ supra sunt dicta, valde dubiam, veritati non ita respondere, ut nullus dubitandi locus supersit, intelligenti patet.

Diss. de Circul. Sangu. in Fœtu. Lips. 1715. Diss. de Respirat. Fœtus in utero Helmst. 1702.

IX.

Placentæ ipsius uterinæ sedem incertam omnino esse J. H. SLEVOGTIUS & P. G. SCHACHERUS non uno ostenderunt

P. P. ad Diss. Wedelii d. Tenesmo Jen. 1710.

 para-

Diff. d. Placentæ uter. Morbis. paradigmate. De tuuica vero alantoidea, sive tertia inter chorion amnionque sita membrana recenter inventa, atque urinæ fœtus ex vesica per urachum advectæ recipiendæ destinata, multa multi narrant, alii eam tantum in brutis inveniri, alii vero ut HORNIUS, GRÆFIUS, MUNICKS, NEEDHAM, BIDLOO, HALE in homine quoque a se visam asserunt. (Transact. Angl. N. 271. pag. 833. 1698.) Nobis ingenua placet confessio nunquam sine honoris præfamine nominandi BERGERI, qui, posteaquam historiam hujus membranæ succinctam tradidisset, hisce eandem verbis concludit (L. c.) „sed hæc in medio rerum nondum satis „exploratarum relinquimus.

X.

Restat præcipuum, & quod ingenia eruditorum mire semper torsit in generationis negotio phænomenon, mirabilis nempe illa fœtus cum matre consensio, qua hujus ideæ, & phantasmata insigni præsertim terrore aut anxio desiderio comitata, notabilem in isto producunt effectum. Hinc enim tot nævi materni, tot perditi natorum mores, tot denique monstrosæ conformationes, quibus partes nonnullæ abundant, aliæ deficiunt, proficiscuntur. Magnam certe vim in corporibus nostris

obti-

obtinent animi pathemata, quibus fluidæ æque ac ſolidæ corporis humani partes miris alterantur modis, & ad ſtatum ſanum vel morboſum diſponuntur, ita ut animus ſanitatis & morborum faber ſuo quodam merito appelletur. At quis quæſo unquam ejusmodi effectus in proprio corpore ab animi pathematibus expertus eſt, quales gravidæ in alieno & propriam vivente vitam vel cogitando producere valent? Sane hic ſi quid judico, vires imaginationis THOMÆ FIENO, & ideæ operatrices MARCO MARCI ſingularibus libris laudatæ ſi usquam alibi, in aprico ſunt, ſed ratio earundem, fiendique modus in abſcondito deliteſcunt: neque enim anima ſenſitiva aut archeus HELMONTII, aut quodvis aliud principium architectonicum aut radii ſpirituum, ſive vitalium ſive animalium, vel in longiſſimum protenſi ſpatium, non tetraëdricæ, octoëdricæ, hiſpidæ acutæ particulæ, aut particularum particellulæ, aut quævis demum alia cauſa, ad mentem variorum varia a J. J. WALDSMIDIO recenſita, hiſce phænomenis explicandis ſufficiunt. Ac licet J. M. VERDRIES ab unione mentis cum corpore ſingula derivare, & declarare conatus ſit; „Ingenue tamen fate-“ tur,

Diſſ. d. Cauſ. part. monſtr.

„tur, esse in accuratissimis figurarum ex-
„pressionibus & delineationibus plura ad-
„huc humano ingenio impenetrabilia,
„quæque sine principii Naturæ incogniti
„subsidio ex omni parte expediri neque-
„ant. Quemadmodum & doctissimus
L. III. J. N. PECHLINUS, qui copiose admo-
Obs. XV. dum & erudite imaginationis effecta in
gravidis exponit, multa admodum in
„ea re obscura, nec satis explorata esse ob
„experimentorum defectum, quæ per-
„functorie & quasi aliud agendo recense-
„ri vulgo solent, adserere non dubitat.
Observ. Anat. LXIV. THEODORUS vero KERCKRINGIUS, historiam infantis in lucem editi, & per imaginationis quoddam in matre prodigium occipitis osse plane carentis ita concludit: "Dic, Oedipe, os illud qua
„vi sublatum, quem in locum transla-
„tum fuit? nulla imaginatio vim hanc
„suam imaginari, nullus intellectus in-
„telligere potest. Nos, quod factum est,
„narramus, qui fiat, juxta cum omni-
„bus ignorare nos fatemur.

XI.

Varia hactenus circa fœtum notavimus. Hoc igitur tantisper relicto, matrem ejusdem partu defunctam paulo propius accedamus, non equidem causas

stati

ſtati partus temporis, quod vix in centeſima fallit, & a cauſis plane ſingularibus interdum anticipatur, vel poſtponitur, quamvis earum pleraſque eruditorum deſideriis minus ſatisfacere, B. ALBINUS clare ſatis oſtenderit, ſed, qui fiat, quod mammæ antea lacte deſtitutæ, brevi a partu eodem turgeant, providoque Naturæ inſtituto hac ratione infanti recens nato de alimento proſpiciatur, contemplaturi. Veteres equidem, lac nihil aliud, quam ſanguinem dealbatum eſſe, credentes, facile hinc eluctabantur, ſanguinem, menſtruo alias tempore excretum, ſed in gravidis & lactantibus ordinarie retentum ad mammas redundare ibidemque per facultatem quandam γαλακτοποιητικὴν in lac converti, adferentes. Noſtro vero ævo idem illud phænomenon magis perſpicue & modo quodam imaginabili explicatur, quando, lympham illam nutritiam dulcem, quæ in gravidis per uterum in cavitatem amnii, vel etiam per venam umbilicalem transſudat, hac via occluſa aliam quærere, & mediante vitali ſanguinis circulo ad loca magis glanduloſa, qualia ſunt mammæ, decumbere, ibidemque, accedente præſertim ſuctu infantis, novum ſemper in fæminis ſanis & ſuffi-

Diſſ. d. Partu. diffic. I.

ſufficienti alimentorum & potulentorum copia gaudentibus excitari affluxum, plerique ſaniores arbitrantur; quamvis Cl. Viro B. RAMAZINI ea minus probetur ſententia, utpote qui inſtinctum quendam vel ſenſum Naturæ monſtrari ſibi poſtulat, quem neceſſarium utique lacti præciſe ad mammas determinando eſſe contendit. Quamobrem iſta rejecta aliam ex hac difficultate emergendi ingreditur viam; ratus, uterum partesque vicinas, mole fœtus ſenſim grandeſcentis verſus ſuperiora premi, eoque ipſo inſignem illam lymphæ alibilis copiam in utero hactenus ſecretam ad mammas deinde amandari. Eandemque opinionem, vel ſi mavis conjecturam ſuam, ut veriſimilitudine non caret, multis rationum & exemplorum momentis corroborare nititur, licet ipſe haud eat inficias, eandem ſibi adeo non conſtare, ut omni dubitatione major ſit. „Multa nimirum, THOMA auctore BARTHOLINO, ſunt, quæ ignoramus, vel quanquam cognita ſine ratione ſcimus.

Diatrib. de Morb. Artif. p. 147. ſeq.

Cent. IV, Ep. 64.

XII.

Et hæc quidem de lactis poſt partum proventu ordinario, quem mulierum mammis ſuggerere noto notius eſt, ut de

uſu

usu earum in œconomia humana satis egregio, abunde constet. In viris autem & infantibus quæ reperiuntur mammillæ, uberiorem merentur investigationem, utpote qua sola de re, judice Cl. Viro J." D. MAIORE peculiaris, speculationeque" ulteriore dignus sermo institui posset:" Nam, ut P. VERHETEN opportune monet, mammæ fere in solis mulieribus considerari solent, cum virorum mammillis" ordinarie nullum usum, saltem nobis no-" tum, attribuerit Natura.„ Equidem non desunt, qui cum J. BOHNIO ipsis virorum mammillis, in fœtu, utero materno concluso, adsignant, cujus summam sententiæ J. F. ORTLOBII verbis hic inserere lubet: Non meri ornatus aut symmetrias" causa sexui masculino conceduntur" mammæ, ut pote in quibus aut nullus," aut rarissimus & plane singularis est la-" ctis proventus. Verum usus illarum" utrique sexui necessarius est, dum adhuc" utero matris concluduntur embryones," quod nimirum pars lymphæ chylosæ ab" iisdem assumtæ, per mammas transcola-" tæ, tanquam nimia, & ad nutritionem" superflua, denuo ad amnii cavitatem" reddatur, unde est, quod in recens natis" utriusque sexus infantibus lac ex eorum" mam-

Diss. de Ærum. Gigant. C. V. 22.

Anat. C. H. Tr. III. c. 1.

Histor. Part. C. H. p. 106.

mammillis exprimatur. Præterquam vero, quod aliæ dentur liquoris amnii viæ jam ſupra commemoratæ, nulla videtur ratione probabile, fœtum id, quod modo reddit ferculum, mox reſorbere, & contra: neque etiam mammæ niſi compreſſæ lac ſuum facile fundunt: accedit, quod e recens natorum mammis lac vel ſeroſa materia non facile exprimi poſſit aut debeat. Ut adeoque mammillarum in viris uſus in profundo huc usque lateat, & ſi usquam, huc apprime faciant verba LUCRETII ita canentis:

Multa tegit ſacro involucra Natura, nec ullis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia. Multa
Admirare modo, nec non venerare; nec illa
Inquires, quæ ſunt arcanis proxima: namque
In manibus quæ ſunt, hæc nos vix ſcire putandum,
Eſt procul a nobis adeo ſcientia veri:

XIII.

Sed redeamus ad fœtum, ſeu embryonem noſtrum recens in lucem editum, cujus accuratior contemplatio nos ſtatim quarundam admonet partium, quæ in

fœtu notabili gaudent magnitudine, minime vero cum reliquo corpore augmentum capiunt, quarum cenſum ſubeunt glandula thymi, renes tum veri, tum ſuccenturiati ipſumque hepar. De hepate res clara eſt, utpote cujus magnitudinem reſpectu reliquorum animalium majorem eſſe, uno omnes ore confitentur anatomici: „ PHILIPPUS vero VER- l. c. Tr.
„HEYEN hepar in recenter natis majorem II. c. 15.
„abdominis partem occupare, at non ita
„ſicuti pleræque reliquæ partes corporis creſcere, aſſerit. Sed cui bono? altum ubique ſilentium, licet hepatis in adultis uſus ſatis apertus ſit. Renum ſtructuram eſſe in embryonibus aliam quam in adultis, & non adeo ſtrictam, ſed laxiorem, ORTLOBIUS obſervat, qui pro- l. c. p.
inde eos tunc temporis non tam urinæ, 288.
quam chyloſæ ſecretioni ſubſtantiæ atque ad cavitatem amnii emiſſioni vacare concludit, utrumque vero ad ea ſpectare, quæ ulteriorem merentur confirmationem, nemo, niſi in rebus hiſce plane hoſpes, inficias ibit. Renes ſuccenturiati unanimi anatomicorum conſenſu hoc pari jure referuntur, quos inter qui omnium inſtar hoc loco eſſe poteſt, T. BAR- Anat.
THOLINUS, ſequentem loquitur in mo- Ref. l. I.
dum: c. 18.

dum: „In fœtu renes fere adæquant, in „adultis vero arctantur, minoresque fiunt: Quod certe phænomenon non potuit non mirifice anatomicarum exercere induſtriam, & tot de iisdem producere opiniones diſſentientes. Veteres quidem ſibi aliisque perſuadebant, fieri in hiſce ſecretionem humoris cujusdam, quem atrabilarium vocabant, impoſito hinc ipſis nomine capſularum atrabilarium, de quo quidem ſucco, ejusdemque ſtatu ſecundum & præter naturam, multa multis memoriæ prodita ſunt. Hac vero ſententia poſtea, quam per circulationem ſanguinis aliaque noviter adinventa rebus anatomicis inſigne lumen accenſum eſt, dudum exploſa, alii, quos inter eſt C. L. WELSCHIUS, his ipſis capſulis glandularum officium, quod in ſecretione humoris conſiſtit, decernunt, qui tamen uſus, ut ab aliis perbene eſt animadverſum, tantum generalis eſt, ut taceam, nulla hucusque vaſa lymphatica, vel ductus excretorios, quorum illud in conglobatis, hoc vero in conglomeratis obſervatur, ex iisdem egredientes hactenus innotuiſſe. Quamvis enim J. A. KULMUS, Medicus & Anatomicus Gedanen-

Examen Ren. Succent. Lipſi. 1691.

danensis peritissimus, ut in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS relatum legitur, peculiarem quendam ductum excretorium in hisce capsulis sibi invenisse visus sit, adeo tamen sibi non constat de certitudine & veritate ejusdem, ut ejusdem ulteriorem investigationem exercitatis anatomicis potius commendet. Qui optime conjecerit, optimus vates esto, ut T. BARTHOLINUS loquitur. Optime vero coniicere sibi videntur, qui cum FRANCISCO DELEBOE SYLVIO sanguini, e cruribus, renibus aliisque partibus inferioribus minore vigore refluenti, spirituosum aliquod liquidum ex glandulis hisce affundi existimant, ut a facili suarum partium cohæsione sese tueri, motumque retrogradum per venam cavam, propter cujus situm & ascensum perpendicularem, ab inferioribus redeuntium humorum vis ac copia difficilius omnino movetur, eo alacrius continuare queat. Quæ quidem sicuti verosimiliter satis narrantur, utinam & probarentur: nam & priori dubio, quare nimirum hæc corpuscula in fœtu insigni adeo magnitudine gaudeant, minime satisfaciunt neque hæc, neque priores sententiæ. Omnium igitur optime illi se gerere videntur, qui cum Cl. ORTLOBIO in usu proprio renum succenturiatorum de-

Vratisl. 1722. Februar. p. 208.

l. c. p. 124.

Diss. V. 6.

l. c. pag. 144.

terminando τὸ ἐπέχειν amplectuntur, namque ut eleganter hanc in rem disserit sæpius, sed nunquam satis laudatus BERGERUS: „Non possumus a renibus animum & cogitationem avertere, quin „multa esse in corpore fateamur, quorum „vim rationemque perspicere, nisi qui „corpus humanum condidit, possit nemo. Ecquis enim enarrare se posse existimaverit, quid utilitatis, quantumque „commodi habeant illa glandulosa depressa, & plerumque pervia cavaque intus corpora, quæ renibus imminent, & „ductis ab arteriis emulgentibus ramis ac „venis nervisque instructa, renes succenturiati, capsulæque atrabiliariæ nominantur. Quibus addi merentur, quæ ab inclyto G. W. WEDELIO hanc in rem sunt monita; hisce enim locis, omnia, ni fallor, comprehenduntur, quæ de iisdem hactenus explorata atque cognita sunt. Par ratio est glandulæ illius conglomeratæ, in suprema thoracis parte sub jugulo circa divisiones arteriarum & venarum subclaviarum sitæ, quam Thymum vocant. De qua αὐτοψία constat anatomica, quod in teneri ætate valde mollis & spongiosa, albaque appareat, & major sit, quam in adultis. De usu si quæras, quem

L. c. p. 205.

Physiol. Ref. pag. 325. seq.

quem vel in fœtu, vel adultis obtineat hæc ipſa glandula, nihil fere invenire datur, niſi quod illam T. BARTHOLINUS, R. AGRÆF, & C. VATERUS humore lacteo limpidove in recens natis plenam invenerint. Id quod cui bono eveniat, non æque conſtat, niſi quidem illi accedere lubeat conjecturæ, quam P. VERHEYEN plauſibili ſatis ratione proponit: Videtur" uſus thymi eſſe diverticulum chyli per" ductum thoracicum copioſius advenientis, ne nimis affatim admiſceatur ſanguini. Eſt enim hujus calor & motus in" prima ætate admodum debilis, adeoque" a magna chyli copia facile ſuffocabilis," & interim alimentum infantis valde fluidum, atque in corpore matris quaſi prævie chylificatum, quod proinde longam" in ventriculo non trahit moram, ſed cito tranſit per venas lacteas ad ductum" thoracicum; unde ſuſpicari licet, a chyli abundantia, ni retardetur ejus impetus, læſum iri debilem ſanguinis fermentationem." Cum vero idem ille autor ſibi non ſatisfeciſſe videatur in quæſtione, cur videlicet thymus non, uti pleræque corporis partes, cum ætate creſcat, penes æquos rerum arbitros judicium eſto, annon jure meritoque ad deſidera-

Phyſiol. Exp. p. 517.

L. c. Tr. III. c. V.

ta referatur usus glandulæ thymi? Quod vero pro altero ejusdem usu ibidem venditatur, quod scilicet secernat aquam pericadii, id vel hoc unicum satis refellit, quod humor non lacteus, sed limpidus & lymphaticus pericardio contineatur, hoc vero propriis suis poris vasisque gaudeat, e quibus hic ipse liquor, cujus existentiam in viris non pauci cum Cl. BOHNIO in dubium vocant, largo satis rivo in ejus cavitatem stillare queat. Equidem F. BELLINGERUS, membrum collegii medici Londinensis, quandam succi nutritii in fœtu, quem pro temperie ejus crassiorem supponit, præparationem & assimilationem in thymo fieri, indeq; porro per vias hactenus incognitas in glandulas maxillares, & porro in os atque ventriculum ejusdem derivari, contendit, quemadmodum in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS fusius expositum simul & clare ostensum est, quid circa hanc hypothesin præ cæteris huc usque desideretur; ductus nimirnm excretorios pictos quidem, sed nondum demonstratos esse. Ac licet, ut eodem loco commemoratum legitur, ab aliis in istos ductus sedulo inquisitum fuerit, non sine spe, eosdem detegendi, eventus tamen docuit, venas atque arterias pro ductibus

Tract. d. Fœtu Nutrit. Londin. 1717.

Vratisl. 1717. Sep. p. 87.

L.c. 1718. Nov. p. 1897.

chyli-

chyliferis falſo habitas eſſe. CAROLUS vero RICHA, ut J. SCHEÜCHZERUS autor eſt, puerorum aſthmata ſæpe ab obeſitate thymi obſervavit, eidemque novum prorſus & ſingularem attribuit uſum, ſed qualem, non meminit. Quid ergo? „Sed temperandum, ſunt verba" doctiſſimi G. C. SCHELHAMERI, cu-" piditati noſtræ nonnunquam eſt, ſum-" ma enim eſſet impudentia, nihil neſcire" velle.„ ib. 1718. Decemb. p. 2037. 1723. Decembr. p. 6-14. Fr. d. Voce p. 23.

XIV.

Sed intereſt inſtituti, ut œconomiam animalem, quam hactenus in fœtu & recens natis conſideravimus, nunc quoque in adultis breviter ſtrictimque percurramus, illa inprimis delibaturi, quæ ſcopum noſtrum propius attingunt. Ubi quidem res ipſa poſtulare videtur, ut a prima & præcipua corporis humani ſani actione, quæ chylificatio dicitur, auſpicium capiamus, in qua quidem explicanda diu multumque laborarunt eruditi, aliis coctionis, fermentationis, putrefactionis, digeſtionis aliis utentibus analogia. Quarum quidem operationum unam vel alteram circumſtantiam reperire datur, quæ ad noſtrum negotium haud invita trahatur minerva, totum vero negotium,

Diss. Anat.med. d. gland. œsoph. conglom. Astæ. 1711.

quod exhauriat, vix occurret. JACOBUS VERCELLONIUS, ex glandula thyroidæa, ingentem numerum ovulorum verminantium egredi, atque per œsophagum in ventriculum derivari, ibidemque chylosin perficere, arbitratur. Sed hæc quidem sententia ut nullum ex retroacta ætate patronum habuit, ita paucos forsan assеclas ex posteris inveniet. Quamvis enim Cl. L. HEISTERUS glandulam hanc, sæpius instituto examine, duriusculam & firmam semper, fibrisque robustis præditam invenerit, aliquando etiam, pellucidam & copiosam lympham, una cum multis globulis flavescentibus, olei instar in guttas discerpti, aquæ innatantibus deprehenderit, nondum tamen ipse, an fuerint hæc ovula, vel quidpiam aliud, determinare audet. JOHANNES vero HAGERUS hanc ipsam opinionem variis rationum momentis destruere conatus est, quam & J. G. PAULI, optimo jure rejecit, ejusque nullitatem ostendit. Ab his igitur partim nimis generalibus, partim incongruis, & male cohærentibus fictitiisque & falsis vocabulis, modisque fiendi abstinere, præstat, quocirca & multis extractionis vocula præ cæteris arridet, atque cum illa inprimis extractionis

Diss. d. Glandula thyroidea in statu nat. ab ovulis verminosis libera. Vitemb. 1722. P. P. Lips. 1718.

nis specie, quæ parandis emulsionibus inservit, chylificationem comparare, eumque ea quoad omnes & singulas circumstantias conferre haud dubitant. Ingenua tamen hac de re post A. PITTCARNIUM confessio est Cl. ORTLOBII, quæ hic legi meretur: „ Diffiteri non possumus, etiam hic quasdam circumstantias inveniri, quæ forte in his operationibus artificialibus non exprimuntur, quod in animali vivente diversis coagentibus organis singulari solvente actio nostra instituatur, adeoque etiam peculiaris haberi debeat, sufficiat tamen, si ejusmodi exemplis liceat actionem illustrare, ut non opus sit, ad ignotas plane chimeras, & facultates confugere, sed potius simpliciorum & artificialium ejusmodi operationum contemplatione, & ex consideratione singularium productorum, quæ mechanicis sæpe regulis subsunt, & pro mutua tantum agentium & patientium habitudine variantur, eo deduci possumus, ut non miremur, naturalia ejusmodi, quæ Deum artificem agnoscuut, singularibus magis effectibus, quamvis ex eodem fundamento producendis, apta esse. "

Op.p.64.
L.c.p.47.

XV.

Sic &, quando porro quæritur, an chylus per vias lacteas ſolus & omnis derivetur, an vero aliqua ejus pars mox e ventriculo venas ſubeat meſaraicas? prius hodie ſuſtinent plurimi, adducti rationibus ſæpius repetita autopſia ſatis confirmatis. Poſterius vero placet illis, qui ad ſubitam nimis refectionem, a cibo & medicamentis vix œſophagum illapſis, animum advertunt, quique ab HARVEIO, BRUNNERO, CONSENTINO aliisque acceperunt, dari quædam animalia, verbi cauſa pennata, quæ nullis lacteis venis gaudeant. Cui ſententiæ, præter MOLINETTUM, HORNIUM, WILLISIUM, STAHLIUM favere, conſtat: Quæ vero adverſus eandem poſt inventas lacteas venas moveri poſſint dubia, penes J. D. MAIOREM videre eſt.

Microc. §. 29. Pharm. Rat. p.25. 26. Diſſ. d. Sanguif. l. c. c. V. §. 12.

XVI.

Chylus nimirum in ventriculo & primis viis elaboratus per vias lacteas ductumque thoracicum haud interruptis vicibus venæ ſubclaviæ ſiniſtræ & ſanguini tanquam perpetuum vectigal affunditur, qui non multo poſt eadem rutilante tinctura reſplendens conſpicitur, id quod vulgo ſanguificationem appellant. "Modum

dum vero, quo hæc contingat, explicare, "
res satis ardua est, quatenus nec sensibus "
quicquam hujus patet, nec analogum "
sibi quid in rerum natura habet, uti "
apposite disserit J. BOHNIUS. Minus l.c.p.199.
enim patet hactenus ratio, qui ex chylo albissimo sanguis purpureus ita ordinarie, promte ac indesinenter generetur? nisi adserere lubeat, magnam illam sanguinis quantitatem, quam vasa vehunt, facile sibi assimilare exiguam chyli guttatim advenientis portionem, præsertim cum hic elementa illius contineat, & una cum illo velocissimo statim abripiatur motu, progressivo non minus quam intestino, eumque sæpius vel una repetat hora, & quod caput rei est, in pulmonibus sub respiratione, globuli illi chylosi magis a se invicem divellantur, rarefiant, ac dividantur, ut radios lucis quidem transmittant, non tamen sine refractione. Nihilne autem præter conjecturas? nihil: quid ita? Quisquis inge- "
nue & candide judicium ferre vult & "
potest, plurima, quæ intus aguntur & in "
visceribus ac succis fiunt & mutantur, "
nostrum captum superare, respondeo "
cum doctissimo F. SCHRADERO, in eleganti ssimo, quo veram medicorum cu- P.P.Helmstad.1701.

riositatem a vana & inutili πολυπραγμοσύνῃ discernere docet, programmate.

XVII.

Motus sanguinis in orbem, qui Circulus alias appellatur, an veteribus innotuerit, hujus loci non est, disceptare, id quod laudabili conatu præstitit CL. Vir T. I. AB ALMELOVEEN; plura certe ante secula qui vixit NEMESIUS, Philosophus & Episcopus, aliquo modo agnovit, ANDREAS quoque CÆSALPINUS pluribus in locis designavit, PAULUS vero SARPIUS, Venetus, pridem intellexit & amicis indicavit vel si GEORGIO credimus BAGLIVIO, REALDUS COLUMBUS ducentis abhinc annis primus subindicavit sanguinis in orbem conversum. Superioris autem initio seculi GUILIELMUS HARVEIUS Anglus inventum hoc cedro dignissimum ita omnium oculis exposuit, ut cœcus sit, oportet, qui in luce hac meridiana idem non manibus palpare valeat. Quo magis mirari subit, L. HANNEMANNUM valde dubiam pronunciare circulationem sanguinis, eamque hodiernæ artis medicæ palladium & idolum appellare, quod facile corruat, rationis & experientiæ admotis arietibus, quorum non parvum in medium

d. Invent. Nov. antiq. XXVIII.

l. d. Nat. Homi.

Quæst. Med & Philos.

Canon. de Med. Sol. Præf.

Diss. de Motu Cord. Kil. 1706. §. 4.

llum producit numerum. Hi autem omnes cum parum aut nihil sanguinis circulationi, nostro quidem judicio, derogare possint, supervacaneum ducimus, hisce diutius immorari, veriti, ne rem in se clarissimam prolixis verborum ambagibus reddamus obscuriorem. Potius ad eam, quam in pulmonibus patitur mutationem vitalis noster liquor, divertimus.

XVIII.

Respirationis abstrusum quondam arduumque fuit negotium, illiusque formalis, ut ita loquar, ratio in profundo latuit abscondita puteo. At postquam Viri, quos seculum superius felicissimum genuit, doctissimi BORELLI, BELLINI, BOYLEI, SVAMMERDAMMII, TRUSTHONES, MAYOVII, ENTII, BOHNII, MALPIGHII, aliique cum immortali nominis gloria, unanimi velut consensu, animum difficillimo huic negotio declarando applicarunt, quibus nuper admodum HELVETIUS, ut in ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIBUS 1724. p. 14 relatum legitur, spicilegium quasi post messem instituens, accessit; nunc demum multo, quam antea, certiora de modo usuque respirationis in medium proferre licet. Horum quippe studio virorum, qui

qui ſimul magno artis emolumento naturalem doctrinam, illamque inprimis, quæ de aëre exponit, ad noſtrum retulere negotium, luce jam meridiana clarius eſt, pulmones in reſpiratione mere paſſive ſe habere, & diaphragmati, nec non muſculis abdominis atque intercoſtalibus primas in actione deberi. Tantum enim abeſt, ut pulmones aërem, ſicuti veteribus loqui ſolenne erat, attrahant, ut hic potius ſuarum pondere & elaterio particularum cavitatem pulmonum ſponte, & ex neceſſitate mechanica illabatur. Horum & indefeſſæ debemus induſtriæ virorum, quod, exploſis hodie veterum figmentis, quando vel fuliginum excernendorum, vel refrigerandæ flammulæ vitalis cauſa reſpirationem fieri, ſibi aliisque perſuadebant, primarium hujus functionis uſum clare nunc intelligamus, nullum eſſe alium, quam ut motus inteſtinus ſanguinis, qui totus ab omnibus partibus per venam cavam rediens, ad pulmones abit, horum perpetuo motu, atque in vaſis minimis attritu, hinc vero & aëris acceſſu haud interrupto inſtauretur, ſimul & æquilibrium aëris externi, illiusque, qui ſanguine continetur, integrum conſervetur. Merito ut miremur, Cl. HELVETIUM

VETIUM in tanta anatomicorum luce, veterum, quoad condenſationem ſanguinis in pulmonibus, ſequi caſtra, cui a P. A. MICHELLOTTI nuper admodum ſatisfactum eſt. Quamvis, ſi dicendum, quod res eſt, aëris cum ſanguine mediante reſpiratione communicatio multis etiamnum dubitandi rationibus ſit obnoxia. LAURENTIUS certe BELLINUS non dubitat ſequenti ratione, quid hac de re ſentiat, profiteri: Nec ſenſui patet, " neque ex pulmonum motibus deduci " poteſt, aut ipſum aërem, aut quid ab " aëre ſeparatum, in vaſa ſanguinis pulmo- " naria ex iisdem pulmonibus per reſpi- " rationem derivari. „ Ac, ſi BOHNIUM conſulamus, argumentorum, quæ hanc in rem vulgo afferri ſolent, doctam offendimus confutationem, qui & ipſe alio in loco nondum inter ſe conſentire Commentatores, monet, in quanam inprimis pulmonum parte ſeu ſub qua eorum mechanica illa aëris & ſanguinis commiſcela fiat. Hæc vero ad vivum ut reſecemus, minus videtur neceſſarium, cum otia fecerit ἰατρικώτατος BERGERUS, qui, licet non eat inficias, magnam utique difficultatem aëris ex vaſis aſperis in lævia tranſitum, introitumque in ſanguinem

Ep. ad B. Fonten. Paris. 1724. 4.

Tract. d. Puls. & Ur. ad Lect.

L. c. Prog. IV.

Diff. d. Hæmopt. Lipſiæ 1708. §. VII.

l. c. p 37. seq. nem habere; re tamen pro more exactius perpensa & argumentis a ratione non minus, quam usu rerum desumtis, satis opinor, solide evicit, non subtiliorem modo, quæ multorum est opinio, sed & crassiorem atmosphæræ partem sanguini sub respirationis actu misceri.

XIX.

Ad purpuram microcosmicam in vitali constitutam circulo reversi, operæ videtur pretium, una cum illa aliquantisper provolvi, & quæ notatu videntur digna, ὡς ἐν παρόδῳ attingere. Age igitur provehamur ex sinistro cordis thalamo per arteriam magnam ad varias corporis partes, visuri, quomodo per venas eo, unde digressi sumus, redire queamus. Et de reditu quidem sanguinis, seu transitu ejusdem ex arteriis in venas cum alii aliter sentiant, ad duo tamen referre licet capita, quicquid ab intelligentibus pro verosimili habetur. Quatenus alii sanguinem per arterias advectum in poris partium prius colligi, quam per venas revertatur, existimant; alii autem sanguinem in omnibus fere partibus ex minimis arteriis in minimas venas tanquam recurvos arteriarum tubos sine alterius interventu reduci arbitrantur, argumentis non levis momenti utrinque instructi, quæ omnia ube-

uberiorem mererentur contemplationem, nisi BERGERUS omnem rei fundum pridem occupasset, quippe qui postremam, quam suam facit, sententiam exquisitissimis corroborare nititur argumentis, & secus sentientium objectiones recenset pariter ac singulari ἀκριβείᾳ refellit. Quam eandem viam ejusdem ex fratre nepos JO. SAMUEL BERGERUS, laudatissimo conatu ingressus est, HERMANNUS vero BOERHAVIUS, qui & ipse diu multumque ea in re occupatus fuit, alios inter aperte profitetur. Nostrum cum non sit tantas componere lites, tantorum pace virorum monere licebit, quod posterior hæc sententia, quæ utique longe majori, ac prior illa, gaudet verisimilitudine, sufficienti tamen avtopsia anatomica destituta videatur; tum vero, & cum ejusdem patroni neutiquam inficientur, in nonnullis partibus, membro verbi causâ virili, aliam longe esse structuram, dubium omnino manet, annon in aliis idem fortassis partibus locum inveniat. Ac si curatius rem omnem excutiamus, paucissimas omnino illas esse partes deprehendimus, in quibus dicta vasorum communicatio ac transitus sanguinis ex arteriis in venas immediatus certæ cuidam

l. c. p. 91. seq.

Diss. de transitu sangu. per vasa min. Witemb. 1713.

ac

ac ſæpius repetitæ avtopſiæ firmoque nitatur talo. Et quid ibi fiet locorum, ubi arteriæ cum arteriis, & venæ cum venis manifeſto inoſculantur, id quod in cerebro, utero, placenta uterina, aliisque in partibus ſatis aperte cernitur? quæ & ſimilia a Cl. STAHLIO priori ſententiæ oppoſita dubia paſſim in ſcriptis ejus occurrunt; is quippe per motum partium tonicum ſanguinem ex habitu corporis per venas ad cor retropelli, ratus, ſanguinem, priusquam ex arteriis ad venas tranſeat, in poroſa partium ſubſtantia colligi, nullus dubitat. Ac licet inoſculationem vaſorum minorum, quæ & anaſtomoſis alias appellatur, Vir Generoſisſimus GEORGIUS FRIDERICUS DE FRANCKENAU ſtrenue non ita pridem propugnaverit, ipſemet tamen, tot adminiculis egregiis inſtructus, pro ſummo ſuo candore fatetur, anaſtomoſin videri non poſſe. Omnem igitur oculorum aciem cum hæc effugiant, appoſite certe ad rem ſcripſiſſe THOMAS videtur SYDENHAMIUS: „Nullum microſcopium vel exquiſitiſſime elaboratum exiles iſtos, „meatus, per quos ſanguis per arterias derivatus in venarum oſcula reducendus „tranſmittatur, detegere poteſt.

Poſit. d. Mechan. Mot. Sang. Progr.

Diſſ. I. 2. de Anaſtomoſi retecta.

Opuſc. p. 620.

XX.

XX.

Quocunque autem modo pars craſſior, rubicunda, cruor alias dicta, ad venas ex arteriis perveniat, hiſce tamen medi-antibus cor repetit, nullo amplius medio interveniente, quod ſecus ſe habet quoad partem ejus aqueam, ſeroſo-lymphaticam, utpote quæ per peculiaria vaſa, lymphatica hinc dicta, ad receptaculum lumbare chylique ciſternam delata, demum cum chylo ſanguini in vena ſubclavia ſiniſtra ſeorſim reaffunditur, nullum fortaſſis alium in finem, quam ut chylo in ductum thoracicum depluenti magna copia admixta lympha eundem limpidiorem reddat, motumque ejus & iter ad ſanguinem magis magisque acceleret. Namque ut ab inventoribus illorum, BARTHOLINO, RUDBECKIO, JOLIVIO, aliisque poſtmodum adſertum proditumque eſt, ortum ſuum capiunt in omnibus fere corporis humani partibus, arteriis venisque gaudentibus, & quam ibidem hauſerunt, partem lymphaticam, inferiores quidem receptaculo lumbari, mediæ ipſi ductui thoracico, & ſupremæ venis jugularibus aliisque reaffundunt, nec dubitat Cl. VERHEYEN, quin plura ſint loca inſertionis, ab ana- Tr. I. c. V.

tomicis nondum obſervata. Horum valvulas vaſorum magnopere quondam deſideravit LUDOVICUS BILSIUS, pro roriferis eadem potius habenda putans, cui tamen maſcule FRIDERICUS ſatisfecit RUYSCHIUS, Anatomicorum præſentis ævi facile princeps, laudatas valvulas ipſi ad oculum demonſtrans; ipſum
l. c. c. V. vero quod attinet BILSIUM, hunc judi-
§. 13. ſeq. ce J. D. MAIORE veritatis aviditate ſequeremur, ſi, quæ de chyli per venas rubras motu, & roris per lacteas, adde & lymphaticas, tranſitu perſuaſere orbi anatomico voluit, demonſtratione notabili ulla comprobare potuiſſet, vel per invidiam (ambitionem nolo dicere) aut avaritiam voluiſſet. Sed magis ſcopum noſtrum ferit, quod lymphaticorum exiſtentia vaſorum in omnibus & ſingulis machinæ humanæ partibus extra dubi-
Adenogre Cur. p. 149. um ſit poſita. ANTONIUS ipſe NUCKIUS, qui eadem ubivis ſe reperiſſe, narrat, ubi tamen de Cerebro quæſtio injicitur, nunquam, reſpondet, hac in parte, ut ingenue loquar, hactenus ſcopum „attingere potui. Interim non negan„dum cenſeo, aliquando cerebri lym„phatica in una aut altera parte fuiſſe viſa, idemque F. RUYSCHIUS calculo ſuo

pro-

probat. Duum porro generum eſſe hæc ipſa vaſa, advehentia alia, alia revehentia interventu glandulæ cujusdam conglobatæ diſtincta, idem diligentiſſimus eorum ſcrutator ſibi aliisque perſuaſit, ratus vaſis a partibus extremis oriundis, & ſuperiora verſus tendentibus, unam vel plures interpoſitas eſſe glandulas muſcoſas ſeu conglobatas, quibus veluti totidem corculis lympha magis magisque conquaſſetur ac dividatur, ut eo promptius iter deinde ſuum continuare queat, eamque ſtructuræ & ſitus rationem in omnibus omnino partibus locum habere, nullum ipſi videtur dubium. Tametſi vero non inficiemur, id quod oculatiſſimus iſte Anatomicus ſæpius repetita avtopſia comprobatum dedit, dictam vaſorum & glandularum texturam, in nonnullis, imo forte plurimis obtinere partibus; in omnibus tamen, quo minus id largiamur, vel unæ vetant glandulæ conglobatæ, in quibus peculiaris ſecernitur liquor, id vero in canali inteſtinorum & cortice corporis, per glandulas miliares cutis contingere videmus. Hæ vero glandulæ, ad conglobatarum claſſem ſine dubio ſpectantes, duplici hoc vaſorum genere, ſi quid judico, inſtructæ

esse non possunt. Unde enim orirentur? ab extremitatibus arteriarum? imo vero glandulæ sunt illarum extremitates: ut alia taceam, quæ in hac ingeniosissima, nec plane effecta hypothesi desiderari possent, quod nimirum glandulæ, quæ cordis vice fungi debent, motu tamen destituantur. Hæc igitur quisquis attento animo lustrabit, verissima esse fatebitur hæc Viri Doctissimi G. C. SCHELHAMERI verba: „Est etiamnum cum glandularum historia, tum lymphæ usus perobscurus.

Introd. ad Phy-siol.

XXI.

Quo minus miremur, Cl. J. HEISTERUM negare, dari adæquatam glandularum definitionem, vel descriptionem; quæ enim hactenus circumferuntur, a secretione animali tanquam officio earum desumtæ sunt utplurimum, hanc vero & absque glandularum fieri ministerio, felix recentiorum industria docuit. Enimvero unicum secretionis animalis organon glandulas esse, plerorumque hactenus fuit opinio, quocirca & nihil obstare vides, quo minus data hac occasione, & hoc iter paucis persequamur, quo, ut B. „CONNOR loquitur, coccinei laticis massa, oceani instar, qui varios rivulos per amba-

Comp. Anat. p. 164. seq.

d. Secret. Anim. p. 159.

ambagiosos telluris meatus ad superfi-"
ciem ejusdem mittit, eosdemque denuo"
peracto circulo in sinum suum ebibit,"
diversosque humores in plurimis cola-"
toriis deponit, eosdem rursus in sui tor-"
rentis gremium absorptura. „ Variæ
nempe dantur secretiones liquorum di-
versissimorum, quarum omnium ratio-
nem reddere, impræsentiarum nimis pro-
lixum foret, de modo enim præcipue sol-
liciti sumus, qui multorum exercuit inge-
nia, nec dum extra dubium collocatus.
Præclare hanc in rem Autor modo lauda-
tus; „Stupendum videtur, quod pecu-" l. c. p. 165.
liaris quidam humor in qualibet glan-"
dula constanter filtretur, quod, inquam,"
bilis in solo semper jecore, urina in reni-"
bus, semen in testibus, lympha in glan-"
dulis lymphaticis, spiritus animalis in ce-"
rebro tantum, & reliqui humores in pro-"
prio quisque loco seorsim impermixti se-"
cernantur. „ Multi igitur, ut hinc evade-
rent, in qualibet glandula peculiare col-
locarunt fermentum, cujus beneficio hic
speciatim & non alius separetur liquor,
quod figmentum idem autor solidissimis
elidit argumentis. Nonnulli, qui sapien-
tiores videri volunt, fieri quamlibet se-
cretionem autumant, in partibus deter-

minatis, ob pororum in iis conformitatem, qui certi tantum generis particulas admittant, reliquas vero excludant. At neque hanc ſibi undiquaque conſtare, autorem iſtum rationes admonent non contemnendæ, qui aliam proinde & ſequentem quidem ingreditur viam: „Vera ra-
l. c. pag. 173. „tio, cur bilis v. g. in hepate, aut alius qui-
„vis humor in ſua potius glandula, quam
„in alia filtretur, eſt, quia integrantes ſuc-
„ci bilioſi partes vel moleculæ ex peculia-
„ri ſuorum elementorum proportione
„atque ex conſimili textura ſeu figura ſi-
„bi ipſis facilius uniri poſſunt, quam mo-
„leculis urinæ, lymphæ, aut alterius liquo-
„ris: quæ quidem variis experimentis rationumque momentis comprobata ibidem legas licet, cui & nos facile ſubſcriberemus ſententiæ, modo conſtaret, a quonam directore vel motore mox poſt formatum fœtum, in prima nempe cujusvis liquidi ſecretione, certus liquor ad certum locum determinatus fuerit, ac qua ratione ex hac hypotheſi illi ſatisfieret phænomeno, quando in caſibus nonnullis rarioribus menſes verbi cauſa non per vias ordinarias, ſed ex digitorum apicibus, ipſoque vertice, aliisque locis exitum

tum quæsiverunt, qualia exempla a G. E. STAHLIO, & J. N. PECHLINO, ut alios non commemoremus, proposita sunt. Hinc vero liquidum omnino patet esse, id quod nemo sanæ mentis in dubium vocabit, humoris secernendi partisque secernentis propositionem necessariam utique esse, sed hujus exquisitam determinationem huc usque latere. Nam, ut præclare GEORGIUS advertit BAGLIVIUS, "per strictissimas geometricæ demonstrationis leges nullæ corporis functiones a nobis accurate percipientur, siquidem vasorum diametri & productiones ignotæ, ignoti etiam differentes liquidorum per singulas partes motus, in quibus vita consistit, nec ad exactam Geometrarum demonstrationem possunt reduci."

Diss. d. Mens. Insol. Viis L. I. Obs. 38. 39. 40.

d. Fibra Motr. p. 59.

XXII.

Et hæc quidem de secretione animali in communi pro instituti ratione dicta sufficiant. Ad specialiora descensuros ante omnia de organorum dispositione, in quibus variæ celebrantur secretiones, seu, quod idem, de viscerum nobiliorum, cerebri, hepatis, lienis, renum, quædam præmittere juvabit. De quorum vera œconomia tantum abest, ut veteribus

quicquam effatu dignum innotuerit, ut potius nihil nisi densissimæ tenebræ & crassa ubivis caligo offendatur. Recentiorum vero studio, & MARCELLI inprimis MALPIGHII felici constat industria, & cerebrum, & hepar, & renes, & tantum non omnia secretionis animalis organa, ad glandularum spectare familiam. Quæ quidem sententia usque eo caput extulit, dum F. RUYSCHIUS, neque cerebrum glandulam esse, neque hepar, nec placentam uterinam, lienem, renes, aut pancreas, neque tales esse simpliciores alias dictas glandulas intestinorum, tympani & plexus choroidei, quia viscera hæc omnia ex congerie variorum vasculorum constare, in quorum extremitate secretiones fierent, affirmaret, parumque abesset, quin omnes e corpore glandulas proscriberet; confisus tum rationum momentis haud levibus, tum vero experimentis & præparationibus viscerum artificiosissimis ac nitidissimis, quibus omnibus aliis palmam dudum præripuit, multosque & in hoc capite sibi asseclas conciliavit. Utriusque argumenta sententiæ suo librare pondere cum instituti non magnopere intersit, non contemnenda videntur, quæ Cl. JO. ZELLERUS

Epist. probl. & thesaur. anat. passim.

ERUS de Anatomia glandulosa pariter Thes.
ac vasculosa inter se collatis in medium Med. Inaug. I. V.
protulit. Quocum plane consentiunt Bauer.
MEDICI VRATISLAVIENSES his, quæ Tub.
sequuntur, verbis: „Non ignari quidem" 1704.
sumus, quod fatum glandulis a summa" d. Hydrope Pect.
industria Ruyschii, anatomicorum no-" p. 19.
stro seculo Principis, aliqui metuant, qui" non obscure omnes e corpore proscribe-" re videtur; nihilominus æquum esse ju-" dicamus, receptæ inhærere doctrinæ," cum certiora experimenta, quam quæ" hactenus in epistolis ejus problematicis," adde & thesauris anatomicis, adducta" fuerunt, nos in illius viri castris militare" jubeant. „

XXIII.

Reliquum nunc est, ut varias secretionis species pro instituti ratione perlustremus, visuri quid in qualibet exploratum, quidque minus cognitum offendatur. Has inter principem facile locum tenet illa secretionis species, quæ in cerebro, si plerisque veteribus & recentioribus credimus scriptoribus medicis, celebratur. Qua quidem occasione, & dum eam curatius paulo investigare animus est, nobilissimi hujus visceris structura non videtur prætermittenda esse. Hoc enim

 quam-

quamvis diu multumque selectissima exercuerit ingenia, quorum proin ope, nostra veterum de cerebro scientiam multis parasangis antecellit, plura tamen posteris etiam post examen chymicum a J. T. HENSING tentatum relicta sunt excutienda. In universum, ut L. HEISTERUS opportune advertit, uniuscujusvis" partis cerebri, si unam alteramque ex-" ceperis, usus est ignotus aut certe valde" dubius. „ Quod ut clarius evadat, duplex cerebri hæmisphærium, quo in cerebrum stricte dictum & cerebellum dirimitur, primo in scenam loco prodeat. Hanc enim divisionem non dicis gratia factam esse, nemo nisi qui fungum pro cerebro habet, hariolari potest. THOMAS itaque WILLISIUS, quo huic occurreret dubio, in cerebro stricte dicto imaginationem, memoriam, aliasque functiones animales fieri, atque ab ipso nervos oriri, quibus mediantibus motus quicunque spontanei perficiuntur; cerebelli vero officium esse, spiritus sic dictos animales nervis suppeditare, quibus actiones involuntariæ & automaticæ, quales sunt cordis atque arteriarum pulsus, motus peristalticus ventriculi & intestinorum, constanter fiunt, adserere haud dubitat,

Comp. Anat. pag. III.

eam-

amque hypothesin latius deductam va-
iisque argumentis comprobatam pro-
onit. Præterquam autem, quod ce- Anat.Cereb. cap. XV.
ebelli una eademque in omnibus ani-
nalibus structura, quam probationis in-
er alia affert loco, grande sit postula-
um, crebriori demum autopsia confir-
nandum, universæ certitudinem hypo-
heseos illud unicum facile infringit,
quod primæ nervorum origines in cere-
ro & cerebello adeo sint subtiles atque
bscuræ, ut omnem, quantumvis instru-
tissimam, oculorum aciem eludant. Ven-
riculi cerebri in magna olim erant au-
oritate, utpote quos pro primario spi-
rituum animalium promptuario vene-
anda habuit antiquitas. Dies deinde
diem cum docuit, dictos sinus hoc mune-
re neutiquam fungi posse, nunc vel ni-
nil amplius, vel admodum incerta de usu
eorundem in monumentis anatomico-
rum legas licet, nisi illis accedere lubeat,
qui hanc cerebri divisionem in quatuor
quasi sinus ex necessaria fibrarum medul-
larium explicatione, & dispertita in va-
rios fasciculos collectione oriri volunt;
quæ tamen assertio minime respondet
primario illi phænomeno, quod in ven-
triculis cerebri ordinarie notabilis hu-
moris

moris ſeroſi limpidiſſimi quantitas repe-riatur, fruſtra id negante & pro morbo-ſo habente Cl. BOHNIO. Alii igitur lym-

l. c. Progr. XX.

pham hanc undecunque depluentem per infundibulum demitti putant ad glandu-lam pituitariam hoc nomine ab antiquis donatam, quod ab eadem magnam muci ſeroſi copiam, quæ per nares faucesque quotidie excernitur, derivabant; cujus ta-men figmenti vanitatem ab omni auto-pſia anatomica alienam, præclare dudum C. V. SCHNEIDERUS aliique oſtenderunt.

l. d. Ca-tarrhis & d. offe cribrif.

Hæc igitur animadvertens P. VERHETEN vero ſimilius judicat, aquam ventricu-lorum cerebri beneficio glandulæ pitui-tariæ in duas ſeparari partes, earumque alteram in venas jugulares, alteram ad os & nares transmitti; neque ad hoc re-quiri exiſtimat foramina ſellæ equinæ in-ſculpta, cum poſſint inter vaſa ſanguife-ra, glandulæ pituitariæ copioſius adja-centia, abſcedere quidam parvi tubuli excretorii, ac deinde eadem, per quæ ar-teriæ carotides ad cerebrum adſcendunt, vel nervi egrediuntur, foramina traji-cere. Quæ quidem, judice acutiſſimo

l. c. Tr. IV. c. 7.

BERGERO, eſt res in conjectura poſita. Eosdem patitur manes, quam antea lau-datus autor ſubjungit, meditatio, quan-

l. c. pag. 285.

l. c.

do

do monticulorum natiformium in cerebro munus circa cibi, testiformium circa potus appetentiam versari autumat: licet enim hanc suam conjecturam stabilire argumentis annitatur non omni verisimilitudine destitutis; nos tamen eidem fidem neque dare, neque adimere audemus, in re minus explorata τὸ ἐπέχειν satius ducentes. Neque multo certiora de glandula pineali, quæ animæ sedes R. CARTESIO, ejusque asseclis credita semper fuit, hac fere explosa sententia adserere nunc licet, nisi communi cum aliis glandulis munere hanc quoque fungi arbitremur, vasa vero lymphatica, vel ductus excretorios post A. NUCKIUM, & F. RUYSCHIUM in toto cerebro, adeoque & glandula pineali, quod constat, invenit nemo. Duas porro esse cerebri membranas seu meninges, duram & piam, neminem fugit, quibus cum tertiam a se inventam, arachnoidem dictam, GODOFREDUS BIDLOO, ea vero non semper & ubique inveniatur, nec dum satis constat, an pro peculiari membrana, an pro tenuis lamina meningis cum RIDLEY habenda sit. Duram vero meningem, pro altero veluti diaphragmate habendam esse, cujus ope

Anat. C. H. Tab. VIII.

Anat. Cerebr. cap. 2.

ope cerebrum ſpiritus nitro-aëreos hauriat, & quodammodo reſpiret, JOANNES cenſet MATOVIUS. GEORGIUS vero BAGLIVIUS, una cum ANTONIO PACHIONO id frequenti & ſedula duræ matris inveſtigatione ſe deprehendiſſe exiſtimant, eandem non modo peculiari & cordi contradiſtincto gaudere motu, ejusdemque ope fluidum in nervos, ut illud ſanguinem in arterias propellere, ſed & fibras omnes membranaceas, quæ in vaſis, glandulis & viſceribus occurrunt, conſtituere, ſicut ex adverſo, fibræ carneæ in muſculorum, tendinum & oſſium fabricam compingendæ, ex corde, proficiſcuntur. Ac licet, quoad prius, pridem ab aliis demonſtratum ſit, motum, qui in dura obſervatur meninge, arteriis indeſinenter pulſantibus deberi; poſterius tamen quod attinet momentum, non deſunt hodieque, quibus ſyſtema omne membranaceum a meninge utraque, & dura inprimis, originem ſumere, veroſimile omnino videtur. Quo nomine & JOHANNES HIACINTHUS VOGLI, & MEDICI præſertim BEROLINENSES laudandi veniunt, qui poſtquam abortus ſeptimeſtris monſtroſi, ſine cerebro & cranio per undecim horas viventis, mentionem fece-

d. Motu Muſc. & Spir. An. cap. 4.

L. d. fibra Motr.

Act. Er. Lipſien. 1701. p. 415.

Hiſtor. Fluidi Nervei.

Act. Medic. Vol. VIII. p. 13. 20.

ecerunt, conſpectum fœtuum ſine cere-
ro natorum, tam vitalium,quam non vi-
alium exhibent, tandemqne conclu-
unt, membranarum meningæarum lon-
e majorem eſſe neceſſitatem ad ſtabilien-
um ſenſum & motum viventis animalis,
uam cerebri, cerebelli, & ipſius medullæ P.P. Lipſ.
pinalis: quemadmodum Cl. Vir, M. E. 1721. ad
TTMüLLERUS fuſius hæc omnia per- Diſſ. d.
ecuus eſt. Nat. Med.

XXIV.

Videlicet, quando de ipſa nunc ſecre-
ione, quæ in cerebro fit, verba facienda
unt, primo ſtatim limine occurrunt, qui
nihil in cerebro ſecerni, quod in nervos
deinde derivetur, nervosque impervios
eſſe, arbitrantur. Cui quidem ſententiæ
ex vetuſtioribus ARGENTERIUS, ex re-
centioribus vero BIDLOO & STAHLIUS
patrocinantur. Conſtans quondam fuit in
ſcholis Medicorum ſententia, ſpiritus,
quos appellabant, animales, a ſanguine
per arterias advecto in cerebro ſecerni,
perque nervos ad omnes deinde partes
pro ſenſu & motu præſtando, amandari.
Noſtris vero temporibus animalium exi-
ſtentia ſpirituum prorſus in dubium vo-
catur, ita tamen, ut alii ejusmodi quid-
piam nervis nulla cavitate, ſed reticulari

tex-

textura gaudentibus contineri, plane negent, alii a ſolo tantum nomine ſpirituum abhorreant, fluidi vel liquidi nervei appellatione magis delectati, quemadmodum A. O. GOELICKE ſingulari labore copioſius expoſuit, quando ſpiritum animalem e foro medico penitus relegatum publico dedit, cui P. BURGGRAVIUS, exiſtentiam ſpirituum nervoſorum denuo adſtruendo, reſpondit. Illud videtur dubio carere, nervos, licet vacuos, & nullo liquido gaudentes, debito autem tono & vigore præditos ſenſus motusque inſtrumentum eſſe poſſe, & quæ in ſtatu p. n. ab influxu ſpirituum depravato, retardato aut plane impedito deſumuntur argumenta, robori nervorum vitiato eodem jure deberi. Ponamus autem, ſecerni in cerebro Spiritus animales, ſeu ut hodie audit, ſuccum, liquidumve nervorum, atque per nervos ad varias deinde partes derivari, id quod ex ſanguine copioſius & tertia fere ſui parte ad cerebrum advecto, ipſius vero cerebri, & partium vicinarum fabrica, manifeſtum eſſe, plurimis videtur, ipſum ſane productum ſeu liquidum quod attinet, graviſſimæ ſane de eodem in ſcholis Anatomicorum viguere ſemper lites, dum alii igneæ, alii ſulphu-

Francof. ad Viadr. 1725.

Francof. ad Mœn. 1725.

sulphureæ, nitrosæ, vel æthereæ naturæ, alii illud esse, sibi aliisque persuaserunt, quin & nonnulli eo progressi sunt, ut succum quendam, nutriendis partibus destinatum a cerebro per nervos iisdem advehi, existimarint. Quorum omnium argumenta prolixius recensere, nostrum jam non est, præsertim cum plerisque ab aliis jam satisfactum sit. Hodie, nisi me fallunt omnia, ad duo summa capita reduci possunt diversæ eruditorum hac de re sententiæ, dum alii sub forma aërea aut vaporosa, alii sub fluoris specie nervorum rigari poros, arbitrantur. Posterius & cerebelli cerebrique conformatio, & analogia cum reliquis secretionibus, imo, si nonnullos audias, ipsi testantur sensus; prius vero celerrimus pariter influxus ac præter alia duplex experimentum a quolibet facile tentandum persuadere videtur: nimirum quod nervi nec ligati super vinculum intumescant, nec dissecti aliquid humiditatis plorent. Sub" quorum argumentorum utrinque repu-" gnantia, inquit ὁ πάνυ J. BOHNIUS," quid probabile magis, quidve eligen-" dum sit, fateor, dubius hactenus hæsi, &" adhuc hæreo." Ut adeoque in suspenso maneat succi nervosi, tantopere a non-

l. c. pag. 309.

nullis decantati existentia, spirituum vero animalium incongrua valde appellatio rem omnem nullo modo exhauriat. Ac quomodocunque appelletur ipsa hæc materia subtilissima agillimaque, sitque extra omne dubium positum, eandem indesinenter a cerebro ad partes quasvis per nervos propelli; quid ulterius de illis contingat, ea de re nil nisi meras ubivis conjecturas reperias licet. Equidem nonnulli cum Anonymo quodam Gallo peculiarem succi nervei circulum, quo eundem ad partes delatum per vasa redire lymphatica volunt, vel tali liquidum hoc nervis comprehensum gaudere motu circulari cum M. G. LOESCHERO arbitrantur, ut a cerebro per nervos duros motionibus humanis destinatos ad partes corporis omnes, inprimis musculosas provehatur, & simul ad nutum animæ motiones animales producat: deinde in partibus transire ex iisdem in nervos molliores sensationibus destinatos, & per eosdem ad cerebrum iterum placido motu remeare sensationesque simul externas propagatione commotionis ab objectis externis in organis sensoriis excitatæ efficere. Sed quis non videt, hæc talia pulchra esse ingenii commenta, diuturno rerum usu

Tract. d. Spirit. Circulat.

Tentam. d. Novo Succi Nerv. Motu d. Anima Ho. Mat. Insens. VIII.

usu & avtopsia sæpius iterata demum confirmanda. Enimvero vera & accurata huc usque desideratur notitia, an succus aliquis nervis revera contineatur, an, si adsit, ad partes indesinenter dispensatus, per venas albas aut rubicundas reducatur; an per duriores nervos advectus per molliores redeat? aut in nervis hinc inde ultro citroque decurrat? an vero munere suo defunctus per insensibilem transpirationem in auras abeat? an denique cum humoribus reliquis vel partibus solidis pro nutritione, secretione, vel alium in finem commisceatur? Necdum enim, ut pulchre T. BARTHOLINUS scriptum " reliquit, singula ita nobis revelavit Na-" tura, quin scrupuli supersint in animis" eruditorum, quos nemo hactenus satia-" re potuit. Futurum aliquando augura-" mur, ut hæc aliaque dubia manifestius" nobis pateant. Lento enim gradu pro-" greditur, nec universa unius seculo ex-" hauritur. " Cent. IV. Ep. 65.

XXV.

Interea posterior hæc contemplatio, nos ad singulare quoddam, & notatu dignum, paucis vero animadversum deducit phænomenon. Nimirum, cum ὁμοθυμαδὸν hactenus creditum sit, nervos, li-

quidumque illis comprehenſum nullum alium corpori præſtare uſum, quam qui ſenſu motuque abſolvitur; conſtat autem, dari partes, hepar, verbi cauſa, lienem, fauces, numeroſisſimis nervorum propaginibus ſtipatas, quæ tamen nullo eximio ſenſu motuque gaudent. Quare quo & huic difficultati fieret ſatis, multis hodie ſtat ſententia, lympham nervorum, præter uſum, quem ſenſui motuique præſtat, ſecretioni animali non parum quoque velificari: quod dum ſentiunt, rurſus ab invicem ſecedunt, quatenus alii cum G. COLE lympham nervorum humoribus ſanguinis commiſceri, eosdemque fermenti inſtar ſolvere ac ſegregare, & ſingulis eorum particulis motus determinationem imprimere ac in ſuos quaſi uſus porro dirigere, exiſtimant. Cum B. CONNOR vero alii ſuccum nerveum materialiter, ut ita loquar, cum liquoribus ſecretis permiſceri ſibi perſvadent, indeque varia, ac præcipue illud derivant phænomenon, quod variorum excretionem humorum magna ſæpius inſequatur virium proſtratio. Alio rurſus modo, fluidi nervei ad ſecretiones varias concurſum fieri docet doctiſſimus BERGERUS, quod nimirum ſuccus ille tonum fibrarum motricium,

Cogit. d. Secret. Animali

l. c.

l. c. pag. 322.

um, quæ vasa in organis secretoriis ambiunt, conservet, quo pressa succussaque vascula intorta varie & convoluta in glandulas nusquam quietem humoribus concedant, atque adeo progressiones succorum, derivationesque ubivis sine intermissione peragantur. Adeo in profundis ejusmodi & abditis rerum causis investigandis omne perfectionis punctum absolvere, difficillimum semper fuit. Hinc vera sunt illa F. J. WALDSMIDII: Neminem latere puto, corpus humanum esse machinam tot tubulis, vasis, elateribus instructam, ut ea, quæ de illa Anatomicorum industria detexit, sint minima pars eorum, quæ adhuc detegenda supersunt. Diss. de Generat. Ho. §. 6.

XXVI.

Enimvero dicta forsan ratione, quamobrem in liene speciatim tot nervorum conspiciantur surculi, clarum esse, simulque visceris hujus usus alias valde obscurus, quadantenus patere potest: præsertim, si his ingentem lymphæ copiam, quæ per vasa lymphatica densissimo hic agmine decurrentia celebratur, separationem addideris. Placet hæc BERGERI iterum verbis elegantissimis exprimere: "Omnem vasorum lienis congeriem intra du-" l. c. pag. 216.

 plicem

„plicem membranam adeo concinne ele-
„gantique artificio in retis cujusdam mi-
„rabilis modum contextam non vana opi-
„nione auguramur, ut ſanguis, qui per
„arteriam capaciſſimam & ſerpentino
„reptatu progredientem, atque multi-
„plici ſuorum ramulorum diremtu te-
„nuiſſime diviſum in omnes eorum ſpiras
„ac convolutiones, preſſu & contractione
„ambientium, capſulæ muſculoſæ fibra-
„rum longe lateque diffunditur - - a ſua-
„rum partium cohæſione magis divella-
„tur, atque in plures multo minores ſu-
„perficieculas ſectus & ſolutus, emiſſa
„magna lymphæ parte, in vaſa lymphati-
„ca fluidior, & mobiliſſimus per venæ ra-
„mos exprimatur, atque in portæ propul-
„ſus truncum, hujus quoque ſanguinem
„diſſolvat, & bilioſas ejus particulas a
„compedibus gelatinæ, cui adhuc cohæ-
„rent & intextæ ſunt, exturbet & divellat.
Hæc, inquam, ſunt, quæ de uſu lienis huc usque omnium probabiliſſime differuntur, qui omni ævo adeo obſcurus fuit viſus Medicorum filiis, ut de ejus inveſtigatione deſperantes multi, viſcus hoc nullius plane uſus eſſe, exiſtimarent; alii vero varias eidem utilitates adſcriberent, quemad-

mo-

modum ab A. Q. RIVINO justa serie relatum est, qui & ipse, rejectis reliquis de usu lienis autorum sententiis, hunc in finem lienem animalibus esse datum, autumat, ut serum, quod transudat, partes circumjacentes lubricare valeat, qua verosimilitudine, penes alios judicium esto. J. BOHNIUS certe, erudite quamvis de usu lienis disputaverit, nihil tamen certi determinare ausus est, uti ex hisce elucet verbis: „ Hoc omnes fateri cogimur," nullius forsan visceris & membri usum" abditum magis latere, ac præsentis, ut-" pote cujus non tantum agendi modum," sed actionem ipsam ignoramus, cum re-" liquorum omnium functionum ætiolo-" gias ni explicare liceat, certe de functio-" ne ipsa, qualis sit, constet."

Diss. de Lienis genuino usu §. 39.

l.c. Prog. XVIII.

XXVII.

De omento antiqui crediderunt, illud calore suo intestina fovere, & ab injuriis externis defendere; hodie vero multi id cum MALPIGHIO pro officina & promocondo pinguedinis habent. MEDICI vero BEROLINENSES ex revolutione ejus & implicatione in sectionibus cadaverum frequenter observata, colligunt, esse & vigere etiam in hac corporis parte motum quendam tonicum vitalem, imo

Act. Med. Berol. X. IV. p. 33.

præternaturalem quoque, ſpasmodicum & convulſivum. Quo vero obſcurior in hunc usque diem eſt lienis & omenti uſus, tanto clariori luce radiat, ab hepate, cujus ille vicarius audit, quod corpori accedit emolumentum. In hujus enim glandulis aciniformibus, vel, ut aliis placet extremitatibus vaſorum, deponit M S. materiam illam ſalino-ſulphuream, quam bilem appellamus. Cujus proinde gratia multiplici ductuum ſerie viſceri huic proſpectum eſt, quorum alii bilem mox ab hepate ad inteſtinum duodenum, alii eandem prius in veſicam felleam, & ex hac deinde per eundem ductum communem ad duodenum transferunt; ac pro hac muneris diverſitate, mox ductus hepatici, mox cyſtici, mox hepatico - cyſtici mox denique pori communis cholodochi appellationem ſortiuntur. Præter hos vero, & ſi qui ſunt ſimiles, alios adeſſe ductus biliarios nondum notos, ſuſpicatur Cl. BOHNIUS his, quæ ſequuntur, verbis: „Diverſis experimentis inſtructus aſſerere haud ambigo, præter inoſculationem ductus hepatici & cyſtici manifeſtam, forſan intrinſecus latere quosdam canales intermedios, qui ipſi hepatis ſubſtantiæ immerſi,

l. c. pag. 270.

inter

inter hepaticum porum & veſiculæ cer-“
vicem mutuum ſervent commercium.„

XXVIII.

Liquoris obſcœni in renibus ſecretionem deſideratis inſerere detrectarem, niſi M. MALPIGHIUS, commercium inter vaſa emulgentia, & ureteres nunquam ſe experimento ſatis firmo aſſequi potuiſſe, conquereretur. Cui tamen dubio, aliisque a CASPARE BARTHOLINO, nepote, & J. BOHNIO ex aſſe ſatisfactum novimus. Aliàs vero peculiares in ſcholis anatomicorum circumferuntur ductus, per quos urinam potus, quam appellant, nonnulli ex primis ſtatim viis, ad renes vel veſicam devehi, opinantur, idque ex aquoſa urinæ facie, & rapido, qui nonnunquam obſervatur, exitu ejus, evincere ſtudent. Hoc certe dubio motus J. D. MAIOR hanc in ſententiam ſcripſit: ſed quid ſi vel totus iſte latex,“ vel aliqua ejus pars, intactis renibus,“ per vias breviores, humanis oculis qui-“ dem nedum perveſtigatas, ex ſede ta-“ men inteſtinorum ſtatim in ſinum veſi-“ cæ obſcure feratur? Nobis vero, cum non liceat, in hiſce excutiendis prolixiores eſſe, placet doctiſſimi ἐπίκρισις BERGERI: Falſo ſuppoſiti & commentitii ſunt du-“

de Ren. c. p. 3.

Admin. Anat. c. 6.

l. c. Prog. XIV.

l. c. c. VI. §. 15.

„ctus illi aquosi, atque a nemine unquam „post tot in scholis totius Europæ facta „repetitaque pericula cogniti, aut oculo „certe vacillante & decepto visi, quan„do nonnulli vasa lymphatica pro talibus „frustra habuerunt.

XXIX.

Syst. Vas. Nov. Pari forsan numero locoque habenda sunt vasa illa nova a RAYMUNDO VIEUSSENS descripta, ac illa præsertim, quæ ab autore & inventore suo adiposa appellantur, atque in mesenterio præsertim, tum vero in aliis quoque partibus collocantur. Ingens enim remanet dubium, annon vasa lactea vel lymphatica, aliaque adiposorum specie viro imposuerint celeberrimo. Nec dubito, quin idem prorsus de ductibus oculorum aquosis, ab A. NUCKIO solo forsan visis, quibus ipse humorem aqueum secernendi munus tribuit, habendum sit. Defens. & descr. duct. aquos. annex. Sialogr. Certe, qui summam arteriarum capillarium, in oculo præsertim subtilitatem, quæ omnem tandem sensum effugiunt, paulo curatius expendere haud detrectaverit, facile perspiciet, nullo negotio vascula hæc tenuissima, & tela aranearum vix adæquantia, oculum præsertim armatum fallere sub ductuum specie singularium posse.

Imo

Imo vero arteriæ ſunt, quæ partibus ſingulis humidum ſufficiens pro nutritione aliisque uſibus afferunt, ut nullis aliis, niſi manifeſtis viis indigeamus, quemadmodum hæc WARNERUS CROWET ſolide evicit. Nec multum diverſa, de vaſis lymphaticis oculi nervoſis, deque tunicæ retinæ in quinque tunicas diviſione, ſimilibusque ab HOVIO in medium prolatis, de hiatu item RIVINI in membrana tympani, deque oſſiculis auditus ultra modum multiplicatis, ut Cl. HEISTERUS opportune advertit, ſentiamus licet. Ne ductus ſalivales novos a G. D. COSCHIVITZIO, A. VATERO, & A. F. WALTHERO repertos amplius commemoremus, poſtremos certe J. B. MORGAGNI diſertis adſcribere verbis non veretur. Anonymus in ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIBUS, cui alius reſpondet Anonymus: de veris ſublingualibus ductibus recens a ſe in Germania inventis te autor plenius docet in exercitatione, qua inventionis laudem meruit: ſicut alii induſtriæ & in agendo dexteritatis teſtimonio non fraudandi erunt: ductus autem ſuos ad latus verſus gingivas excurrentes ab aliis hactenus non viſos non admitti ante, quam clarius deſcripſerint, con-

Diſſ. de trib. ocul. Humor.

de Motu Circul. Humor. Oculi.

l. c. pag. 207. 209.

1724. Jul. pag. 291. 1725. Jul. pag. 325.

conspiciendosque exhibuerint, eorum autores non inique ferent. Multum quippe vereor, ne in hæc & similia inventa, hæc, quæ sequuntur, apprime quadrent illa STAHLII verba: „Dum inverso ordine fit progressus, & non tam „cordi habetur, quid proprie desit arti, „certos fieri, & solide cognoscere, defe„ctus etiam recte atque ordine corri„gere ac supplere, sed potius quidlibet „ingerere, assuere, imo sine ullo ordine „coacervare, tantum certe abfuit, ut „hisce modis atque viis longitudini artis „verum compendium conciliatum sit, ut „potius inextricabiles ambages & laby„rinthi conficti & confecti esse appa„reant.

P. P. d Arte Longa.

XXX.

Nutritionis, cujus antea mentio facta est, occasione, quoddam lubet formare problema, cujus solutioni cum ipsimet nos impares profiteamur, eandem a sagacioribus expectamus: nulla videlicet est in corpore vivo pars, quæ, dum salva est, nutritio non perfundatur succo, e quorum censu nec ipsæ arteriæ cæterique ductus, qui aliis partibus nutrimentum afferunt, eximendi sunt. Sed vero hi ipsi ductus, licet minimi jam sint, aliis

tamen

tamen ſive ductibus, ſive poris tubulisque ad ſui nutritionem indigent. Id verone in infinitum ita producatur, quæritur non inepte, in quotnam vaſculorum myriades diremta ſit machina noſtra mere vaſculoſa ſoli forſan conditori cognitas? tum vero, an aliquis horum terminus detur? an vero ultimi forſan tubuli proprio, quem vehunt, ſucco nutriantur? BERNHARDUS certe ALBINUS utrumque omnipotentiæ divinæ, quam nimium audax foret, qui ſuo intellectu limitaret, neutiquam repugnare, a parte vero noſtri nihil eſſe, quod priori opponamus, niſi quod nulla imaginationis vi rem aſſequamur, apposite judicat. THEODORUS vero KERCKRINGIUS rem hanc tanti fecit momenti, ut ejusdem contemplationi integrum Caput deſtinaverit, in quo, præter alia rei dubiæ documenta, immania elephantorum, balenarumque anatomice examinata corpora forte clarius id doctura in medium producit, hisque finit iſtud verbis: „Ego, dum ea viſendi curioſitati" meæ dabitur occaſio, ἐπέχω. Nam," uti, quæ clare vidimus, eſſe in rerum" natura libere pronunciamus, ita, quæ" non

Or. d. incr. & ſtatu A. M. Sec. XVII. Pag. 49.

Obs. Anat. XXVI.

„non vidimus, ſint, nec ne, ab experi-
„entia diſcere avemus.

XXXI.

Somni maximam eſſe ad vitam continuandam neceſſitatem, exemplo patet eorum, qui diu ſomno carentes vitam cum morte commutarunt, aut certe miſerrimam vixerunt, qualis Mecænati contigit, qui per triennium perpetuas vigilias ſuſtinuit, donec tandem tabe conſumtus periit; ſed quid ſit ſomnus, & in quonam conſiſtat, non adeo, ut ipſe ſomnus, in ſenſus incurrit, ut ad obſcuram rerum ſimplicitatem cum STURMIO ſomnum optimo jure retuleris. Somni, ſunt verba WILLISII, quem „quotidie experimur & patimur, quæ ſit „ratio formalis, eſſentia ac cauſa, fere in „totum neſcitur. Nemini vero magis hoc argumentum curæ cordique fuiſſe, quam BERNHARDINO videtur RAMAZINO, qui ſæpius ſecum ipſe quæſivit, cur tantæ neceſſitaris ſit ſomnus; ſed nihil occurrere potuit, quod animum ejus veritatis avidum ſatis expleret, neque enim ad reparanda quotidiana ſpirituum diſpendia, neque ad ciborum in ventriculo coctionem & nutritionem eo melius perficiendam tantam ſomni putat eſſe neceſſi-

d. An. Brut. p. I. c. 16.

d. tu. Val. Princ. c. VII. p. 75.

cessitatem, ut damna, quæ ex somni carentia contingunt, nulla alia re pensari valeant, nisi somno ipso; ac licet ipsi præ cæteris valde videatur probabile, fibrarum tonum tempore vigiliarum usque tensarum, in somno laxari, quiescere & in media quadam statione consistere, indeque, & quod cuncta animalia, ipsosque homines situ incurvo dormire, constat, ob situm corporis necessario aliquando mutandum, maximam somni necessitatem evincere annitatur, aliis tamen felicioris ingenii isthæc perscrutanda reliquit, manifesto documento, verissima esse, quæ Vir Celeberrimus, JO. DOLÆUS, scripta reliquit: "Si bene hanc artem medicam consideremus, " certe in ea multa abstrusa e puteo veri- " tatis, ut jam exhausta, sic plura exhau- " rienda esse, experientia mille testes, al- " bum nobis calculum adjicit. Quinam " enim est Medicorum tam veterum, " quam recentiorum, qui non ingenue " fateatur, multa in præclarissima artium, " medicina nostra, aut plane abdita ad- " huc, aut nequaquam satis enucleata " & a veteribus nondum in totum exhau- " sta esse, sed & recentioribus multa ad- " huc invenienda restare. "

Op. append. pag. 2.

XXXII.

XXXII.

Ad desiderata sigillatim anatomica & Anatomiam, quam vocat Comparatam, is, cum quo exorsi sumus, refert VERULAMIUS; quando nimirum varia animantium genera cultro subjiciuntur anatomico, atque ex eorundem & partium variarum varia structura magnum accenditur œconomiæ animali lumen. Huic autem desiderio a M. A. SEVERINO. G. BLASIO, multisque aliis in GALLORUM, DANORUM, ANGLORUM, GERMANORUMQUE EPHEMERIDIBUS satisfactum est. Comparatæ vero Anatomiæ & illam, quam alias solemus appellare practicam, nomine laudato supra scriptori venire, inspicienti ipsum patet; quando nimirum variis morbis defunctorum viscera peritas exercent manus, quo ex inventis ibidem singularibus & in ipsam praxin anatomes hujus redundet utilitas. Sed & huic desiderio inter alios a J. KERCKRINGIO, F. RUYSCHIO, G. BIDLOO, inque primis a J. J. WEPFERO obviam itum est desiderio, utpote qui apoplexiæ causas rimatus viam insimul ostendit, qua in cæteris quoque morbis progredi deceat. Omnem vero hujus rei fundum occupavit, multamque promeruit famam

l. c.

Zoot. Democr.

Anat. Animal.

Spicil.

Observ. Anat.

Obs. Anat.Chir.

Obs. Anat.Chir.

l. d. Apoplexia.

famam, edito vasto satis Anatomiæ Practicæ opere, quod sepulcreti titulo insignivit T. BONETUS. Imo vero omnes procul dubio longo post se reliquisset intervallo THOMAS BARTHOLINUS, nisi insigni totius Reipublicæ litterariæ luctu furens vulcanus musas viri optimi immani admodum ratione turbasset: Sed nunc, eheu, & instructissimam Bibliothecam, & hoc inprimis anatomiæ practicæ opus æternitati consecratum, ablatum hac tyrannide & in favillas redactum lugemus! Sed non desunt rursus, qui de anatome ejusmodi practica cum Cl. BOHNIO non adeo magnifice sentiunt, quod causæ vel nullæ, vel aliæ prorsus in cadavere inveniantur, quam quæ morbum fovere, mortemque producere possunt, & causarum producta sæpius cnm causis, & versa vice hæ cum illis non raro confundantur. Mirabere ergo, sunt verba ALBINI, cur "corpore dissecto, & manibus ita expli-" "cato, ut partes omnes oculis pateant," "nullam sæpius mortis causam invenia-" "mus; in his enim tam parvis tam nullis" "maxima vis est. Sed hæc & infinita alia" "sunt, quæ oculatas prosectorum manus" "subterfugiunt, infinita ergo in corpore" "extant, quæ non cognoscimus, infinita" sunt,

Diss. de Exp. Fall. §. IX.

l. c. p. 50.

„ſunt, quæ artis noſtræ perfectioni ob-„ſtant, & poſteritati reſervantur.»

XXXIII.

Hoc enimvero ut deſideratorum anatomicorum omnium maximum & deſideratiſſimum eſt; ita ignorantiam anatomicorum, neminem pudeat cum doctiſſimo J. H. HEUCHERO aperte profiteri, quæ ſi ad vivum omnia reſecare animus eſſet, plura dicenda reſtarent. Quis enim dubitabit de veritate aſſerti T. SYDENHAMII: „Quinimo ſunt & alii fere „innumeri, iique affabre concinnati mea-„tus ac pori in hac miranda hominis com-„page, quos nemo hominum, ne per ſom-„nium quidem vidit. Quid vero futurum, quidve ſperandum, ominandumve ſit deſideratis anatomicis, hiſce, quæ ſequuntur, T. BARTHOLINUS profitetur: „Quod ſi tantum arti anatomicæ adiicie-„tur a poſteris, quantum nos majorum „defectum ſupplevimus, ante mundi oc-„caſum perfectam artem ſperare mortales „poſſunt. Imo vero eo usque valebit, ut hodieque in valore eſt illud SENECÆ: „Multum quidem egerunt, qui ante nos „fuerunt, ſed non peregerunt, mul-„tum adhuc reſtat operis re-„ſtabitque multum.

Diſſ. de Ignor. Anat. Vitemb. 1710.

Opuſc. p. 620.

Cent. IV. Ep. LXV.

II.

II.
DESIDERATA
PATHOLOGICA.

I.

EAm esse medicinæ, qua hodie floret, faciem, ut in nonnullis antiquum superet splendorem, in aliis vero ab ejus dignitate, & pristina forma multum deficiat, atque ingentibus etiamnum laboret difficultatibus, una est cordatiorum sententia. Prius quod attinet, loquuntur id tot neotericorum inventa, quibus ingenio singulari pollentes viri adhibita indefessa industria, ultimis hisce temporibus certatim Medicinæ penum locupletare annisi sunt; eo minus in hoc culpandi, quod talia ingenii sagacitate, & fati bonitate adjuti propalarint, de quibus ne somniarunt quidem veteres, & quibus magnam rebus medicis, si verum fateri lubet, accenderunt lucem. Sed nec posterius, rem curatius perpendenti, dubium amplius aut obscurum videbitur. Id quod eundo per partes haud difficulter ostendere licet, atque in ea inprimis parte, quæ de morbis eorumque causis exponit,

nit, manifeſtum eſt. Probe id intelligens H. CONRINGIUS, hanc in ſententiam ſcripſit: „Cum alia artis noſtræ, tum „præcipue illa, quæ circa id, quod præter „naturam humano corpori evenit, occu„pantur (quam partem vulgo παθολογίαν „nuncupamus) multum adhuc a juſta per„fectione videtur abeſſe. Ut nihil tan„dem aliquando ſit, quod in arte deſide„retur, haud ignoro ſane, quæ eſt nativa „ingenii noſtri imbecillitas pariter & re„rum obſcuritas, fieri non poſſe. Verum „tantam perfectionem neque ego neque „alius prudentior exigit; id doleo, multa „hactenus negligi, multa neſciri de mor„bis humanum corpus infeſtantibus, ut „hoc unum nunc tangam, quæ tamen „debita facta attentione jam dudum po„tuiſſent exacte intelligi.„ Quocum plane conſentit F. HOFFMANNUS, his, quæ ſequuntur, verbis: "Turpe dictu, aſt ve„riſſimum eſt, ſub tanto apparatu præ„ſtantiſſimorum inventorum circa rem „phyſicam, anatomicam, botanicam, „chymicam, utiliſſimorum æque ac cu„rioſorum ſpiſſis tenebris involutam ac „circumfuſam adhuc latere pathologiam „& praxin medicam ita, ut nihil minus „rationale, ſi rem non velimus diſſimula„re, in pluribus dici queat. Videmus id, quan-

Præf. Obſ. p. Salmuth.

Præf. Op. P. Poter.

quando ad lectum venimus, quomodo“ ſpeculationes & hypotheſes noſtræ fal-“ lant, quomodo ubique hæreamus in“ cauſis reddendis horum vel illorum,“ quæ accidunt ægris, tam ratione morbi,“ quam effectus medicamentorum, vel“ prognoſeos, quamque rationi minus re-“ ſpondeat vulgaris theoria prudenter in-“ ſtitutæ praxi.„ Quo quidem loco, ut in- genue deſiderata recenſet pathologica Cl. Vir, ita duplicem ejus rei cauſam alle- gat, defectum nempe ſufficientis cognitio- nis hiſtoricæ, ſive obſervationum circa quemvis morbum, quoad omnes circum- ſtantias, & ignorantiam ſolidiorum prin- cipiorum in phyſica & conſequenter in medicina, quod poſtremum ad ætiologi- am morborum haud obſcure referre li- cet: in hoc pariter CONRINGIUM ſecu- l.c. tus, utpote qui duabus quoque de cauſis multa in pathologicis hodieque deſidera- ri exiſtimat: ignoratione nempe & ejus, quod ad plenam morbi alicujus facit in- telligentiam, & viæ, qua ad illam perve- nitur, quodque perſvaſum vulgo ſit, ad cu- randi facultatem, in cujus uſum morbo- rum ſcientia ſolet expeti, accuratam adeo doctrinam minus eſſe neceſſariam. Hoc igitur geminum caput, Hiſtoriæ & ætio-

logiæ morborum, defectus pro totidem sive causis sive partibus tractationis præsentis assumere, consultum erit.

II.

In Historia morborum tradenda nemo felicius, ac majori ἀκριβείᾳ versatus est, quam quidem antiquissimus Medicinæ parens, divus, inquam, HYPOCRATES COUS. Is enim, tanquam vates inspiratus, sunt verba Romani Hippocratis, G. „BAGLIVII, magna prævidens rei medi„cæ discrimina, si tale maturum & repe„titum observandi studium negligere„tur, primus omnium experientiam con„cinnam & coacervatam adhibuit, & de „natura naturam potius, quam cogita„tiones proprias consuluit, qua demum „via ad veros morborum fontes Me„dicos perduxit. Nimirum primus hic atque optimus Medicinæ stator illam incultam & in incunabulis quasi jacentem erexit, eamque non solum domi a majoribus atque ex templis & bibliothecis, sed etiam foris in peregrinationibus, quas medendi causa longe lateque susceperat, a variis acceptam gentibus & continenti exercitatione ipsius deinde observationibus auctam, in ordinem artisque formam redegit. Hic porro ab omni partium

L. de Praxi Med. ad prisc. Obs. rat. reduc. p. 94.

studio

studio alienus, nullique addictus opinioni, quicquid ægris quotoquoque die, hora atque momentis accidit, & quid item ab iis casibus vel boni vel mali secutum fuit, magna sollicitudine accurate notavit, & nudis postea ac simplicibus verbis, ut accidere omnia ipse conspicatus est, in tabulas retulit, enarrata videlicet vera morbi idea, sive historia earum naturæ operationum, quas ea sibi relicta in morbis edit, quod alios inter epidemicorum libri abunde loquuntur, quemadmodum scite animadvertit doctissimus J. G. BERGERUS. Præclarum Coi exemplum secuti postmodum sunt alii non vulgaris indolis Medici Græci per subsequentia ad GALENUM usque tempora, in cujus quidem multis vastisque voluminibus quicquid continetur eximii, illud HIPPOCRATI maximam partem deberi, jam pridem aliis animadversum est: Quanquam, si quod res est, fateri velimus, GALENUS HIPPOCRATIS doctrinam nomine potius, quam revera secutus varias inutiles ineptasque quæstiones scriptis suis immiscuerit, ac præter vana de facultatibus, elementis, & rebus similibus dogmata, multo insuper eoque inani vocabulorum lusu, ar-

Diss. d. Certit. Med. §. XI.

tem per ſe longam, in diſcentium fraudem longiorem, quin & obſcuriorem, & multis impeditam diverticulis reliquerit. Reliquos inter autores priſcos, poſt HIPPOCRATEM & GALENUM, ut vulgo vocantur, Principes ARETAEUS Cappadox ob ſummam in recenſendis morborum ſymptomatibus adhibitam induſtriam eminet. Et de A. C. CELSO ſatis notum eſt, quod propter ſtyli elegantiam, & quod multa ex HIPPOCRATE deſumta ſua fecerit, Hippocratis latini elogium promeritus ſit. Alias vero plerique, qui aut ante, aut poſt GALENI tempora, vixerunt Medici, ſive Græci, ſive Romani, utpote ad quos deinde & ad Arabes delata eſt medendi peritia, quibus vel latum unguem a GALENI dogmatibus recedere religio fuit, nihil laude magnopere dignum in hiſtoria morborum præſtiterunt. Et Arabes quidem tot præterea quæſtionibus logicis, tot fabulis, ſuperſtitionibus & mendaciis, artem macularunt ſalutarem, ut in tam vaſtis amplisque eorum voluminibus nihil magis, quam vera morborum hiſtoria deſideretur.

III.

Inde adeo accidit, ut, quæ ſunt in rebus

bus humanis viciſſitudines, & nihil in his ſtabile & firmum, hominumque a labore & veritate ad otium & errores proclive ingenium eſt, complures poſteriorum ætatum Medicos ſtudii Hippocratici, & neceſſariæ obſervationum continuationis tædium ceperit, ſat eſſe ratos, ſi ex quibusdam experimentis uſu & periclitatione cognitis theoremata quædam generalia effingerent, ex quibus deinde de morbis judicium ferrent. Sub hoc ſchemate ad poſteros propagata medicina, cum nonnullos in Gallia præſertim erectioris indolis viros, F. FERNELIUM, J. HOLLERIUM, L. DURETUM, imperfectionis & inconſtantiæ admoneret, hi quidem laudabili inſtituto priſtinam relegere ſemitam, & Hippocraticam illam obſervandi rationem poſtliminio quaſi revocarunt, non ſine inſigni artis incremento, cujus inter alia documenta ſunt egregii illorum in HIPPOCRATIS opera varia commentarii, quos non ſine magno fructu hodieque legimus. Sed hanc Medicinæ tranquillitatem, qua non adeo diu gaviſa eſt, accedens poſtea Chemiæ & chemicorum corruptela valde turbavit, quos inter T. PARACELSUM & J. B. HEL-

MONTIUM façem reliquis prætuliſſe conſtat. Enimvero abſit, ut vel arti divinæ, quæ divina & ſalutaria parare docet ſanitatis præſidia, & cujus miniſterio Medicina Rationalis carere nequit, vel viris hiſce egregiis, qui non plane nihil ad juvandam inſtaurandamque Medicinam contulere, quicquam de ſua dignitate & exiſtimatione detractum velimus: illud ſolum omnes rei gnaros male habet, quod boni viri, quæ in furnis & laboribus ſuis chemicis cernerent phænomena, illis imprudenter ſtatim ad vitæ & ſanitatis morborumque cauſas & medicamentorum operationes exponendas uterentur: quodque porro hi & ſimilis farinæ homines, de mediis potius & præſidiis adverſus morbos quoscunque, quam de ipſis morbis ſolliciti, atque arcanis ſeu panaceæ cuidam, quæ omnes ſine diſcrimine morbos unico quaſi ictu tollat, inhiantes, nihil denique in remediorum cenſu, niſi quod calcinatione, extractione vel ſublimatione, aut præcipitatione paratum, efficax & utile cenſerent; adeoque Hiſtoriam veram Morborum & medicinæ incrementum, tantum abeſt, ut promoverent, ut potius, quos in antiqua ſcholarum doctrina corrige-

rigere voluerunt, vel inviti poſtea invenerint in ſua. Noſtris denique temporibus & a medio circiter ſeculi ptoxime elapſi, per experimenta hinc inde in variis Europæ locis magno numero facta, ingens equidem Hiſtoriæ & ſcientiæ naturali, &, quæ pro hujus parte merito habetur, phyſiologiæ medicæ, &, cui hæc innititur, anatomiæ, nec non chemiæ & botanicæ lux accenſa eſt, ſed quantum inde emolumenti & utilitatis in pathologiam & veram morborum hiſtoriam redundarit, vel inde judicemus licet, quod libri plerique ab iſto tempore editi, & magno numero de morbis conſcripti, nihil aliud revera ſapiant, quam puram & abſtractam philoſophiam; hiſtoria autem morborum genuina ubivis fere deſideretur. Adeo veriſſima deprehendimus, quæ ὁ πάνυ H. CONRINGIUS ſcripta reliquit: „In multis quidem ars medica hodie longe perfectior" eſt, quam Hippocratis ævo: non nulla tamen etiam intercidiſſe, idque propter incuriam medicorum, qui tantam" diligentiam, quanta Hippocrates uſus" eſt, adhibere noluerunt; non poſſumus inficiari; Multa inſuper latent adhuc

„huc in arte noſtra, quæ fortaſſis in lu-
„cem aliquando dabit tempus. „

IV.

Enimvero plures proſtant obſervationum & hiſtoriarum medicarum libri, in quibus colligendis & enarrandis magnam ſæpe adhibuere induſtriam viri doctiſſimi clariſſimique; at enim vero, modo curatius rem omnem examinemus, comprehenſu erit facillimum, in mediis hiſce obſervationum voluminibus, nihil magis ſæpe, quam hiſtoriam deſiderari ægritudinum. „Quod ſi enim, judice G.
l. c. p. 21. „BAGLIVIO, hiſtoria morborum, tota
„quanta eſt, pendet a ſedula & patienti
„deſcriptione eorum, quæ doctus obſer-
„vator de morborum invaſione, pro-
„greſſu & exitu annotaverit, & eadem,
„qua obſervavit ſimplicitate, chartis ex-
„poſuerit; nihil addendo de ſuis, nihil de
„librorum, aliarumque ſcientiarum præ-
„ſcriptis; facile apparet, pauciſſimis, ſi COELIUM, AURELIANUM, P. FORESTUM, LÆLIUM A FONTE, J. LOMMIUM, G. H. VELSCHIUM, J. N. PECHLINUM, & HISTORIÆ MORBORUM VRATISL. AUTORES paucosque forſan alios excipias, obſervationum ſcriptoribus hæc deſiderata cordi fuiſſe. Ete-
nim

nim multi eorum ſuas immiſcent hypotheſes, alii, quo majorem inde gloriam aucupent, brevem & admirandam plurimorum morborum per arcana ſua curationem, absque circumſtantiarum ſufficienti enarratione publico obtrudunt, fauſtosque tantum rerum ſucceſſus ebuccinant, funeſtos alto premunt ſilentio; alii aliena magis tractant, & de cauſa prius ſolliciti, quam de effectu certi ſunt, ut parum propemodum abſit, quin, quod Summus Vir F. B. DE VERULAMIO, de Naturali ſuo tempore conqueſtus eſt Hiſtoria, & morborum hiſtoriæ a multis concinnatæ applicari queat, ita autem ille: Satis ſcimus, haberi Hiſtoriam Na-" turalem mole amplam, varietate gra-" tam, diligentia ſæpius curioſam; attamen," ſi quis ex ea fabulas, & Autorum" citationes, & inanes controverſias, ſu-" perſtitiones, philoſophiam denique &" ornamenta eximat, (quæ ad convivales" ſermones potius, hominumque docto-" rum noctes, quam ad inſtituendam phi-" loſophiam ſunt accommodatæ) ad nihil" magni res recidet. Longe profecto ab-" eſt ab ea hiſtoria, quam animo metimur.„ Plura doctorum virorum circa Hiſtoriam Morborum reſtaurandam & perficien-

dam

l. c. dam deſideria penes C. BAGLIVIUM, & Præf. T. SYDENHAMIUM videre eſt. Nudam Obſ. circa morb. 11. nimirum deſiderant, & absque verborum lenociniis, aliisque ornamentis, aut additamentis conſpicuam, qualis eſt, quam Obſ. Anat. XXV. T. KERCKRINGIUS elegantiſſimis hiſce finit verbis: „ Quandoquidem hic nihil „præterquam obſervationes damus: po-„teris & hoc, Lector benevole, an ſæpius „& quibus in morbis reperias, obſervare; „& de reperiundis horum talium cauſis „remediisque, cum toto Medicorum „choro meditari; nec enim, quia non-„dum quisquam quippiam, quod curioſo „ſatisfaciat ingenio, reperit, oportet ani-„mum ad deſperationem abiicere: ſi ita „majores noſtri fuiſſent animati, nihil un-„quam inveniſſent, cum ſingula ſemel „fuerint nondum reperta „

V

His de Hiſtoria Morborum in communi præmiſſis, res ipſa poſtulare videtur, ut, quid in ſpecie circa illam deſiderari queat, ſigillatim porro enarremus. Hæc inter THOMA duce SYDENHAMIO primum merito locum tribuimus defectui ſufficientis ſtudii in diſtinguendis & ſeparandis ab invicem morborum generibus. Equidem ſatis prolixi nobis ſuppetunt

mor-

morborum indices, nec prima apparet fronte, quamobrem defectum hac in parte accusare liceat, at mirari desinet, quicunque perpendet; plures uno nomine vulgo comprehendi morbos, qui tamen multum a se invicem diffident, & uti non unam agnoscunt causam, ita & diversissimam non raro medelam postulant. Quod suo pariter calculo GEORGIUS confirmat BAGLIVIUS sequentem scribens in modum: „ Sane inter præcipua artis" nostræ desiderata illud merito reponi-" mus, ut scilicet singuli quique morbi in" tot species subdistinguantur, quot sunt" morbi primarii, a quibus foventur, aut" causæ vehementes, constantesque, a" quibus producuntur, & singularum spe-" cierum proponantur signa characteristi-" ca, cum historia prima earundem, nec" non medendi methodus cuilibet oppor-" tuna & stabilis." Factum illud cernimus esse in soporosorum denominatione affectuum, quorum alii aliam pro majori vel minori morbi vehementia, & modo cari, modo comatis, modo lethargi appellationem sortiti sunt, sed quoad reliqua, multum in hoc peccatum est; quod, alia ut prætereamus, apoplexiæ, epilepsiæ & colicæ denominationes satis reddunt mani-

l. c.

festum

festum. Colicam enim biliosam, pituitosam, spasmodicam, hæmorrhoidalem, & si quæ sunt aliæ ejusdem species, haudquaquam ab una eademque foveri causa, ac multum proinde discriminis in cujusvis medela subesse, satis intelligenti patet. Sic & apoplexia sanguinea a pituitosa multum, tam ratione originis, quam quod medendi attinet methodum discrepat: nec una epilepsiam, sed alia subinde aliaque producit causa, cujus intuitu mox hæc, mox iterum alia illi tollendæ idonea deprehenduntur remedia, cujus intuitu in idiopathicam & sympathicam communissime cum distinguatur, illius solida & accurata nos destitui noti-
l. c. 99. tia merito conqueruntur MEDICI VRA-
pag. 37. TISLAVIENSES. Quæ cum ita sint, mireris merito, cur diversa ejusmodi morborum genera uno eodemque titulo utplurimum comprehendantur: nec obstat, divisionem talem plurimis in locis additam inveniri, cum, si ad curam ventum est, una plerumque atque eadem oberretur chorda. Ac ne quis parum referre ejusmodi morborum distinctionem existimet, alia omnia idem, quem modo laudavimus, hisce, quæ sequuntur, docet
l. c. SYDENHAMIUS: „Quantum Medicinæ „obfuerit ἀκριβείας hac in parte defectus, osten-

ostendunt multorum morborum exem-"
pla, quorum nempe curationem hodie"
non desideraremus, si scriptores, dum ex-"
perimenta & observationes medicas be-"
nevolo saltem animo communicant, uni-"
us scilicet speciei morbus pro alio speciei"
diversæ substitutus non fefellisset. At-"
que hinc etiam arbitror, profectum esse,"
quod materia medica in sylvam tam im-"
mensam, sed fructu perexiguo excreve-"
rit."

VI.

In historia porro Morborum deside-ramus merito mentionem frequentio-rem Infrequentiæ Morborum, de qua al-tum plerumque penes Autores patho-logos est silentium, quippe qui morbos in universum omnes ita describere solent, ut inde haud dispalescat, utrum isti vel omnibus hominibus, vel his illisque ra-rius aut frequentius contingant, neque inter id, quod fieri potest, & quod fieri communiter solet, satis distinguunt; in quo tamen maximum latere momentum, in aprico est. Enimvero primus ex omni Medicorum familia fuit, qui cum immortali nominis celebritate tum plu-ra alia utilissima, hactenus ignota dog-mata, tum hanc præsertim morborum de Frequentia

G in-

Morb. in C.H. præ brutis.

d. Infrequ. Morb personal.

infrequentiam perſonalem, ſeu raritatem morborum in lucem produxit, aliisque conſiderandam propoſuit, doctiſſimus Vir, G. E. STAHLIUS. Is enim tum in variis paſſim ſchediasmatibus, tum in peculiari diſſertatione ſollicite admodum & ſatis prolixe demonſtravit, quod ſinguli quique homines per totam vitam ſuam rariſſime ægrotent; quod ſingulis quibusque hominibus, morbi multi, ſimul varii, & qui parum aut nihil invicem commercii fovent, rariſſime accidant; quod denique minime omnium in corpore humano tales occurrant ægritudines, quæ non magis ab externis cauſis, & fere quidem violentioribus inferuntur, & his quidem talibus, quæ raro ita impetuoſe graſſentur, adeoque & rarius noceant. Quæ omnia tanto remotius a miraculo abſunt, quanto magis mixtio corporis in ſe adeo corruptibilis, ut nulla exteriore cauſa præter aërem & calorem concurrente, putredini perpetuo expoſita cernatur, tum vero & corporis ſtructura adeo tenerrima & molliſſima facillimo impetu rumpi debere videatur, & quidem ſolum a conſuetis, aut facile inter ordinariam vitæ rationem occurrentibus

tibus motuum agitationibus, tanto magis cum aſſumta, quæ primum & eximium inter cauſas externas, perpetuo corpori imminentes, locum occupant, a pauciſſimis hominibus ea, qua decebat, ratione, ſeu qua pondus, ſeu qua electionem ingeratur, ſed in illis a maximo hominum genere toto die graviſſime delinquatur, indeque fomes corruptionis putredinalis in corpore jam tum præexiſtentis multum augeatur; mirum, inquam, quod ſub tota hac ſubjecti proclivitate nunquam, aut vix rariſſime vera & realis corruptio eveniat. Interim attentiore conſideratione, & modo ad ea, quæ quotidiano edocemur uſu, animum probe applicemus, hæc omnia veriſſima pariter ac certiſſima deprehenduntur. De quo qui amplius dubitat, cogitet ſaltem, quotusquisque homo inter multa millia in populoſa quadam urbe per multas annorum ſeries vera & totali ſui corporis corruptione, i. e. ſphacelo corripiatur? qui tamen ob cauſas allegatas ſæpiſſime evenire debebat. Sed quis hæc, ubi de morbis vel generatim, vel de his illisve in ſpecie, hiſtoriæ, obſervationes ac paradigmata traduntur, vel verbo tetigit hactenus vel tangit etiam-

num? unicum si excipiamus laudatum illustrem Medicum, ad cujus proinde scripta, cum nobis non liceat hisce diutius immorari, eos, quorum interest, remittimus.

VII.

Ad specialiora quando jam porro descendimus in Historia Morborum desiderata, offendimus G. BAGLIVIUM, cui haec nostra quoque desideria curae cordique fuerunt, prolixum nectentem catalogum eorum, quae desiderantur adhuc in arte medica. Quorum cum alia aliorsum spectent, quorum potiora suo quaeq; loco a nobis deinde repetenda sunt, nunc nonnulla, quae scopum nostrum propius tangunt, delibabimus, visuri, quousque illa vel in occulto adhuc lateant, vel in lucem eadem protraxerit Medicorum aevi recentioris dexteritas. Haud postremo hic collocatam loco videmus Historiam morborum aetatum, de qua quidem re HIPPOCRATES verissima & ab ipsa experientia profecta in Aphorismis suis reliquit oracula, sed succincta nimis, & prolixiore dilucidatione indigentia. Mirum proinde, quod post ejus tempora nemo fere hos aetatum morbos fusiore expositione dignos censuerit. Nostris vero tem-

[Margin notes: l. c. p. 197. — III. Aph. 24. 25. 26. 27.]

temporibus non pauci in iisdem enarrandis & dilucidandis multum ſtudii poſuere. Primus horum fuit eruditiſſimus Medicus G. C. SCHELHAMERUS, qui utiliſſimum hoc argumentum e tenebris protractum, peculiari labore luci reſtituit publicæ. Poſtea vero G. E. STAHLIUS non hiſtoriam modo morborum ætatum ſatis prolixam & accuratam nexit, ſed & fundamenta eorum multo ſtudio eruta, publico communicavit, quin imo hanc ſeriem & genealogiam, uti vocat, morborum ætatum, pro firmo habet fuudamento, cui reliquos morbos omnes inædificare, eorumque non pathologiam tantummodo, ſed & therapiam ex hoc fonte deducere ſolet. Quin & noviſſime Cl. Vir M. B. VALENTINI praxin ſuam infallibilem ſecundum varias ætates diſpeſcuit, ſingularumque potiores ægritudines non magis ordine recenſuit, quam optimam ſingulis medendi rationem, methodo hactenus inaudita & plane ſingulari ſubminiſtravit. De morbis ſigillatim Infantum in plerisque libris & Syſtematibus pragmaticis ſingulari tractatur capite, quod inſuper argumentum a M. ETTMüLLERO & G. HARRIS fere in totum exhauſtum eſt. De Morbis Senum erudite ex-

Diff. de Morb. Aet. Jenæ 1694. d. Fundam. Morb. Aet. Hal. 1698.

Valet. Infantil. d. Morb. acut. inf.

 poſuit

Diff. d. Senect. præsid. Helmst. 1699. de Morb. Senum Gerocomica, Venet. 1606. 4. γηροκομική, Diff. inaug. Lugd B. 1711. Valet. Sen Jen. 1718. Lond. 1724. Diff. d. morb. adolesc. Helmst. 1724. d. adulta æt. Lond. 1725. 8.

posuit J. G. BERGERUS, AURELIUS ANSELMUS, F. SCHRADERUS, nec contemnenda sunt, quæ de iisdem a J. E. LIEBCHEN, C. F. SCHELHAS, & in Medicina Gerocomica seu de ætate vergente a R. WELSTED sunt tradita. Adolescentum vero & virorum morbi, uti hactenus intacti plane manserunt, ita eo majori encomio dignus est L. HEISTERUS, quod una cum laudato modo WELSTEDIO spartam hanc ab aliis derelictam occupaverit. Ut parum propemodum absit, quin hoc ipsum caput, in quo nihil amplius quam virilis morbi ætatis desiderantur, qui, quod nihil in iisdem singulare occurrat, communi reliquorum numero continentur, ex desideratorum serie expungi mereatur, cum istorum ante tempora virorum nemo de ætatum morbis sollicitus valde fuerit, quo nomine, & quod singula majorem expectent ab experientia certitudinem, a BAGLIVIO iisdem jure annumerantur.

VIII.

Eadem propemodum ratio est morborum varia fortuna utentibus, varioque victus & vitæ genere gaudentibus familiarium, quorum non minus historiam in desideratis positam eodem loco deprehendimus,

ſimus. Videlicet res ipſa loquitur, quod varium vitæ genus varios non raro morbos producat, & ad infringendum ſanitatis robur multum adferat ponderis, quod vel uni aurifabri, & qui mercurialia tractant, ſuo nos admonent exemplo; illi enim communiter, ut alios inter a L. A. STISSERO annotatum eſt, lurido faciei colore, & tabido corporis habitu, quo cutis vix oſſa eorum tegit, latentem in corpore fomitem, lentis gradibus ad mortem tendentem, produnt vel inviti, eorum plures conſtat eſſe paralyticos, tremore membrorum divexatos, epilepticos, & morbis convulſivis obnoxios. Si vero ea, quæ ſparſim hinc inde ea de re deprehendimus expoſita, excipias, neminem fere offendimus, qui huic hiſtoriæ pertexendæ animum viresque applicaverit. Quo major gloria celeberimum Medicum Patavinum, B. RAMAZINI, manebit, quod præter alia non vulgaris ingenii rariora ſpecimina, elegantiſſimo de morbis Artificum Commentario publicum ſibi multis non ita pridem devinxerit modis. Quanquam ſi verum fateri velimus, glacies tantum fracta ſit, & primæ ſolum ductæ lineæ, ab aliis porro magis magisque perficiendæ, & accedente obſervatio-

Act. Labor. Chem. Spec. II. cap. 3.

num ſedulo inſtituendarum cumulo, temporis tractu locupletandæ. De morbis Principum idem B. RAMAZINI, de iisdem & de militum morbis A. a GEHEMA, D. LUDOVICI, J. V. WILLIU, S MINDEREUS, T. COBERUS, & B. EWALDT, de morbis nautarum W. COCKBURN, J. DE VEGA, J. GLAUBERUS & C. VATERUS; de morbis metallicis G. AGRICOLA, F. HOFFMANUS, WEDELIUS, STOCKHAUSEN, Goslarienſis medicus. De Morbis Aulicis J. J. WALDSMIDIUS & G. E. STAHLIUS. De eruditorum valetudine, uno plures, iique in arte præſtantiſſimi expoſuere Medici, G. FRANCUS DE FRANCKENAU, J. J. WALDSMIDIUS, G. W. WEDELIUS, F. SCHRADERUS, F. HOFFMANNUS, & J. J. BAIERUS. De morbis Theologorum H. E. WEDELIUS, H. B. ASCHEBERG & J. H. TREFURT, peculiari quisque labore egerunt. Jureconſultorum vero & Medicorum morbi a nemine hactenus pertractati ſunt, niſi quod nos qualicunque labore eosdem aggreſſi, priores luci pridem publicæ expoſuerimus, poſteriores vero, data prima occaſione, Deo dante, vulgaturi ſimus.

de Colica Saturn. Diſſ. Marp. P. P. Hall. d. Noxa Studior. d. Sanit. Studioſ. Meth. d. diæta Littera-tor. d. Erudit. valet. d. præcip. Studioſ. morbo. & d. Stud. per remedia diætet. facilit. d. Litterat. Sanit. tuenda. d. morb. Concion. Jen. d. morb. Religioſ. Erfurt. d. morb. Religioſ. Duisb. Ep. ad Z. C. ab Uffenbach.

IX.

IX.

Nec multum diversa ratione comparatum esse patet cum morbis, certis anni temporibus magis propullulantibus, aut se exacerbantibus, ad tempestatum item varia schemata, varia conspicuis forma, & quæ sunt ejus generis alia eodem in loco in desideratorum numero reposita. RICHARDUS certe Medicus testatur Deum, quod nunquam cognitionem sufficientem habere potuerit morborum epidemicorum, conceptionis mulierum & febris quartanæ. Enimvero, quid aeris mutationes tum quælibet, tum certis anni temporibus magis solennes in producendis mutandisque morbis valeant, in aprico est positum, tantoque hinc dolendum magis, quod morbos certis ejusmodi temporibus contingentes, observationum sufficientium defectu nondum habeamus in numerato. Divus equidem Senex, morbos omnes in omnibus quidem temporibus fieri, nonnullos vero in quibusdam ipsorum magis & fieri & exacerbari, tradit, & morbos verno, æstivo, autumnali & hyemali tempore præ cæteris accidentes justo recenset ordine; Sed pauci admodum laudabilibus senis vestigiis insistentes, parum de eo sollciiti fuerunt,

III. Alph. 1920. 21. 22, 23.

runt, quid quolibet anni tempore, vel sub solennibus tempestatum mutationibus singulare quoad morbos eorumque symptomata eveniret. Eo majori igitur ex merito ornandus venit encomio Celeberimus F. HOFFMANNUS, quod primus fere glaciem hanc fregerit, & singulis diebus, imo sæpius, per integrum annum, tempestatum indice barometro mutationes, & varia hinc phænomena in morbis observata, incredibili industria annotaverit, publicoque dederit. Quod institutum tum aliis quoque viris in arte egregiis probatum, inclyti, RAMMAZZINI & W. LOCK, inprimis MEDICI VRATISLAVIENSES eodem fere tempore secuti sunt, quem laborem cedro dignissimum, non multo post abruptum, alii deinceps ejusdem loci præstantissimi Viri diversa quamvis ratione redintegratum, continuato in hunc usque diem filo, magno artis salutaris commodo, & Historiæ morborum incremento, prosequuntur. ROSINUS vero LENTILIUS cursum suum pragmaticum per integrum annum seculi nonum ipsis & barometricis, & variis notatu dignissimis cautelis & observationibus refertum edidit, ejusdemque per aliquot annos, continuationem promisit

Obs. Barometr de Temporibus Anni Insalubr.

Obs. Meteorol. Histor. Morb. Vratisl. 1699. 1700. 1701. 1702. Ann. l. phys. med. IV. 1717. sq. Eteodr. Med. Pract.

misit equidem, sed negotiorum mole procul dubio obrutus, id quod promisit, adimplere non potuit. Vernalium sigillatim historiam morborum ab H. MEIBOMIO erudite expositam novimus. Ac quemadmodum morbos per unum aliquem annum occurrentes, non eodem ordine eademque ratione in sequentibus recurrere annis, morbi nos epidemici, qui non uno omnes anno, nec quolibet quivis tempore redeunt, edocere valent; ita per dictos eruditorum labores, laude sua dignissimos, multum equidem lucis rei medicæ accessit, sed & prima tantum jacta esse fundamenta per se intelligitur, ab àliis demum, pari assiduitate procedentibus, ad justæ tandem magnitudinis ædificium evehenda. Fuit id desidetium T. SYDENHAMII, quod hisce prodidit verbis: „Anni tempestates, quæ cuivis" morborum generi potissimum faveant," diligenter observandæ sunt. Non infi-" cior, nonnullos esse omnium horarum;" alii tamen, nec pauciores, occulto quo-" dam Naturæ instinctu, annorum tem-" pora non secus quam quædam aves aut" plantæ sequuntur: sæpe quidem subiit" mirari, hoc morborum quorundam in-" genium satis obvium, a paucis tamen" Helmst. 1677.

fuisse

„fuisse hactenus observatum; cum quo „sidere stirpes aut pecudes solenniter „procreentur, plurimi curiosius annota„rint. Sed quæcunque sit hujus oscitatio„nis causa, pro certo statuo, tempesta„tum, in quibus ægritudines ingruere „consueverunt, notitiam multum Medi„co prodesse, tam ad speciem morbi di„gnoscendam, quam ad ipsum morbum „extirpandum, atque horum utrumque „minus feliciter evenire, ubi istiusmodi „observatio negligitur.„

X.

Magnam cum hisce affinitatem fovent, aëris quippe diversæ constitutioni, victusque originem debentes, morbi certis regionibus & populis familiares, quos endemios, ut priores epidemios, appellamus. Horum accuratam Historiam a
l. c. Medicis ita exigit G. BAGLIVIUS, ut quilibet de temperie aëris patriæ suæ, incolarum indole, morbis illorum endemiis, methodo medendi iisdem potissimum accommodata, medicamentis indigenis, & reliquis hujusmodi patriæ suæ peculiaribus observatis pro virili exponat. Ejusdem rei, nisi me fallunt omnia,
l. d. Aëre Aqu. & & Loc. Medicos genuinos admonet HIPPOCRATES his, quæ sequuntur, verbis: Quicun-

cunque artem medicam integre aſſequi" velit, primum quidem temporum anni" rationem habere debet, quantum po-" tentia quodlibet eorum valeat, deinde" ventorum, qui in unaquaque regione" ſunt indigeni, poſtea aquarum faculta-" tes cognoſcere debet, deinde urbium" ſitus, & natura aquarum nota ſit. Por-" ro conſideranda terra ipſa, nuda ne ſit" & aquis carens, aut denſa & aquoſa, &" an concava ſit & æſtuoſa, vel alta &" frigida. Hominum inſuper diæta per-" quirenda, qua maxime capiantur: an" bibuli ſint & lurcones, & otio dediti," aut exercitiis variis utentes & tolerantes" laborum, ciborumque plus appetentes," quam poculorum.„ Ex his enim ſingula ſunt inveſtiganda. Sed quotusquisque, quæſo, eſt, qui ex vulgari medicorum turba de hiſce non dicam litteris quicquam mandaverit, ſed cogitaverit ſaltem, aut etiamnum aureum hoc divi ſenis monitum curæ cordique habeat? equidem ſparſim de his quædam a viris ſupra vulgum doctis annotata videmus, quemadmodum P. ALPINUS Ægypti, J. BONTIUS Indiæ, A. CLETERUS, E. KEMPFERUS Perſiæ & Chinæ, hiſtoriam naturalem & medicam, morbosque adeo

d. Plant. Ægypt. & de Med. Ægypt. Med. Indor.

Spec. Med. Sin. Amœn. Exot. de Med. Dan. domest. αὐτάρκεια Batav. Med. Helvet.

adeo cujuslibet regionis endemios exposuerunt; haud secus ac T. BARTHOLINUS, J. BEVEROVICIUS, & J. C. DEREBECQVE, Medicinam patriæ cujusvis indigenam, & quæ ubivis reperiuntur singularia, laudatissimo & imitando ab aliis exemplo tradiderunt. Sed si verum fateri lubeat, plura in hisce postremis desiderari possunt. Non enim tam de morbis, eorumque historia & ordinata serie, quam de remediis indigenis, & facile parabilibus, æque tamen, ac exotica quævis, efficacibus, solliciti fuerunt, in hoc merito laudandi, quod communem illam malaciam, qua non nisi exotica, & ex ultimis utriusque Indiæ angulis, per longinquos itinerum tractus ad nos allata ad palatum erant, contemtis illis, quæ ante pedes sunt, corporis vero nostri constitutioni magis sæpe congruunt, redarguere cœperint. Quantum vero hucusque utriusque Hippocratis, antiqui illius, ex insula Coo oriundi & recentioris, quem Roma dedit, desiderio ab omnibus in universum medicis satisfactum sit, vel inde judicemus, licet, quod paucissimæ sint illæ regiones, de quibus non nisi pauca, & valde incomple-

pleta innotuere, quibusnam præ cæteris morbis, ex qua cauſa, & quo tempore infeſtentur. Quo magis veneremur licet indefeſſum E. HOFFMANNI ſtudium, quod viam hactenus minus tritam primus calcaverit, & omnibus fere deſtitutus adminiculis, Hiſtoriam Morborum, certis regionibus & populis familiarium, universum terrarum orbem mente & calamo peragrando conſcripſerit, ſuccinctam quidem illam, ſi ſuam quilibet regionem intueatur, ſed magis imposterum magisque perficiendam, ubi eam ſinguli ſingulorum populorum Medici adhibuerint ſolertiam, quam ſupra illis injunctam vidimus. Idem eodem fere tempore inſtitutum fuit J. J. WEPFERI, qui de Morbis Climatum haud inconcinne ſcripſit. De aëre ſigillatim Romano poſt H. MERCURIALEM, a C. MUSITANO, G. BAGLIVIO, B. RAMAZINO, E. CAMERARIO, atque in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS; de Pariſienſi in iisdem; de Hafnienſi ab E. BARTHOLINO ſatis erudite expoſitum eſt. Et ſicut J. LOMMIUS Brüxellarum, ita P. HOCHSTETTERUS Auguſtæ Vindelicorum & regionis vicinæ elegantem dedit topographiam. Neque

d. morb. certis region. & popul. propr. Hal 1705.

Duisb. 1704.

Var. Lect. l. 24.
d. Febr. p. 157.
l. c L. I. c. XV.
Syſt. Cautel. p. 563. 633.
Vartisl. 1717. Jul. p. 52. it 1717. Jul. p. 97.

Act. Hafn. 1677. 113. p. 290. Præf. Obs. Obs. p. 368 seq. Ide. Med. p. 53. Helmst. 1724. Lips. 1725.

que Brunensis urbis topographia a J. SPORISCHIO tradita lectionem non meretur. Nostris vero temporibus J. C. SPIES de Aëre, Aquis & locis Goslariensibus, & C. M. ADOLPHI de Aëre, Aquis & Locis Lipsiensibus exemplum Hippocratis secuti, ejusdemque & G. H. VELSCHII quoad Chorographiam universalem & epidemia variorum locorum satisfacturi desideriis, eruditas meditationes conscripserunt.

XI.

Longum foret, si reliqua quoque desiderata pathologica Bagliviana eadem prolixitate recensere atque excutere animus esset, ideoque vel tetigisse eadem sufficiet. Desiderat autem porro optimus autor historiam morborum & symptomatum a solidis solum, vel a fluidis duntaxat vitiatis productorum: historiam item morborum, prout a diversis causis vel morbis principalibus producuntur, prout etiam cum sociis suis symptomatibus a quovis animi pathemate dependent; historiam causarum, quæ hos & non alios morbos fere semper & frequenter producunt; historiam eorum, quæ paucis ante morbi invasionem diebus a variis evacuationibus suppressis pro-

proficiſcuntur, quo & noſorrhopiam Vel-
ſchianam referas; hiſtoriam denique mor- l. c. L.
borum vere acutorum, vere chronico-
rum & vere incurabilium, & quæ ſunt ejus
generis alia, de quibus, quod primo ſtatim
intuitu manifeſtum evadit, vel plane ni-
hil, vel pauca admodum eaque hiulca,
lacera, incompleta, litteris mandata ſunt.
Adderem hic Hiſtoriam Morborum lym- d. neceſ-
phæ a MEDICIS VRATISLAVIENSI- ſaria Sa-
BUS tantopere deſideratam & ſpeciatim livæ in
Salivæ, nec non Fœtuum in utero mater- ſpect.
no, niſi laudatum F. HOFFMANNUM Hal. 1698.
utrique, priori quoque argumento T. d. morb.
ZVINGERUM, & H. E. WEDELIUM, fœt. in
nec non F. SCHRADERUM inſudaſſe, ut. mat.
publice conſtaret. Brutorum vero ani- Faſcic.
mantium Noſologiam ad deſiderata Me- Diff.
dicinæ reſpectu ad diæteticen habito a. G. med.
H. VELSCHIO referri, nemo amplius mi- de Saliva
rabitur, quisquis a J. P. INGRASSIA, Me- Sana &
dico Neapolitano, edoctus fuerit, quod" Ægra.
veterinaria medicina formaliter una" d. Saliv.
eademque cum nobiliore hominis me-" Jen.
dicina ſit, materiæ duntaxat nobilitate" 1704.
differens; ex quo veterinarii quoque" d. lym-
medici non minus, quam nobiles illi" phæ &
hominum medici, ad regiam proto-me-" gland.
dicatus officii jurisdictionem pertine-" pathol.
Helmſt.
1688.
l. c.
XXXII.
XLVI.
l. de Mu-
lomed. in
Oper.

„ant: „ Hanc videlicet medicinæ partem, alias veterinariam, & mulomedicinam vocatam, a VIGERIO præterea, VEGETIO, APULEJO, VARRONE, ipſoque VIRGILIO MARONE, excultam poſteriorum temporum medici plerique neglexerunt, indignum officio ſuo rati, ad viliora ejusmodi deſcendere. Sed hujus uſum doctrinæ ampliſſimum fatalis ille morbus brutorum cornigerorum epidemius, qui per Ruſſiam, Poloniam, Hungariam, Auſtriam, Tranſylvaniam, Italiam, ipſamque Germaniam ante annos non ita multos graſſatus magnam ubivis ſtragem edidit, ſatis opinor, monſtravit. Inde adeo excitati medici paſſim clariſſimi, neutiquam exiſtimatione ſua indignum arbitrati ſunt, morbum iſtum graviſſimum, quoad omnes circumſtantias ſollicite examinare & obſervationes ſuas pariter & meditationes proprias publico communicare, id quod B. RAMAZINI, & R. J. CAMERARIUM præſtitiſſe novimus. Præ cæteris vero J. KANOLD magnam idcirco nominis celebritatem ex merito conſecutus eſt, quod hiſtoriam morbi brutorum cornigerum ſatis peſtilentis & contagioſi, plenam & accuratam publicaverit non tantummodo, ſed & reliquorum

Or. d. Contag. Epid. Bo.
Diſſ. de Lue Vaccar.
von der Peſtilenz des Horn Viehes. 4.

rum morbos brutorum, tum quoad hiſto-
riam, tum quoad curam ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS paſſim, & ſingulis fere menſibus inſerendam, curet, non ſine maximo rei medicæ emolumento, & ſpe haud dubia, obſervationibus ejusmodi ſedulo aliquandiu continuatis huic quoque deſiderio ſatisfactum iri.

XII.

Febrium Hiſtoria apud veteres, multiplici & ſollicitæ ſatis experientiæ laude non defraudandos, in plerisque ſatis exquiſita proſtat: Una tamen occurrit febrium compoſitarum ſpecies, quæ Semitertiana, & græca appellatione Hemitritæus appellatur; de qua cum autoribus plerisque ſermo eſt, de cauſis ejus prius ſolliciti ſunt, easque bilis & pituitæ miſturæ, quarum illa tertianam, hæc quotidianam vulgo producere creditur, ad unum fere omnes adſcribunt, quam de vera morbi hiſtoria certi ſunt. MICHAEL certe ETTMÜLLERUS variantes de hac febre autorum ſententias indigne tuliſſe videtur, ejusque diſcrepantiæ præter generalem febrium theoriam admodum intricatam originem, vel nimiam veterum venerationem, & in iisdem defendendi ſtudium, vel non rite ob-

Op. edit. noviſſ. To II. P. I. p. 289.

observatam multiplicem tam compositionis febrium mutuæ, quam complicationis earum cum aliis affectibus, varietatem esse, arguit. J. P. BRUNO non dubitat de eadem sequentia in medium proferre: „Quemadmodum nomen hoc „febris quandam gravissimam speciem „denotare, unanimis Medicorum est con„sensus, ita econtrario tantus inter eos est „dissensus, qualis sit febris, & quæ ejus na„tura, ut nec hodieque certo constare pos„sit de hac re.„ Hæc vero verissima esse, unusquisque in praxi versatus, & qui unquam Hemitritæum, aut aliquem ei similem morbum curandum habuit, aperte profitebitur, ac quid de Febribus Quintanis, Sextanis, Septimanis similibusque rarioribus febrium speciebus habendum sit, & an peculiarem classem constituant, an recidivæ forsan febrium suppressarum existant, id quod hactenus observationum defectu factum non est, omnium optime dirimet. Inter proximorum temporum pyretographos fastidium fuerit, veræ febrium historiæ, & differentiæ ab invicem, fundamentum nisi lubricum prorsus quærere, ut G. E. STAHLIUS hisce quæ sequuntur, advertit: „Apud quem „enim recentiorem classicum scriptorem, au

Lex. Med.

de Novit. Med. & d. Febr. Biliof.

aut fœcundiſſimarum illarum novarum"
theoriarum auctorem invenies veram"
diſcretionem febris ardentis ub aliis acu-"
tis: & novarum profecto illarum (non"
exiſtentia ſed peritia) febrium bilioſa"
rum, quatenus a cholericis aut καυσώδεσιν"
differre deberent! imo auſim interro-"
gare, apud quemnam horum nova ſpi-"
rantium ſaltem veram hiſtoricam ide-"
am febrium continuarum in genere a„
continentibus differentium quærere &"
invenire ſit integrum?„ Tanto igitur
majorem illum gratiam a poſteris initu-
rum, non ſine cauſa auguramur, quod
poſt accuratiſſimum Febrium Hiſtorio- d. Febr. Hiſtor.
graphum, T. SYDENHAMIUM veram
febrium hiſtoriam vivis coloribus depi- d. Febr. Problem.
ctam, ſuaque nunc radiantem luce, publi-
co dederit. Hecticam ſigillatim febrem
quod attinet, conveniunt ſaniores facile
omnes in eo, quod ortum ſuum trahant
ab obſtructione lenta, ulceratione, eroſio-
ne atque abſceſſibus partium internarum.
Sed vere ſcire, cujusnam viſceris labes fe-
brim hanc excitet, utut Medici non pa-
rum interſit, arduum eſt, nec diagnoſtica
ſigna ad hodiernum usque diem a quo-
quam ſufficienter enarrata; quomodo
enim hectica v. g. peripnevmonica, ſive
ea, quæ ſequitur læſos pulmones, diſtin-

gui poſſit ab hepatica, ſplenetica, nephritica, ſeu, quæ læſum hepar, ſplenem, renes excipit, ex iſtis ſignis non cognoſcitur. Præclare igitur de ægris & medicis mereretur, ſi quis accurate hoc exequeretur, eundo per nobiliores hecticæ ſpecies, quemadmodum ſcite animadvertunt MEDICI VRATISLAVIENSES, id ſedulo agentes, quo huic deſiderio pro virili ſatisfaciant.

Hiſt. morb. Vratisl. 1700. p. 213.

XIII.

Eadem, quæ febrium, & inflammationum internarum, quoad hiſtoriam, ratio eſt. Nonnullarum equidem partium ſtaſes inflammatoriæ, meningum v.c. pulmonum, pleuræ, hepatis, diaphragmatis, renum, propriis ſunt inſignitæ nominibus, non tamen, ut ab iisdem laudatis modo Medicis pariter animadverſum eſt, certo ſemper conſtat, horum ſedem affectuum, an in hepate, an in pleura, an in membrana pulmonum quærere debeamus. Sunt vero procul omni dubio plures partium internarum inflammationes, quam vulgo conſtat, cum plures dentur partes, non minore vaſorum ſanguiferorum copia, magnitudine diverſa gaudentes, adeoque & ſtaſibus in vaſculis præſertim minimis valde opportunæ. Quæ

l. c. 1699. p. 49.

dum

dum ingenii ac rationis ope intelligimus, facili negotio illis, qui ſimilia phænomena in cadaveribus his morbis defunctis obſervarunt, fidem habemus, id ſaltem dolentes, quod adeo raro occaſio detur, ubi defunctorum cadavera per adſtantium, cognatorum, aliorumque moroſitatem aperire licet. Ex hoc enim, non vero alio promanavit fonte, quicquid vel A. BENIVENIUS de abditis morborum caufis, vel M. A. SEVERINUS & H. MEIBOMIUS de recondita abſceſſuum natura, vel H. SCRETA & G. E. STAHLIUS de Febre Hectica, Abſceſſus internos comitante, vel J. G. BERGERUS de inflammatione cordis, vel F. HOFFMANNUS de ventriculi & hepatis inflammationibus memoriæ prodidere. Quorum hic, quid ſentiat, hiſce profitetur: Plures partium internarum inflammatione extinguuntur, partim ceu primario morbo, partim ceu morborum aliorum ſymptomate: illud vero mirum ſane, quod, cum frequentisſimus ſit affectus inflammatio ventriculi, adde, & aliorum viſcerum, a practicis tamen parum obſervetur. Et, quod magis adhuc mirandum, illorum libri vel plane de hoc malo ſilent, vel negligentius tractant.

d. Inflammat. Ventric. proœm.

„Multi ex illis rarum hoc pronunciant „malum, quod tamen, ſi in praxi diligen„tius attendas, frequentiſſime deprehen„ditur. „

XIV.

Quemadmodum vero varia partium internarum vitia, tumores, abſceſſus, ſcirrhi, nodi, idem quod inflammationes, experiuntur fatum; ita præ cæteris id de meſenterii morbis valet, utpote qui etiamnum in occulto latent, nec eorum ſigna vel cauſæ, vel ad hiſtoriam facientia alia ſatis patent, ut abſtruſisſimorum nomine merito ab intelligentibus inſigniantur. Quæ eadem mens fuit celeberrimi quondam Galliarum Regis Archiatri, J. FERNELII, qui meſenterii morbos alte ſepultos, &, quoniam doloris expers ipſum eſt meſenterium, abſtruſisſimos eſſe, atque idcirco hujus affectus prætermiſſos, nec veterum ſcriptis celebratos eſſe, quorum tamen ſede intellecta, deploratis etiam ſanitatem reddi poſſe, affirmat. Ipſe cæteroquin FERNELIUS de omnis generis meſenterii affectibus tam veris quam falſis in pathologia ſpeciali præ cæteris omnium optime ſuo tempore ſcripſit. Poſt hunc M. MARTINI de Morbis Meſenterii abſtruſioribus non inelegantem edidit commentarium. Hinc

de part. morb. & Sympt. L. VI. C. VII.

etiam

etiam D. SENNERTUS de iisdem non contemnenda praxi ſuæ inſeruit. In his utut vera falſis, & bona ſint miſta malis, cum licet non theoriam plauſibilem, ſed pro temporis illius ratione mancam & ex ſanguinis circulatione, lymphæ & glandularum obſervatis, aliisque hodiernis experimentis emendandam, nec bonæ notæ remedia offerant; horum tamen hiſtoriæ obſervatæ, diagnoſis, & praxis ſatis commoda pro ulteriore indagine uberiorem occaſionem ſubminiſtrant, uti opportune advertit doctiſſimus M. ETTMÜLLERUS, qui quidem judicio ac uſu præſtantiſſimus Medicus affectus hos, quos haud immerito originem & fontem chronicorum & latentium admodum morborum, & fomitem mirabilium turbarum & complicatorum affectuum appellat, adeo latentes & occultos judicat ex eo, quoniam difficillime cognoſcuntur, cum meſenterium in profundo ſitum, aliis quoque partibus hinc inde circumſeptum ſit, & propter ſenſum obtuſum minus clara ſint ejus pathemata, unde ſæpisſime Medicos & ægros fallant, ut raro de his poſſint eſſe certiores. Quæ omnia de febribus quoque meſentericis valent, de quibus opus novum, non a lectione li-

Op. To. II. P. I. p. 557. ed. no.

brorum, ſed ab obſervatione naturæ petitum promiſit G. BAGLIVIUS. Equidem an opus hoc cum aliis ibidem promiſſis publicæ dederit luci vir laudatiſſimus, cum opera ejus omnia, junctim edita ad manus non ſint, juxta cum ignariſſimis ſcimus, perſuaſi, immortuum propoſito eſſe optimo virum revera immortalem. Quæ autem de hiſce ibidem nobis reliquit, eo redeunt, quod patienti longaque obſervatione & accurata meditatione cognoverit tandem, Febres meſentericas Romanorum & infantum, exitiali antiacidorum teſtaceorumque, nec non kinæ kinæ abuſu exacerbatos magis, indeque fomentis potius, balneationibus, repetitis purgationibus, & demum, educta omni cacochylia ſero lactis cichoraceo, vel deſtillato aliquo ex ſuccis aperientibus curari magis debere. Sed quantum inde Hiſtoria harum illuſtretur febrium, penes alios judicium eſto. Meningum morbi ab illis merito ad deſiderata referuntur pathologica, qui, ut in physiologicis monitum, peculiarem illis motum tonumque cum BAGLIVIO & PACHIONO adſcribunt, quorum in numero cum & MEDICI BEROLINENSES reperiantur, mirum non eſt, eos in patho-

L. d. fibr. motr. & morboſ. p. 148.

l. c. p. 26.

thologia adhuc pressius in morborum capitis deductione hos ipsos morbos pertractandos commendare.

XV.

Ab his si recedimus, plura circa Hæmorrhagias deprehendimus desiderata. Quis enim ex vulgarium numero medicorum, sedulo unquam annotavit, Narium Hæmorrhagia quod infantili & puerili, Hæmoptysis juvenili & adolescenti, Hæmorrhoides & Vomitus cruentus consistenti utriusque sexus ætati, mictus denique cruentus senibus magis familiares sint, & quasi proprii? quis porro tantam earum, inprimis quæ naribus & ano fiunt, excretionum frequentiam, qua vix decimus quisque, in lauta inprimis & vinosa diæta, otioque vivens ab illis immunis degit, ea, qua decet, attentione vel observavit ipse, vel aliis, ut observent, proposuit? quis hæc omnia non pro affectibus directe morbosis, sed pro effectibus potius Naturæ salutaribus, quibus a superfluo & oneroso sanguine se liberare nititur, uti revera sunt, unquam habuit? quis denique non ipsas tantum excretiones sanguineas, sed & motus & conatus, & molimina Naturæ ad hunc scopum collineantia, de quibus circum-

cumſpecto rerum uſu toto admonemur die, vel ſolo nomine nota audivit unquam, vel typis exſcripta legit? quin omnes fere in ſolo ſanguinis circulo ita videmus acquieſcere, ut ſanguinem a corde propulſum ad omnes ſine diſcrimine partes uno vigore placidoque motu agitari, & in orbem ſemper ire exiſtiment, haud attendentes, id quod ante pedes eſt, data occaſione, vel plenitudinis vaſorum vel ab extra factæ commotionis, vel alius denique impulſus, ſanguinem modo huc, modo illuc in corpore præ cæteris partibus moveri, adjuvantibus motum illum tonico-ſpaſticis ſtricturis partium membranacearum pariter ac muſculoſo-ſpongioſa carne conſtantium, quibus illæ tum inter ſe invicem, tum vaſa his intertexta tam arcte ſtringuntur, ut ſanguis iisdem contentus ad aliam neceſſario partem ruere ibidemque exitum quærere, aut illo minus impetrato in partibus vicinis aut connexis ſtagnare pauliſper variaque gignere debeat incommoda, eo majora & graviora, quo ſæpius molimina iſta fruſtra repetuntur. Quemadmodum hanc rem incredibili ſtudio digeſtam, Vir ſupra laudem noſtram poſitus, G. E. STAHLIUS

.rus in variis paſſim ſcriptis ipſis tan-
um non legentium oculis ingeſſit.
De Hæmorrhoidibus ſigillatim conſtat
nter omnes, quod vaſa inteſtini recti,
ıæmorrhoidalia hinc dicta, ſedem agno-
ſcunt, tum quæ ab exitu non impedito
luentes appellantur, tum & cœcæ a tu-
berculis imperforatis & ſanguine ſta-
gnante turgidis dictæ. De oris vero &
veſicæ hæmorrhoidibus nemo fere cogi-
avit prius, quam Cl. MEDICI VRA- l. c. 1701.
TISLAVIENSES certas utriusque partis p. 274.
ıæmorrhagias hoc nomine & ab antiquis ſeq.
Medicis appellatas, hodieque appellan-
das eſſe, magno eruditionis apparatu
oſtendiſſent. Priori quidem denomina-
ione talem denotantes oris hæmorrha-
giam, quæ neque ad hæmoptyſin, neque
ıd vomitum cruentum commode referri
poteſt, cui quidem affectui alii Sputi
Cruenti nomen imponere conſuevere;
poſteriori vero ejusmodi ſanguinis per
vias urinarias excretionem innuentes,
quando ex ſuppreſſo fluxu hæmorrhoi-
dali, per ramulum aliquem ex vena hæ-
morrhoidali externa in collum veſicæ ex-
currente, id quod minime paradoxum
exiſtimant, & in cavitatem veſicæ hian-
te ſanguis per urethram exitum ſibi pa-
rat,

rat, quemadmodum fuſe atque erudite ſingulas utriusque hæmorrhagiæ, a nemine antea hoc vocabulo denotatæ circumſtantias examinant laudatiſſimi autores, neminem ut medicorum pragmaticorum pœnitere poſſit, aut pudere debeat, hiſce evolvendis atque ad experientiæ trutinam expendendis tantillum temporis conſecrare. Sunt vero & aliæ hæmorrhagiarum ſubito non raro erumpentium, & ſubinde lethalium cauſæ, in abdito latentes, quas ab interno quodam anevrismate dependere, indeque diuturnos & nulla arte expugnabiles dolores internos identidem proficiſci, iidem ſuſpicantur doctiſſimi ſcriptores, id quod obſervationibus propriis & alienis illuſtratum, hoc finiunt deſiderio: " ſane „præclariſſime de medicina mereretur, „ſi quis curioſius indagaret, & ſigna latentium anevriſmatum detegeret, ac „cum judice Paræo incurabilia ſint, rationem, qua ægri in tantis moleſtiis ex „parte ſublevari poſſent, ſolide oſtenderet, quod nuper A. Baglivius pollicitus eſt, ſeſe facturum. „

l. c. p. 273.

XVI.

Ad ultimum, in ſexus ſequioris ægritudinibus, earumque hiſtoria quædam

occur-

occurrunt deſiderata, paucis a nobis de-
libanda. Enimvero fœmina omnem
morbum bis patitur, ac habet id ſexus
ſequior præ digniori peculiare, generi
quod humano propagando, hominique
concipiendo, geſtando, pariendo, &
poſtmodum alendo ac educando a ſum-
mo rerum arbitro dicatus ſit, varioque
organorum hiſce inſervientium ſcopis a
conditore ſuo inſtructus omnipotentiam
ejusdem, ſapientiam ac benignitatem in-
finitam tacitis efferat laudibus: ſed & ob
organorum multitudinem ac varium in-
primis uſum, vaſorumque his intertex-
torum & cum reliquo corpore conſpi-
rantium innumerabilem copiam, aliasque
cauſas fortuitas, animique pathemata
in ſexu ob corporis teneritudinem, ani-
mique mollitiem & frequentius occur-
rentia, & nocentia magis, variis eun-
dem expoſitum eſſe morborum telis, in-
deque ærumnoſam ſexus muliebris con-
ditionem ſole meridiano clarius eluce-
ſcere, arbitramur. De quo quisquis
amplius dubitat, is menſtruam purga-
tionem &, quæ huic complicari ſolent,
moleſtias, fœtus per novem menſes ſo-
lares in utero geſtationem, multis itidem
magnisque ſtipatam incommodis, par-
tum

tum etiam, exquiſitiſſimis doloribus, cruciatibus & anxietatibus, ex mandato divino & ordine naturæ junctum, interdum etiam, neque id raro, aut matri, aut fœtui, aut utrique funeſtum; varia denique poſt partum, quoad lochiorum fluxum & lactationem, ut reliqua ſicco præteream pede, cogitet incommoda, & ſatis, ſpero, de veritate ejus convincetur. Neque vero defectu laboramus hiſtoriarum, obſervationum, ſyſtematum, morbos mulierum, eorumque ſymptomata, ſigna, cauſales nexus, & medendi iisdem rationem pandentium; quin integra, ſatis vaſta, proſtant volumina, his de morbis quæ ex condicto tractant: nihilominus ſuperſunt non pauca, quæ in deſideratorum claſſem merito reponuntur, de quibus cogitandi anſam præbet eruditiſſimus politiſſimusque obſervationum ſcriptor J. N. PECHLINUS. Is enim poſtquam in elegantiſſimo obſervationum opere plura apud fœminas obvia phænomena, qua ſolet, ἀκριβείᾳ enarraſſet, dubia diluiſſet, falſa rejeciſſet, ad rariora paulisper pedem promovet, eaque inter, fluoris ſanguinei & albi primo ætatis ſeptenario & ante erumpentis, menſium in adulta fœmina

L. I. Obſ. XIX. ſeq.

coitu

coitu provocatorum, ſtillicidii uteri gravidæ fœminæ innoxii, menſtruorum denique, vertice, naribus, pectore, ulcere pedum, via ordinaria impedita, exitum invenientium plures, easque ſingulares, nec e trivio petitas recitaſſet hiſtorias; neque dubitem, pergit, in mulierculaṙum ſcriniis plura abscondi ejusmodi exempla, quæ præpoſtero ſtudio cavent, ne nobis innoteſcant, & hinc adeo oriri putat, quod in iſta parte multa adhuc caligine circumfundamur, & porro: Ut in gy-" L. I. Obs. necæo plura ſunt animadverſione di-" XXXIV. gna, quæ notitiam effugiunt commu-" XXXV. nem, ita in his non omnia propalantur," inprimis, quæ in trivio agrisque contin-" gunt, ut quorum conſcientiam ſexus ille" ſibi reſervat, non facile Medicis, qui &" ipſi plebeja non magnopere curant, in" teſtimonium rei vocatis. "

XVII.

Morborum in Hiſtoria quid deſideretur, cum huc usque ſecundum potiora momenta viderimus; nunc ea, quæ circa morborum deſiderantur ſymptomata, breviter ſtrictimque annectemus. G. BAGLIVIUS deficere putat Hiſtoriam Affectionum Linguæ, nec non affectionum & qualitatum mutatarum cutis, oculorum l. c.

& aliorum ſenſuum in quolibet morbo, indeque novam omnino & accuratam poſtulat ſymptomatum omnium, quæ quemlibet comitantur morbum, recenſionem; ad ſumma enim iſta capita, ab Autore commemorata, fere omne id referri poteſt, quicquid ſymptomatum nomine in pathologorum ſcholis comprehenditur. Equidem unam eandemque ægritudinem, pro diverſa conſiderandi ratione modo morbi, modo cauſæ, modo ſymptomatis nomine interdum gaudere, urgentibus facile conceſſerim, modo ordinis gratia melioris hanc tripartitam affectionum morboſarum diſtributionem merito retineri, non abnuant. Quicquid vero ejus rei ſit, adſertum Baglivianum non omni caret fundamento. Licet enim integra proſtent librorum plauſtra, in quibus de variis ſymptomatibus longe lateque diſſeritur, laboramus tamen, niſi nobiſmet velimus blandiri, accuratioris defectu enumerationis eorum accidentium, quæ ſingulos morbos, in aliis quidem ſubjectis, pro temperamentorum, ætatum, ſexus deſcrimine alia, ceu umbra corpus ſuum, ſequuntur. Quæ quidem res cum luce ſua radiat, tum illi inprimis ejus abunde convincentur, qui,

qui, quando ad ægrorum grabbatos accedunt, longe aliam morborum, quæ ſuisſe produnt ſymptomatibus, faciem, quam qua in vulgaribus medicorum ſcriptis delineata proſtant, nobiscum plus vice ſimplici deprehenderunt. Rationem dictorum talem ſuggerit SYDENHAMIUS: "Exiſtimo, nos ob eam potiſſimum cauſam accuratiori morborum" hiſtoria ad hunc usque diem deſtitui," quia ſcilicet plerique eos pro confuſis" inconditisque naturæ, male ſe tuentis," & de ſtatu ſuo deiectæ, effectis tantum" habuere, ac proinde laterem lavare" crederetur is, qui juſtam eorundem e-" narrationem moliretur. " l. c.

XVIII.

Supereſt Hiſtoria Mortis ultimæ illius rerum lineæ, quam quæ antecedant, comitentur & ſequantur ſymptomata, medicorum equidem foret accurate deſcribere, eo quod morbi fatalem nacti eventum ipſa demum morte terminantur: manca proinde & incompleta maneret omnis morborum hiſtoria, niſi & ſingularia quorumlibet phænomena, tum, quando nulla ſalutis ſpes ſupereſt, obvia, reliquis adjungerentur. Sed deſideratur adhuc juxta BAGLIVIUM hiſtoria acci- l. c.

dentium omnium, quæ circa mortem patientis ſingulis in morbis obſervari præ cæteris ſolent: deſideratur, ad ejusdem mentem autoris, hiſtoria morborum, in quibus ægroti liberum ſenſuum & rationis uſum usque ad ultimum vitæ ſpiritum exercent, & in quibus illum prorſus amittunt multis ante mortem diebus. Scilicet de morte plane non ſollicitos deprehendimus medicos vulgares ſat, eſſe ratos, ſi qualicunque de morbis & rebus p. n. reliquis, ac conſcribendis formulis notitia imbuti, mortis meditationem theologis relinquant. Prærerquam autem quod chriſtianum hominem ejusmodi cogitationes, nedum verba haudquaquam deceant, Medici genuini hic occaſionem inveniunt uberrimam, in cauſas morborum, ipſiusque mortis, & verum morborum genium intimius inquirendi, ac univerſam adeo pathologiam medicam multis locupletandi acceſſionibus. Equidem, qui de morte quædam conſignarunt e Medicorum ordine, illi vel mortuorum ſic dicta miracula enarrarunt, inque cauſas eorum inquiſiverunt, quam in rem F. C. GARMANNI non contemnendum opus publice proſtat; vel de cauſis mortis, tam phyſicis, iisque generali-

ralibus, quam theologicis cum J. B. HELMONTIO ſolliciti, fuere, vel de morte ſubita expoſuerunt ejusque cauſas ſedulo perſcrutati ſunt; quo quidem munere post T. BONETI, & T. KERCKRINGII labores, F. HOFFMANNUS, J. H. HEUCHERUS & VATERUS, præclare defuncti ſunt. Sed parum hæc ad ſcopum noſtrum illi vident conferre, qui in laudadatis ſcriptis nihil, quod huic deſiderio omni ex parte ſatisfacere poſſit, offendere potuerunt, nihil eorum, quæ in variis morbis mortem vel antecedunt, vel cum ea connexa ſunt, vel jam factam in cadavere ſequuntur. Solus iterum STAHLIUS eſt, qui & hoc loco glaciem fere primus fregit, non theoriam modo mortis, ſed & varia tum ante mortem, tum in ipſa accidentia phænomena more ſuo, id eſt, ſolide tradens, eoque ipſo hiſtoriam mortis non parum illuſtrans, exemplum adeo aliis præbens, quo ductum ejus ſecuti, ad ſpecialiora, & ſingulos morbos ad mentem BAGLIVII applicent ea, quæ ibidem fuſius expoſita leguntur; id quod, ne BERGERIANAS easque egregias de morte meditationes amplius laudemus, G. C. DETHARDINGIUS præ cæteris laudatiſſimo conatu præſtitit. Frigore ſpeciatim ene-

Sepulchret. ſpicil. Anat. d morte ſubit. præc. Hal. 1707. d. præcav. morbis & præmat. morte. Hal. 1713. d. error. circa cauſ. mort. ſubitæ. Witemb. 1703. d. Mort. ſubit. cauſis. d. mortis theoria med. Hal. 1702.

l. c. d. vita & mort. Vitemb. 1713. Medit. Academ. d. morte. Roſt. 1723.

l. c. p. 45. ctorum corpora ut aperire liceret, ROSINUS optat LENTILIUS, quæ sit causa proxima gelu intereuntium, nondum liquere existimans, addita hac conjectura: Suffocari tales non credo: suaviter enim quasi obdormiscere, neque mortis amaritudinem sentire dicuntur, quod secus habet in soffocandis. „ Credibile est, „partem sanguinis serosam primo in ex„tremis vasis, hinc successive in majori„bus atque inde maximis congelari, sul„phureis quidem & globulis tantisper „manentibus, sed compage sanguinis hoc „modo soluta flammam seu spiritum vi„talem extingui. „

XIX.

Nunc igitur ad colophonem perductis illis, quæ circa Historiam Morborum desiderari maxime videbantur, ad Ætiologiam Morborum transitum faciemus, visuri, quid circa illam tam in communi, quam quoad nonnullorum sigillatim morborum causam etiamnum sit in desideratis. Quemadmodum vero illi, qui rei alicujus, quam tractant, historiam, & singula phænomena justa prius serie recensent, & ex iis deinde, tanquam datis, methodo mathematica suas eliciunt conclusiones, in causis reddendis reliquis solent

ent eſſe multo feliciores, ita facile appa-
ret, nos in ſerie cauſarum tanto plures of-
fenſuros ſcopulos, quo maiores circa hi-
ſtoriam morborum jam ante notavimus
defectus. Certum enim eſt, quod negle-
ctum obſervandi ſtudium aut ſegnius tra-
ctatum multas magnasque remoras cau-
ſarum evolutioni iniecerit. Duo enim
præcipui cum ſint medicinæ cardines,
Ratio & obſervatio; obſervatio tamen
juxta BAGLIVIUM eſt filum, ad quod l. c. p. 7.
dirigi debent medicorum ratiocinia: uni-
cuique morbo non fictitia, ſed propria
natura eſt: certe pariter ac propria prin-
cipia, incrementa, ſtatus & declinationes.
Et ſicuti hæc omnia ſine ulla mentis ope,
ſive independenter a mente peraguntur,
ita in exploranda illorum Natura nihil
uſui nobis erit ſubtilis & arcana diſputan-
di ratio, ſed repetita ac diligens obſerva-
tio eorum, quæ ſingulis accidunt ægrotan-
tibus, nec non ſolertia mentis naturæ me-
thodo pedisſequa & conformis. Enim-
vero ſicut præpoſterum ratiocinandi, &
hypotheſes quaslibet effingendi ſtudium
hiſtoriæ morborum, quo minus dextre
concinnaretur, multum obfuit, ita ex hac
tali hiſtoria non amplius pura, ſed inuti-
libus argutisque quæſtionibus fœdata,

nihil quod certum, quod ſtabile, in cauſis morborum reddendis colligi potuit. Hinc adeo illæ lacrymæ! hinc tot opinionum medicarum portenta & diſſidia, ut, quo te vertas, ſæpenumero neſcias. Id quod, ſi quisquam alius, probe perpendens STAHLIUS non arbitratur, hodie ullam eſſe doctrinam, quæ majoribus difficultatibus laboret, quam medicina. Quo loco, pudet dicere, pergit, niſi „magis pudendum eſſet, diſſimulatos „a nobis nævos ab aliis poſthæc nobis „objici, & gravius nos inde, tanquam „malitioſe celatorum vitiorum nomine, „exagitari, quousque prolapſa ſit medi„ca doctrina; in quæ non ſolum diſſidia „ſed portentoſos ſubinde diſſentiendi „modos & opinionum indies augeſcen„tes tricas, devoluta ſit.

d. error. med. pract. proæm.

XX.

Quod ut eo magis pateſcat, præcipua medicorum, qua veterum, qua recentiorum dogmata, de morborum cauſis ſtrictim perluſtrare juvabit. GALENUM qui ſequuntur, illi nihil niſi intemperies, calidas & frigidas, humidas & ſiccas, cum & ſine materia, qualitates manifeſtas & occultas, bilem, pituitam, melancholiam & ſimilia crepant, voculisque adeo nihil

nihil ſignificantibus ludentes rem ipſam per ſe obſcuram obſcuriorem reddunt. Id quod præter cæteros rigoroſum illud ſcholarum flagellum, J. B. HELMONTIUM male habuit, dogmatum ejusmodi patronos acerrima ut cenſura ſubinde caſtigaverit. Optandum autem eſſet, ut ipſe cum T. PARACELSO, & univerſa chemicorum turba, ad explicanda morborum phænomena ſaniores attuliſſet rationes. Sed hic præter Archeum irritatum, furibundum, fermenta varia morbifica, Gas, Blas, & ſimilia vocabula, fruſtra quæres, quod animum ſatiet, ingens ut dubium ſuperſit, an Galenicorum, an vero hæc chemicorum ſchola veram morborum ætiologiam magis unquam retardarit? & fermenta quidem morbifica cum pridem exploſa, & e foro eiecta ſint medico a M. F. GEUDERO, & F. HOFFMANNO, de Archeo ſaltem, modernorum etiamnum quorundam idolo, lubet addere judicium maximæ eruditionis Medici, G. C. SCHELHAMERI, quod ipſe Conringianæ in artem medicam introductioni adjecit: "Quid eſt unquam ignorantiæ aſylum conſtituere, ſi hoc non eſt? neque eſt, quod poſthac de inveſtigandis rerum" (mo-

Diatr. de ferment. part. ſpeciſ. d. Ferment. morbif. eject. e med. Hal. 1697. c. 2. §. 33.

„(morborum) causis quisquam sit sollicitus, sed sufficit nosse, ab archeo procedere, aut ideis seminalibus: quo semel admisso in brevem epitomen contracta physiologia, pathologia, medendi methodus, & pharmacevtica, sex mensium spatio perdisci vel doceri posse, non est dubitandum, solis experimentis deinde ulterius excolenda.

XXI.

Parum propemodum ab hisce distant, licet altius paulo originem repetentes, qui pathologiam salsam primum in scenam introduxerunt, aut illa etiamnum utuntur, ubi morborum symptomatumque causæ reddendæ sunt. In ipso nimirum HIPPOCRATE hujus patroni sententiæ existimant egregium legi documentum, quando ille inesse homini affirmat & amarum & salsum, & dulce, & acidum & acerbum, & insipidum καὶ ἄλλα μύρια, & sexcenta alia, illaque, quamdiu sub contextu reliquorum lateant, haud conspicua fieri, neque hominem lædere, ubi autem quoddam eorum reliquis prædominetur, tum demum hominem variis modis lædere, atque id ipsis jam tum priscis innotuisse medicis, tradit. Ex hisce verbis elicere satagerunt

L. de prisca. medic.

-unt non pauci, quod pleræque caufæ morborum, fi non omnes, fint ejusmodi potentiæ, ut vocant, falinæ, five falitæ variis inftructæ figuris particulæ, quæ fibras partium diverfis modis & numeris impellendo, varios, eosque anomalos producant motus, varias confequenter ftricturas gignant, e quibus obftructiones, ftafes, & corruptiones denique pro-gnafcantur. Quæ quidem fententia uti coloribus non deftituitur, quibus incautos rerum arbitros facile fallere poteft, ita plures reperit fautores, quorum primus fuit O. TACHENIUS, quem deinde magno numero fecuti funt alii, quos inter B. SWALWE, D. VAN DER BECKE, P. SEVERINUM, ipfumque F. DE LE BOE SYLVIUM, erectioris alias indolis virum & magni judicii medicum, nomina fua profiteri, fcripta illorum loquuntur: neque ipfum M. ETTMÜLLERUM ab hac longe abfuiffe fententia, monumenta ejus haud obfcure fignificant; licet huic, qua erat ingenii fagacitate, & peritia experimentali inftructus, mox fuboluerit, quod hypothefis magna laboraret generalitate, quam proinde ipfe fpecificationis mentione ad minimum notare laboravit, acidum pleu-

pleuriticum, cephalalgicum, nephriticum, venereum & ſpecificum quodlibet introducens, illisque & ſpecifica abſorbentia opponens. Sed, ut difficultates illas, quas magno numero adverſus hanc pathologiam ſalſam in ſcriptis paſſim & data proponit opera STAHLIUS, quas inter primariam illam de infrequentia morborum, in tanta ſalium frequentia, ſupra jam tacta, vel nominaſſe ſufficiat, ſilentii peplo involvamus, nobis perplacet criterium, quod L. LE VASSEUR, citante G. C. SCHELHAMERO de hujus patronis ſententiæ dedit: „ Factus de „ſpagyrico medicus idem ſemper in me„dicina garrit, quod in chemia profite„batur, ſalia fixa, acida, ſpiritus, efferve„ſcentiam, τὴν ὕψȣς ἀνάπεψιν, præcipita„tationem, quaſi in his ſolis medicina to„ta quanta eſt, conſtituta reſide„ret. „

P. P. de Pathol. Salſa.

l. c.

XXII.

Eandem fere rem, mutatis ſaltem verbis, denotant, qui cum C. BONTEKOE, ſingularis ingenii medico, a ſcorbuto, quem ex acido & viſcido compoſitum volunt, omnem morborum exercitum derivant, indeque omnem medicamentorum penum ad alcalium & reſolventium claſſem

redu-

reducunt, quæ morbis a contrario oriundis principio debellandis ſufficere arbitrantur. Cui quidem opinioni nullum ſubeſſe fundamentum, vel tyro artis judicaverit, & a nobis nullo fere negotio oſtendi poſſet, niſi otia iterum feciſſent F. HOFFMANNUS & J. GOLTBACHIUS. Hi enim acidi & viſcidi pro ſtabiliendis morborum cauſis, & alcali fluidi pro iisdem debellandis inſufficientiam, ſimul & humores Cl. H. non tantum craſſitie, ſed & tenuitate & fluxilitate nimia peccare poſſe, ita evictum dedere, ut, quid illis porro defendendis in medium afferri queat, plane non conſtet.

Ep. ad T. C. Krug. de Nidd. Tr. angl. de acido & alcal.

XXIII.

Qui a catarrhis omnes in univerſum morbos poſt C. V. SCHNEIDERUM, acerrimum illum catarrhorum propugnatorem, etiamnum derivare ſatagat, vix crediderim ſupereſſe, niſi ACTA ERUDITORUM LIPSIENSIA hominem ejusmodi & quidem gallum digito quaſi extenſo monſtrarent. Eſt is DOMERGERIUS, qui in peculiari tractatu, gallico idiomate conſcripto de modo tuendi ſanitatem absque remediis, demonſtrare conatus eſt, nullos dari morbos, præterquam a catarrhis oriundos, adeoque nulla

Supp. To. II. p. 62.

opus

opus esse medicina nisi levi manuali opera, ad sudorem, vomitum & sternutationem necessaria. A quibus non multum recedunt, qui vaporibus seu flatibus omnia, quæ p. n. hominibus contingunt, adscribere, id quod Asiaticis medicis diversis licet principiis innutritis solenne esse, C. KÆMPFERUS refert, cum alio quodam Gallo, qui LANGIUS appellatur, malunt. Is enim, ut eodem loco relatum legitur, quatuor fingit fermenta morbifica, epilepticum, glandulosum, lienosum seu melancholicum, & seminale seu hystericum in tractatu, quem de Vaporibus gallice conscripsit. Hunc, incertum, an J. B. GLADBACHIUS secutus sit, qui quatuor constituit morbos cardinales, febrem, scorbutum, cachexiam, atque catarrhum, a quibus reliquos omnes derivandos esse, censet. Sed, uti GLADBACHIUS hujus intuitu opinionis lubens fatetur, quod posteriores cogitationes sint meliores; ita LANGIUM istum, quod attinet, flatuum mirificos in corpore lusus, quos quilibet expertus subinde observat medicus, J. N. PECHLINUS, R. J. CAMERARIUS & J. M. VERDRIES alios inter præclare ostenderunt. Sed ut multa, ita neutiquam omnia in corpore mor-

l. c. Fasc. III. Obs. XI.

l. c. p. 7. seq.

Paris. 1689. 8.

Prax. med. ide noviss. 1694.

L. I. Obs. 57. d. Tensione Cord.

Ep. ad Hert. in

morboſo obvia phænomena a flatibus proficiſci, ſatis intelligenti patet, ut, quæ de fermentis ſupra monuimus, hoc loco repetenda non ſint. Ipſum vero quod attinet DOMERGERIUM, modo ſerio hæc ſcripſerit animo, riſu potius, quam confutatione dignum eſſe, nemo harum rerum gnarus in dubium vocabit. Sed animi potius cauſa, aut temporis fallendi, aliam ob rationem, joco ſaltem eſſe prolata ab autore, credamus licet, pariaque iſtum feciſſe cum populari ſuo, G. HARVEY, qui in peculiari, ſed itidem ſatyrico ſcripto, gallico pariter idiomate exarato, homines non modo ſanos, ſed & ægrotos, omni medicina, medicis omnibus carere poſſe, per jocum aſſerere non dubitavit.

Pr. Chir. M. B. V. p. 325.

La Medecine de Soy-meme.

XXIV.

Serio magis egiſſe illos arbitramur, qui cum A. KIRCHERO, A. HAUPTMANNO, C. LANGIO, A. LEWENHOEKIO, A. Q. RIVINO, C. F. PAULLINI, N. ANDRY, aliisque, pathologiam fere totam voluere eſſe animatam, vel qui hodienum eandem fovent ſententiam, videlicet, & peſtem & luem veneream, & ulcera, & variolas, & morbos fere omnes ab animata ejusmodi putredine produci.

duci. Et omnis quidem generis vermes in omnibus corporis humani partibus generari posse, observationum fide constat, & W. V. WALDSMIDIUS singulari labore demonstravit. Nam, alia, ut prætermittamus, sanguinem verminosum in EPHEMERIDIBUS GERMANORUM videre licet, quem & G. PATIN aliquoties se observasse, hisce testatur: „J'ai plusieurs fois ici vû sortir ces vers „des veines, par la saigneé du bras, mais „quand ils ont éte grans & morts, je „n'ai vû personne, qui en soit echappé. Neque lumbricos tantum, aut vermes ordinarios, sed & ranas & bufones, & alia quoque insecta atque animacula satis interdum monstrosa variis in locis delitescentia, & vel ante obitum prodeuntia, vel post mortem detecta observarunt rerum medicarum historiographi, quarum in numero satis memorabilis est a Doctissimo HEUCHERO observata, & ANNALIBUS PHTSICO-MEDICIS inserta canis vomitu ejectio. Imo vero experientia se didicisse fatetur J. N. PECHLINUS, nullum tam grave esse symptoma, tamque δαιμονιακὸν, quod vermes excitare non possit. Quousque vero novæ VALISNERII hypotheses habeant locum,

Pathol. animat. Spec. Aen. I. p. 147.

L. I. Ep. 85. & L. II. Ep. 13.

Vratisl. 1721. Apr. p. 428. Dec. p. 717.

L. I. Obs. 65.

ocum, ac quousque corpori vermes ſint
aturales, ulteriori induſtriorum naturæ
crutatorum diligentiæ cum E. CAMEΡ- Syſt.
ARIO relinquendum eſſe, exiſtima- Cautel.
nus. Ipſam vermium in variis corporibus med. p. 199.
enerationem, cum nulla æquivoca de-
ur generatio, non omni carere difficul-
ate, R. LENTILIUS phthiriaſi, & E. l. c. p. 520.
ÆMPFERUS dracunculis in exemplum l. c. p. 531.
ropoſitis, ſatis opinor demonſtrarunt.
Multa ergo in pathologia animata hodie-
ue patet deſiderari, de qua quid tenen-
um ſit, P. AMMANNUS, lepidi vir inge- Paræn.
ii, hiſce docuit verbis: „Sicut patho-" ad diſc.
ogia animata revera demonſtrabilis eſt," p. 152.
multorum morborum nos adhuc la-"
entium cauſas manifeſtare poteſt, præ-"
ertim acutisſimorum dolorum, adeo-"
ue hinc in praxi medica magni facien-"
a; ita ex adverſo omnes morbos a ver-"
nibus derivare, vel ex hoc capite mor-"
em ipſam vermem appellare, ac potis-"
mum ſcripturæ locis abuti, verminoſi"
rofecto judicii eſt indicium."

XXV.

Ultimo demum loco non illa præter-
ittenda videtur ſententia, qua duce
. STAHLIO, Animam Hominis Ratio-
alem pro cauſa morborum proxima cum

d. Anima Causa Morb. prox. Erf. 691. L. F. JACOBI multi hodie agnoſcunt. Enimvero, morborum quandam dari ſalubritatem, neque omnes mox mortiferos, ſed plures œconomiæ humanæ ſalutares eſſe, febrium exemplo intermittentium ſæpenumero conſtat: ſic & maximam eſſe animi pathematum, ad concitandos, & abigendos morbos vim, nemo ſanæ mentis in dubium vocabit: maximam pariter Naturæ αὐτοκρατείαν nemo, niſi rerum uſu deſtitutus, diffitebitur; ſed uti hæc ex commercio animæ cum corpore mutuo partim, partim ex circulo ſanguinis & tono partium, & utriusque robore atque integritate, absque ejusmodi præſide agente atque ſapiente proficiſcuntur; ita certum pariter eſt, ignotos plerumque animæ eſſe, quibus laborat, morbos, cum vix milleſimo ex plebe innoteſcat, quid intus & in corpore ſuo ſive ſano ſive ægrotante rerum peragatur, & quodnam morbi genus unusquisque in proprio experiatur corpore; certum pariter, animam non niſi invitiſſimam morbos plerumque, ipſamque tandem mortem experiri, quemadmodum a F. HOFFMANNO, J. A. WEDELIO, C. M. BURCHARDI, alios inter pridem oſtenſum eſt: &, quod palma- Med. Conſ. p. III. præf. d. Princ.

rium

ium in hac doctrina desideratum nobis Vitali
uidem semper visum est, reliqua ex hoc Jen. 1721.
onte derivata dogmata, ut veritati & ex- d. Nat.
erientiæ congruunt, ita inter se belle ni- Hu.Rost.
ilominus cohærent, si vel maxime pri- 1722.
num istud principium vacillaret aut libe-
um cuivis relinqueretur, quid Naturæ
omine denotatum intelligat.

XXVI.

Non attinet reliquas de morborum in
niversum causis opiniones, quas vel
lures inter se communes, vel unus alter-
e sibi peculiarem servat, justo porro or-
ine recensere; ex hactenus enim di-
tis abunde constare arbitramur, nullam
x allegatis hypothesibus rationi morbo-
um explicandæ aptam natam esse; neque
d de qualibet sub sole existente & huc-
sque nota sententia affirmari posse, pla-
e persuademur. Morbi enim cum ab
nvicem multum omnino discrepent, irri-
um omnino foret, ex uno illos fonte,
naque origine derivare omnes velle.
ectius proinde modestiusque se gerunt,
ui cujuslibet morbi peculiarem quæ-
unt, atque ex datis phænomenis colli-
unt causam; exceptis forsan illis, qui co-
nationis quasi vinculo connexi ab uno
odemque stemmate proficiscuntur. Ne-

 que

que valde mirabimur, medicos omni ævo
in caufis morborum inveftigandis tanto:
pere laboraffe, neque tamen huc usqu
rem acu tetigiffe, modo confideremus
id quod alias ad doctam medicorum
ignorantiam a nobis relatum eft, caufan
† c. p. 214. morborum, quam BAGLIVIUS proxi
mam, SYDENHAMIUS vero remotio
rem appellat, uterque tamen illam fubin
telligit fanguinis & reliquorum humo
rum in corpore prædifpofitionem, qua
proxime ad hunc vel illum morbum in
vitat, nos latere hodie, æternumque for
fan latituram, unde hic caufas, quas vo
cat, conjunctas, & certo fe prodentes, ill
vero procatarcticas obfervandas effe mo
net. Audiamus BAGLIVIUM, fequen
tem in modum differentem: „Te late
„qualisnam fit, qualiterque fe habeat tex
„tura minima & morbofa fanguinis, dum
„homo febricitat, dum pleuritide, apo
„plexia, delirio, aliisque morbis laborat
„& quænam fit caufa illa primo-prima &
„proxima, quæ fingulos in actum produ
„cit? in morbis enim five acutis five chro
„nicis producendis viget occultum quic
„per humanas fpeculationes fere incom
„prehenfibile, & nifi juvantium & læden
„tium teftimonio in illius cognitionem
per

ɛrveniamus, adminicula mentis irrita"
rorſus experiemur. Et ex hac, pergit,"
uſæ immediatæ ignorantia natum eſt,"
: alii exiſtiment, eam eſſe bilem, alii"
idum, alii pituitam cum humorum"
aternione, alii materiam ſubtilem &"
hercam, alii alia prorſus inania: qui-"
is indicationes curativas ſuperſtruen-"
, viam ſapientiæ, quæ curationi mor-"
rum ſit conformis, indagare neſciunt,"
d promiſcua decernendi licentia ner-"
s inquiſitioni humanæ incidentes, ex"
o malo, malum corvum educunt."

XXVII.

His de cauſis morborum in communi
æmiſſis, videbimus jam porto, quid
his vel illis morbis ſigillatim deſidere-
r, ubi cauſæ eorum veræ reddendæ
niunt. Prius autem, quam hoc di-
ptemus argumentum, inſignem ali-
em defectum circa ætiologiam mor-
rum in genere notare juvabit. Sunt
mpe vitia partium ſolidarum, quæ,
i in originem inquiritur ægritudinum,
eo raro allegantur, ut vix non ſem-
r fluidarum partium læſæ proportio-
s excluſis illis in partes advocentur.
ne quicunque totam partium corpo-
noſtri compagem ex ſolidis pariter &

liquidis partibus esse efformatam, vitamque & sanitatem in utriusque συμμετρίας consistere, attentius paulo pensitaverit, is quoque labefactatam corporis œconomiam a solidis non minus, quam fluidis partibus læsis arcessendam esse, conjectura haud difficili consequetur. De quo qui nihilominus ambigit, is tonum saltem cutis, & partium corporis externarum, per varias ætatum periodos multum mutatum, quique in prima ætate flaccidus & mollis est, in media robore suo & vigore gaudet, in senio rugas & sulcos contrahit, ac porro in variis morbis, spasticis inprimis illis, variam ludit scenam, ut mox pallidi, mox rubore perfusi, mox stricto nimis vel etiam laxo præter modum & œdematoso corporis habitu conspiciantur ægroti, sibi ob oculos ponat, ut reliqua taceamus phænomena, veritatis abunde convincetur, quæ tamen hucusque in obscuro delituit. Lubet hæc BAGLIVII iterum illustrare verbis: (est enim is fere solus, qui cum STAHLIO tum hujus tum aliorum in pathologia defectuum emendationem sollicite admodum desiderat) "ut ego sentio, multorum mor„borum causæ veræ, sed obscuræ, di-

fic-

ficiles, & a medicis minus diligenter quæsitæ in hoc solidorum vitiato tono, elatere, structura mutatoque solidorum ad solida, & liquidorum ad solida æquilibrio resident magis, quam in mille somniatis acidis, & mille fictis humorum moleculis, quas innovandi cacoëthe nostris temporibus adinvenit.

XXVIII.

Et in hoc solidorum tono vitiato & modo plus justo intento, modo relaxato nimis, genuinam febrium, qua intermittentium, qua continuarum causam, & paroxysmorum fiendi modum reperies, aut nullibi. Quæ enim alias in scholis medicorum vel de variis humoribus, diversas gignentibus febres, & modo intra vasa, modo extra ea putrescentibus a GALENO, ejusque asseclis; vel de spirituum vitalium, animalium, naturalium, genitalium, insitorum & influorum, motibus p. n. fuga & reditu, a C. WIRDIGIO, A. Q. RIVINO, aliisque; vel de archeo iracundo, furibundo, iterumque tranquillo a J. B. HELMONTIO & O. GREMSIO; vel de ideis variis & fermentis febrilibus a P. SEVERINO, M. MARCI, & M. KERGERO; vel de potentiis salinis innumeris ab aliis, uno

L.d.febr. omnibus conſpectu a G. C. SCHELHAMERO in ſcenam productis ad declarandam phænomenorum circa febres occurrentium rationem vulgo memorantur, illa fabulis potius quam veris rationibus propriora illis videbuntur, qui pleraque hæc dogmata ſupra ex cauſarum ſerie morbificarum expuncta eſſe recordabitur; illos igitur ſolos pretium operæ facere, patet, qui cum STAHLIO facta prius accuratiſſima omnium phænomenorum in principio, ſtatu & declinatione, in quovis etiam febrium genere occurrentium, hiſtorica enumeratione, tandem ex hiſce tanquam datis de eſſentia earum concludunt. Ac cum inſtituti ratio non ferat, ut diſtinctius ſuſiusque hæc proſequamur, lectorem harum rerum cupidum ad ipſa monumenta Stahliana ablegamus; quæ enim ignaris nimis pauca, illa intelligentibus nimis multa videbuntur. Alias difficile omni-
l.c.p.211. no eſt, id quod ab E. CAMERARIO opportune monetur, hactenus ſtatarum periodorum in febribus, aliisque morbis, accuratas ſufficientesque allegare
l.c.p.156. cauſas, certum vero P. AMMANNI effatum: "Doctrina de febribus utut a „SYLVIO, WILLISIO, HELMONTIO
&

& aliis erudite ſatis tradita videatur, ni-"
hilominus in multis ſatis adhuc eſt intri-"
cata & dubia."

XXIX.

Quæ de febribus in genere, multo illa magis de malignis febribus, ipſaque peſte, tanquam ſummo harum gradu valent. Equidem antiqui fere omnes, nec pauci recentiorum peſtis in ſumma putredine poſitam eſſe naturam arbitrantur. Ita enim multi cum H. MERCURIALI, & P. ALPINO, alios ut innummeros taceamus, luem hanc nihil aliud eſſe exiſtimant, quam ſummo putredinis gradu diffluens corpus, & conſimilem excretionem, tanquam ſeminarium peſtilens, ex ſucco & ſanguine ſpirans undique & exhalans. Nec multum culpandi eam ob rem ſunt viri præſtantiſſimi, quos ſanguinis in orbem circuitus latuit. Quo poſtmodum invento, neminem in eam abiturum ſententiam confidimus, ac ſi in homine peſtilentia correpto ſanguis, qui cordis pulſu per arterias venasque in corpore vivo indeſinenter movetur, eminentiorem aliquem putredinis gradum conſequi poſſit, præſertim cum ſanguis, ut obſervationum fide conſtat, per hæmorrhagias vel alia data occaſione e corpore

infecto fluens haudquaquam putridam, & dissolutam, sed floridam potius faciem communiter referat, ac vis haustæ contagionis agendi necandique celerrima, nullo putredinis indicio apparente, cum summo ejus gradu nequaquam stare possit. Atque ex his, quid putredini vivæ seu verminosæ, ob quam pestem animatam vocat A. KIRCHERUS, cui ex modernis A. C. GACKENHOLTZ, LE BEGUE, aliique hujus pathologiæ patroni, tribuendum sit, facile constare potest, inprimis, si, quæ supra de pathologia hac animata monuimus, his cum conferantur. Sunt alii, qui a sola imaginatione forti, terrore inprimis, pestem proficisci contendunt, quos inter Cl. RIVINUM esse, dissertatio ejus elegantissima de peste Lipsiensi satis clare docet. Quamvis vero sæpissime id contingere, haudquaquam inficiemur, ut a solo terrore quis sine vero contagio præsente peste corripiatur, non tamen ubivis id locum habere, nec horrendæ hujus luis congruam esse originem, inde colligamus licet, quod contagium omnis sæpe conditionis, & vitæ generis homines sine sexus & ætatis discrimine depascatur, hilaresque pariter ac tristes, pavidos & magnanimos

Scrutin. Pest. Pest. Averrunc. Qu. med. an pestis Massil. a Sem. verm.

nimos e medio ſubinde tollat. Accedit inprimis, id quod a conſumatiſſimorum biga medicorum, J. G. BERGERO, & F. HOFFMANNO ſatis clare cernimus e ſuis fontibus demonſtratum, veram peſtilentiam non niſi ex oriente ad alias derivari regiones, ac in Valachia, nec non Bizantii, itemque in Græcia, Syria & Ægypto, ac præſertim in Barbaria nunquam non primum obrepere clanculum, & tradito quaſi per manus contagio, ex infectorum hominum contactu vel afflatu oriundo, citiſſime ſævisſimeque per populum ita diffundi & diſſeminari, ut paucorum dierum ſpatio multa ſæpe hominum millia depaſcatur, ſuoque adeo exemplo clare ſatis confutet, id quod H. PERLINUS peculiari labore evincere conatus eſt, nullum morbum, neque ipſam adeo peſtem contagioſum eſſe. Quibus vero initiis & temporibus illa contagio in oriente extiterit, minus adhuc conſtat; nam & P. FORESTO judice, propria & peculiaris conſtitutio, atque præparatio, quæ loca vel corpora reddit peſti obnoxia, omnino nos latet, neque ſenſu, neque ratione, ſed ſolo eventu & experimento comprehenſa. Et, ut efficiens, ita etiam patiens excipiensque peſtis

de Peſtilent. Vera. de Orig. & Nat. peſtis.

L. VI. Obſ. XI. Schol.

cauſa

„causa cæca est & occulta, non qualita-„tum primarum intemperie, non simpli-„ci putredine, sed totius substantiæ pro-„prietate nobis infensa. Inde adeo J. CRATO contagium pestilentiale τὸ θεῖον appellat, & diversitatem veneni pestilentialis, & verum specificum remedium solius Dei majestati reservatum & cognitum, nobis vero incognitum esse fatetur. F. JOEL vero pestilentiam affirmat esse pœnam divinam, ulciscentem enormia scelera hominum, per venenata seminaria pestis, in aërem a Deo sparsa, ac deinde per contagionem in multos propagata.
l. c. 1701. p. 251. Et sicuti cum MEDICIS VRATISLAVIENSIBUS fatendum est, frustra esse eos, qui a nobis requirunt, ut μιάσματος contagiosi naturam omnem, & differentiam præprimis aut modum, quo in corpore symptomata varia excitat, exponamus, quod oculi hic caligent, non secus ac vespertiliones ad clarum diei jubar; ita nec illis, nec nobis fraudi esse debet hic candor. Nam & Cl. BERGERUS, quando in causam pestis inquirit, & τῶν μιασμάτων inprimis indolem declarare nititur, ingenue & candide, ut solet, quid sentiat, edisserit: „Verum, quale & cujus natu-„ræ sit illud μίασμα, non deerunt fortas-

sis

ſis ſagaciores, qui, ut ſolent naturas re-"
rum inveſtigare, ex principiis phyſicis"
inquirant. Nos eam ſcimus adhuc dum"
latere & ignorari, & illud θεῖον, uti mul-"
tis in morbis aliis, quorum profecto cau-"
ſæ non ita exploratæ ſunt, quemadmo-"
dum multis in mentem venit, qui in can-"
cellos Aſclepiadeos redigere artem co-"
nantur, ita hic etiam cum prudentiori-"
bus libenter agnoſcimus, & miramur"
merito cum C. CONSENTINO, tot &" l. c.
tanta volumina de peſte quotidie exara-"
ri, cum nemo non fateatur, imperveſti-"
gatam eſſe illius naturam, & omnino ab"
humana intelligentia remotam. "

XXX.

Haud diſpar eſt ratio morbi infantilis, ſed qui adultos quoque non raro magno cum ſalutis diſcrimine corripit, ac parvæ proinde peſtis nomine quibusdam haud inepte venit, Variolarum nempe & Morbillorum. Horum enim cauſa affectuum, ſi quæ alia, in occulto adhuc latet, a nemine in hunc usque diem ſatis agnita aut inveſtigata. Quod ut eo conſtet clarius, potiores lubet examinare de ortu variolarum ſententias hucusque notas, e quibus deinde, quid veri ſubſit, vel fingatur, aut alias deſide-

retur,

retur, haud difficulter innotescet. Et variolas quidem, a quibus morbilli non nisi gradu differunt, veteribus ignotas, saltem in Græcorum scriptis minus tactas, ac, ut quorundam fert opinio, in multis mundi partibus prius non visas, quam contagio æthiopum similiter affectorum inficerentur incolæ, ab Arabibus demum, seculo a nato Salvatore circiter duodecimo, primum esse descriptas, extra controversiam positum esse arbitramur. Hos inter AVICENNA, MESUE, RHASIS, ALSAHARAVIUS, adeo accurate & diligenter affectus hujus ingenium historiamque exposuere, ut recentiores parum de suis addidisse videantur. Ast, ubi causa harum affectionum reddenda erat, illam in sanguinis impuritates menstrui tempore gestationis collectas, & a fœtu in materno utero haustas conjecere. Præterquam autem, quod ineptum illud de maligna sanguinis, quem vocant, menstrui, qualitate, & venenosa natura, qua & plantas & animalia necari, fingebant olim, dudum explosum sit dogma; neque etiam, quod avtopsia nunc constat anatomica, fœtus sanguine menstruo, qua tali, sed materia potius albicante chylosa, partim per

chorii

chorii amniique vaſa perpluente ac ore poſtmodum abſorbenda, partim per vaſa, quæ vocantur, umbilicalia, immediate fœtui communicata, nutriatur; nulla ſubeſſe ratio videtur, cur hoc contagium in proprium fœminæ corpus, ſi qua in illo vel poſt partum, vel extra ingravidationis tempus diutius ſtagnet, moramque contrahendo peregrinæ indolis particeps fiat, vim ſuam labemque non æque exerat. Sed antiquis hæc & meliora non edoctis facile condonamus: valde autem mirum, quod hodienum in tanta inventorum luce medicorum nihil tamen certi ſolidique quoad hujus ætiologiam morbi in medium proferre liceat. His quo occurreret dubitandi rationibus, Doctiſſimus M. ETTMULLERUS cauſam variolarum in lacte materno vel nutricum variis modis, tum in, tum extra corpus infantis vitium contrahente, ac in variis tubulis diu ſæpe hærente, tum vero & in ſanguine latitare, atque contagii, vel aëris occaſione ambientis in actum deduci, credit. Et hæc, niſi me fallunt omnia, hodie plerorumque unanimis eſt ſententia medicorum. Quæ enim Celeberrimus J. DOLAEUS rejectis aliis, de certa ſanguinis ad hunc mor-

l. c. p. 244. 346.

Encyclop. Med.

Dogm. L. IV. c. VI. morbum dispositione, non vero nisi certo materiæ subtilis motu, & fermento acri, acido, volatili caustico accedente in actum deduci, scripta reliquit, eodem fere recidunt: quælibet interim suos patitur manes opinio; relinquitur enim semper primarium illud desideratum, in quonam dispositio illa sanguinis ad recipiendum variolarum contagium apta consistat? multo minus illi satisfit quæstioni, qua, unde prima variolarum origo derivanda sit, varie multumque disceptari solet. Videns hæc M. LISTERUS, doctissimus Britanniæ medicus, non dubitat hisce, quid sentiat, profiteri: Quænam fuerit prima & peculiaris illa materia contagiosa, sive venenum, quod primum hominem infecit, atque humana corpora post tot secula eadem labe corrupit, non ita facile est dicere; certe Prometheo non adfui, cum Pandoræ pyxidem aperiret, ut, quæ mala inde egressa fuerint, certo cognoscerem: causa quidem primaria hujus mali ac evidens, fateor, valde in obscuro est, si tamen conjecturæ nostræ, certe plausibili, venia detur, quid mihi impræsentiarum in mentem venerit, dicam; nimirum illam infectionem a bestiola aliqua vel esu, vel ab ejus morsu pri-

D. d. Variol. p. 5.

primum genitam fuiſſe, deinde in omnes homines paſſim tanquam hæreditarium malum propagari. Nobis ingenua placet confeſſio STAHLII, qua veram variolarum cauſam hodieque ignorari claris ſatis verbis non dubitavit aſſerere, itemque SLEVOGTI, cujus hæc ſunt: Conſtituunt variolæ egregium equidem morborum hæreditariorum exemplum, & nihilominus tamen ſatis obſcurum manet, in quonam ratio formalis materiæ peccantis conſiſtat, quæ ſub fermenti, miaſmatis, ſeminii, aut quacunque alia ſpecie fœtui communicatur, inque uno citius, in alio tardius, in nonnullis plus ſimplici vice tam hoſtiliter agere, tantumque in humoribus vitalibus tumultum concitare ſolet. Hæ vero & ipſæ an interna quoque viſcera occupent, ſi quæritur, multi quidem cum FERNELIO, KERCKRINGIO, FRANCO, BRENDELIO affirmativam tuentur, avtopſia edocti, cum ex adverſo alii cum BARTHOLINO, HOFFMANNO, LENTILIO, in ejuſmodi cadaveribus aut ſana omnia aut partes nonnullas inflammatas, gangrænoſas offenderunt manifeſto, documento, non hanc aut illam ſententiam eſſe erroneam, ſed

Diff. d. Variol. & Morbill.

d. puella variol. malign. lab. §. XV.

Cent. III. Ep. XXIX.

Med. Conſult. II. V. III. p. 232.

Eteodr. Med p. 153.

ſed incerta omnia & profundis tenebris immerſa.

XXXI.

Multum variolis cum abominanda iſta lue, quam alii Neapolitanam, Gallicam alii, alii veneream appellare malunt, intercedere affinitatis, vel ſola utrique affectui a Gallis impoſita monſtrant nomina, quando hanc variolam magnam, vel etiam la Verole καт' ἐξοχὴν, priorem vero affectum la petite verole appellant, non aliam quidem ob cauſam, quam ob luis hujus aliqualem ſimilitudinem cum variolis minoribus ratione macularum & puſtularum ex obſervatione N. BLEGNII.
Zod. Gall. Ann. I. App. 11. Dirum hoc morbi genus, quod veneris illicitæ flagellum appoſite vocatur, ſuperioribus ignotum ſeculis, a Græcis certe & Latinis Arabibusque nusquam notatum, ſed anno demum a recuperata mundi ſalute CIↃ CCCCXCIII, cum redeunte ex Indiis occidentalibus infecto Chriſtophori Columbi exercitu Barcinonem primum in Hiſpaniis, mox deinceps expeditionis gallicæ occaſione Neapolin & Italiam reliquam invaſit, & hinc poſtea in Galliam & Germaniam ac cæteras orbis partes pervenit, uti Cl. BERGERUS ſcite advertit. Quo eodem
Diſſ. d. Peſtil. ver. I.

autore

autore & uſu id comprobante, hoc malum virus ſuum craſſum lentumque, non niſi impuri contactu corporis per magis hiantes atque meabiles partes infundit, & quia blanditiis & complexibus potiſſimum venereis ſe inſinuat, merito venereum vocatur, atque ob miras commiſcendorum corporum libidines nusquam locorum ceſſat, & nunc palam ſe prodit, atque graviſſimis dolorum cruciatibus, & exanthematis ac tumoribus variis excruciat hominem & conficit, nunc vero clanculum & aliorum ſpecie morborum, quibus ſe implicat, infirmat eundem ac perdit. Satis igitur cum conſtet, qua ratione fœdiſſima hæc lues hodieque propagetur, non immerito rurſus quæritur, undenam primitus illa contracta ſit. Cui ut ſatisfaciat LISTERUS quæſtioni, a morſu iterum alicujus animalis venenati, vel victu quodam venenato ſerpentum, inprimis quadrupedum, hujus originem mali derivandam eſſe ſuſpicatur. Sed, „judice BERGERO, minus adhuc conſtat, „quando & unde in novo orbe contagi- „um ortum ſit. Namque incerta ſunt „omnia, quæ de hujus origine ab anthro- „pophagia, vel a morſu victuque venena- „to, aut eſu ſerpentum quadrupedum, „

d. morb. chron. cap. d. lue. ven.

l. c. §. X.

„quos vocant inguanas, adduci a quibus-„dam ſolent. Similiter, ubi de cauſa hujus contagii proxima, & ratione ejusdem formali, quæ vocatur, ſermo eſt, A. DEIDIER omnia luis gallicæ phænomena, deſumtis a juvantibus mercurialib9, & maxima contagii energia argumentis, vermib9 exiſtimat in acceptis eſſe referenda. Cæterum acrimoniam plerique cauſticam, alii tamen lixivam, alii acidam, alii mixtam, & cum lentore & humorum coagulo conjunctam, utplurimum ſui generis cachexiam accuſant, quippe quæ nullam habeat ſui ſimilem, quamque accuratius determinare vix non impoſſibile ſit, quemadmodum hoc tum ab aliis, tum a Cl. M. ETTMÜLLERO factum videmus, qui licet ad acidorum claſſem hanc referat acrimoniam, acidum tamen illud ſui generis vocat, & cujus natura a priori non adeo exacte determinabilis ſit. Hujus occaſione morbi pruritus opportune recordamur, ut pote qui in nonnullis univerſalis & per totum corpus ad lipothymiam usque moleſtus eſt, aliis vero in certis tantum partibus, ano, pudendis, oculorum palpebris, auribus, negotium faceſſit. Hic enim, ſi MEDICOS audias VRATISLAVIENSES, arduum eſt ali-quid

Diſſ. de morb. vener. Lond. 1724. 8.

l. c. p. 457.

l. c. 1700. p. 105.

quid operæ pretium præstare, eo quod fere ignoremus, quidnam illud sit, quod cutem & membranas, seu potius papillas miliares, earumque fibras per cutim dispersas hoc molesto sensu afficiat? quod quidem argumentum fusius eodem loco disceptatum legi & attentius considerari, l. c. 1699. p. 58. cumque eo conferri meretur, quæ de Nodulis subcutaneis, sibi aliisque hactenus non visis, ab iisdem commemorantur.

XXXII.

Ad particulares nunc porro morbos quando descendimus, eorundem causas examinaturi paulo curatius, capitis & nervosi generis pathemata quoad ætiologiam deprehendimus nondum omnino ad liquidum perducta. Profundissime enim abscondita deprehenditur fluidi hujus animalis theoria pathologica non minus, ac physiologica genuina, judice J. BOHNIO. L. I. d. Off. Med. c. XVIII. p. 348. Epilepsiam idiopathicam supra paucis tetigimus. In catalepsi veteres congelationem seu coagulationem spirituum animalium accusabant, cujus in locum recentiores nihil, quod sit ἄξιον λόγου, surrogarunt, nisi quod vocabulum spirituum cum succi nervei notione commutaverint. Sed, uti E. CAMERARIUS opportune monet, præ- l. c. p. 283.

 staret

ſtaret ſæpe ſpecialiſſimas cauſarum energias, modosque agendi non inquirere, quam talia fingere; quanquam ad ejusdem mentem autoris, fictiones excuſandæ ſint in rebus obſcuriſſimis, ſiquidem curioſitas hominum nihil æquo animo velit neſcire, omniumque cauſas evidenter habere perſpectas exoptet.
l. c. p. 287. Idemque Cl. autor, in ætiologia Deliriorum obſcurum explicari per æque obſcurum, non dubitat affirmare, haud ſecus ac Hydrophobia myſteriis medicis
Vratisl. 1719. Febr. p. 213. in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS diſerte annumeratur. In incubo genus nervoſum pati, MEDICI equidem
l. c. 1702. p. 83. VRATISLAVIENSES, prævio ſedulo & prolixo hujus affectus examine, ſuſpicantur, ſed inſimul dolent, quod modus læſionis fere notitiam noſtram effugiat; de pareſeos porro ætiologia ita ſentientes: „aliis determinandum com-
l. c, 1700. p. 175. „mittimus, quomodo & per quas vias „doloribus inteſtinorum pareſis ſuccedat, nec definimus, an metastaſis materiæ ſpasmos excitantis fiat per vaſa „ſanguifera, an per nervos, quamvis „iſtud nobis magis videatur veroſimile. „Et ſane, in hac collectione, ſi colicus „dolor eſt nervorum affectus, atque ner-

vi

vi tum abdominis, tum inteſtinorum
craſſorum aliqui, tum pedum & ma-
nuum ſurculi ſunt, ex eadem ſtirpe, ſpi-
næ ſcilicet medulla, prognati, materia
peccans, nimirum humor tenuis, ichoro-
ſus, vaporoſus & ab inteſtinorum & ab-
dominis dolentibus membranis nervis-
que in nervoſas tum pedum, tum ma-
nuum partes propellitur, in hac, in-
quam, ratiocinatione, multa deſidera-
mus. Sic & de Plica Polonica fuſe equi- l. c. p. 202.
em & erudite exponunt, cauſam tamen d. Affect.
jus proximam, tot inter eruditorum ocul. p. 9.
onjecturas determinare non æque au-
lent: In morbis oculorum, quoad cata-
actæ & guttæ ſerenæ pathologiam non
auca monet STAHLIUS, de quibus de-
iderata inter chirurgica commodior for-
e dicendi locus erit. De linguæ vero
pice amareſcente, quem in nobili quo-
dam viro obſervatum ſub γλώσσης ἐπι-
κρμένης titulo deſcribit, quid ſentiat, in
cauſas miri affectus inquirens, ſed non pe-
netrans his profitetur A. DEODATUS: Valet. p. 272.
„ſolam linguam ſine palato & reliquis o-
„ris partibus amareſcere, rarius eſt, &,
„quod magis mirandum, linguam non
„totam, ſed ejus partem tantum aliquam,
„quin imo ſummum ejus apicem ama-

„rore ſolum tentari, id certe & infre-
„quens eſt, & a pauciſſimis, quod ſciam,
„aut forſan a nemine, ni fallor, hacte-
„nus obſervatum.

XXXIII.

Media in corporis cavitate, quæ pectoris nomine venit, morbus ſatis frequenter occurrit, qui Hydrops pectoris appellatur, quo & Hydrops pericardii, ſeu Hydrocardia ſpectat; ſed cujus cauſa, & generandi modus non æque in aprico eſt. MEDICI certe VRATISLAVIENSES, in magna hujus materiæ caligine, minime ex re eſſe, exiſtimant, multa tanquam vera ſupponere aut variis inhærere conjecturis & commentis, quæ tempore abolentur, atque inde, pergunt, nemo a nobis expectet, ut determinemus, an cœcis ductibus aqua ex pericardio in pectus, an ex hoc in illud ſubinde extillet, quamvis oppoſita ſententia nobis multo videatur probabilior. Quo quidem loco empyematis, quo nomine puris in cavitate thoracis collectionem deſignant pathologi, opportune recordamur. In illa nimirum æque ac in pleuritide ſuppurata, ſimilibusque pectoris affectibus a puris in ejusdem cavitate collectione oriundis, cum evacuatio

L. d. Hydr. Pect. c. 2. §. 12.

puris

puris pro ſervando ægro prorſus ſit neceſſaria, viæ autem nullæ ſint ordinariæ, per quas id præſtari poſſit, ſagax ſubinde natura vias ſibi extraordinarias quærit, & ſæpe quidem per os atque expectorationem, non raro quoque per urinam, umbilicum & corporis peripheriam, inque primis per alvum materiam purulentam e corpore proſcribendo ſaluti ejusdem conſulit, cujus quidem rei varia exempla BONETUS, HILDANUS, SCULTETUS, BORELLUS, HORSTIUS, DIEMERBROECKIUS, TULPIUS, aliique memoriæ prodidere. Sicut autem attenti ejus rei obſervatores ſatis de facti veritate certi eſſe queunt, ita hujus ætiologia phænomeni multam illis crucem figit. Et ſi verum fateri lubet, hodieque ignoratur, qua ratione aut per quas vias materia ejusmodi purulenta e pectore ad dictas corporis regiones amandetur; ut enim de illa nihil dicamus via, qua pus in cavitate thoracis collectum, per pulmones cum tuſſi interdum evacuatur, quæ minus etiam expedita eſt, reliquæ jam dictæ viæ longe magis abſtruſæ ſunt nec ſatis exploratæ, ut totum hoc negotium nondum ad liquidum perductum eſſe, quilibet fateri cogatur, niſi

quis ſorſan, de quo tamen valde dubito, illa ſibi ſatisfactum putet ætiologia, quam Cl. RIVINUS ſuppeditat, quando, priores quod attinet vias, non improbabile eſſe judicat, redire per venæ azygos ramificationes materiam illam in pulmones, atque tum, ſuperveniente tuſſi vehementiori excuti per aſperæ arteriæ canales, & pulmones in ſuperficie perforatos inſtar ſpongiæ abſorbere ſaniem, eamque ad arteriam aſperam ablegare, ad expuendum accedente inter tuſſiendum valido diaphragmatis motu verſus ſuperiora cum impetu materiam purulentam excutiente; & quoad poſteriores ita ſentit: libertatem Naturæ non denegamus, inveniendi alias aliasque vias, ſi libitum fuerit. Adeo enim expeditæ non ſunt, quas in hiſce caſibus quærit, quando cum urina, vel cum alvinis fecibus, empyicorum pus educit: ut taceamus eas, quibus non raro utitur in educendo ſanguine congrumato poſt caſum ab alto, item ſi quæ inepta deglutita fuerint, e. g. aciculæ, culter, clavus ferreus & ſimilia. Nimirum, quæ in prima fœtus formatione omnia diſponit & ordinat, viamque ſanguini, bili, ſero, cæteriſque humoribus tam laudabilibus, quam excrementitiis parat; quid-

Diff. d. empyem.

quidni eadem, si necessitas urgeat, viam inveniat excernendo puri? nec refert, utrum pori, vel ductus jam existentes ampliandi sint, num vero alii de novo formandi. Nimirum hæc ita comparata non sunt, ut non justis ex causis in dubium vocari queant. Multæ certe viæ" sunt in corpore adhuc nulli notæ præter" naturam, quæ in vivis patent, & in crisi" naturæ patentes, humorum μεταστάσεις" admittunt. Utinam omnia nobis evi-" denter aperirentur, & vela ob oculos" posita tandem removerentur, quem ad-" modum T. BARTHOLINUS apposite scriptum reliquit, quocum paria per omnia facit J. SPONIUS, qui de pure in pectore collecto, per alvum exeunte quid sentiat, verbis pone sequentibus exponens: Vias medicis invias reperit αὐτοδίδακτος natura; nimirum occultæ morborum inter se permutationes, ad has potius, quam ad illas partes metastases, occulti pariter partium inter se consensus juxta BAGLIVIUM, huc pariter spectant. Inter tibias & pectus, inter pudenda & pectus arcani quidam observantur consensus. Quæ variis illustrata exemplis, ulcerum inprimis antiquorum, cauteriorum, aliarumque in tibiis affectio-

[Marginal notes: Cent. IV. Ep. LVII. — Aphor. Nov. p. 334. — l. c. p. 10]

ctionum, quæ imprudenter ſanata in pectoris perniciosſos deſinunt morbos; pediluviorum item ac diureticorum, quæ in morbis pectoris utilia ſunt; tuſſis etiam, quæ tumore aut inflammatione teſtium, teſtium viciſſim tumoris, qui tuſſi accedente ſolvitur ſecundum HIPPOCRATEM, hydroceles porro, qua diſcuſſa hydrops pectoris ſupervenit, ex obſervatione MEARÆ, eodem loco legas licet. Quibus ſi conſpirationem illam, quæ caput inter & pedum plantas, in pediluviorum uſu cernitur, quæque abdomen & peripheriam corporis, inprimis quoque pedum extrema in colicis, aliisque abdominis affectibus pro varia tranſpirationis modificatione diverſimode affligentibus intercedit, addas, illa quidem omnia in ipſa fundata eſſe experientia, ſed rationem eorum, dubio omni carentem, vix poſſe allegari, deprehendes; idem prorſus de occulto illo pectoris & aurium conſenſu, quo omnes fere pleuriticos ſanari videmus, quibus in interiora auris dolor & exinde ſuppuratio ſuperveniunt, aurium pariter cum faucibus ſympathia, quam ſelectis prorſus hiſtoriis illuſtratam dedit Cl. PECHLINUS, & reliquis omnibus phænomenis, quæ circa conſenſum

L. II. Epid. Sect. I. V.

L. II. Obſ. XIV.

ſum partium a M. E. ETTMÜLLERO, H. J. REGA, & J. H. SLEVOGTIO, juſta ſerie enarratis, & quoad licet, ab origine cujusque debita derivatis, ipſis his non diffitentibus autoribus tenendum eſſe, exiſtimaverim.

C. H. Sympathet. Sympath. part. C. H. d. ἐυθυωρία part.

XXXIV.

Abdominis inter morbos, haud ra-ra proſtant illius affectionis paradigmata, qua fœminæ inprimis gravidæ, tum ve-o & virgines, chloroſi præcipue, aliis-que cachexiæ ſive gradibus ſive modis aborantes, nec non pueri, alimenta in-erdum vulgaria averſantur, ad extra-ordinaria autem & quæ vix a liquoribus n ventriculi & inteſtinorum cavitate ſta-ulantibus ſolvi poſſe credas, ingenti ppetitus ſtimulo feruntur, ac cretam, alcem, carbones, favillam, fuliginem, & quæ ſunt ejus generis alia, abominan-a ſubinde & obſcœna in delitiis habent. icam communiter vocant medicorum lii, cujus cauſam in abſcondito latere, lerique arbitrantur medici & philoſo-hi, de hujus cauſa mali ſolliciti, diver-mode licet circa illam philoſophati; ad num fere omnes in hoc conveniunt, ori-. nempe picam a vitioſo & excrementi-o humore tunicas ventriculi obſidente,

&

& vitiosum ejusmodi appetitum excitante. Verum unde hic humor adveniat, & qua ratione peccet, a nemine in hunc usque diem satis est demonstratum. Et dum alii similem, alii contrarium volunt humorem rei, quam appetunt, quærere liceat cum J. DIEMERBROEKIO, quænam vel qualis esse possit alicujus humoris natura vel qualitas admirabilis, quæ ita moveat fibrillas nervorum & cerebri, ut ratione illius specialis motus excitari queat appetitus ad lapidem molarem, fistulas tabacarias, carbones, aliasque res absurdissimas, quas neque ut molestæ vellicationis remedium, neque ut res necessarias appetere possumus. Quid humori nigro cum carbonibus? quid cani cum balneo? nigredo visum, appetitus gustum respicit, neutri sensui quid analogum cum carbonibus est; confusæ sunt perceptiones, peculiaris illa vis est, quam enixe proinde quærit, quamque e Democriti puteo extractam videre optat Cl. B. ALBINUS. Pulchre id, quod volumus, expressit doctissimus J. N. PECHLINUS: „Est appetentiæ cujusdam enormis species, picam vocant, non virginum tantum & matronarum, sed & virorum & pu-

Anat. L. I. c. VII.

Diss. de Pica. §. IX.

L. II. Obs. LV.

puerorum ludibrium; hujus cauſam ſi" forte ad fermenti acrioris & exaltati na-" turam retuleris, aliquid ſane dixeris, ſed" de modali & ſpecifica ejus ratione," quod factum oportuit, nihil adhucdum" conſtiterit. Accedat labefactatæ aut" errantis phantaſiæ vitium, quod acri agi-" tatum fermento ad abſurda & inſveta" deducat, necdum tamen omnia in vado." Quemadmodum vero in pica inſolita appetuntur, ita in morbis ſic dictis magicis inconſveta non raro ex primis viis, ἄνω καὶ κάτω excernuntur, miraque ipſis inferunt tormenta. Quorum exiſtentiam morborum multi quidem hodie in dubium vocant, alii vero cum G. C. SCHELHAMERO eosdem exemplis atque rationibus probare nituntur: alii cum G. DETHARDINGIO media incedentes via nec omnia rejiciunt, nec omnibus fidem mox habent, quæ circumferuntur, exemplis, cum & circumſtantiæ mire varient & modus, quo iſta contingant, nimium adhuc ſit intricatus atque obſcurus; ulterior igitur experientia majori in luce iſta etiam ponet phænomena, ac mirabiles morbos, in ſe ſatis certos, ſicuti appoſite advertit E. CAMERARIUS, cujus & de venenis ore aſſumtis, aut aliunde cor-

d. Morb. Magicis Kilon. 1704. d. Obſeſſ. ſpuria. Roſt. 1721.

corpori applicatis, ſententia apprime huc quadrat, agendi eorum modum quippe ſatis obſcurum innuens, digna itaque viſa, quæ hic quoque legatur: „Adeo volatilis eſt veneni indoles, mobilisque, „ac in minimo efficax, licet admodum, „qua ſpecialem agendi modum, occulta, „nec clare ſatis a Dn. Mead detecta, nec „ab ullo alio hactenus plene ſatis pertractata; unde in iſta doctrina difficillima „aqua adhuc medicis cumprimis hæret.

l. c. p. 193.

XXXV.

De ileo morbo, qui alias volvulus, chordapſus & iliaca paſſio, & ob ſæviſſimos cruciatus miſerere mei appellari ſolet, in quo pertinaciſſima alvi obſtructio cum vomitu aſſumtorum perpetuo, ipſarumque tandem alvinarum fecum, quas in nullo conſtipatione inteſtinorum iliaca defuncto induratas, ſed mollioris ſemper conſiſtentiæ non ſine vulgaris theoriæ opprobrio obſervavit J. BOHNIUS, in ſummo ejus gradu viſitur, communis viget opinio, illum ab infarctu & ſubingreſſu inteſtinorum, ſeu invaginatione partis inteſtini unius in alteram, ordinarie & fere non ſemper proficiſci. Sed ut T. BARTHOLINUS, & F. RUYSCHLIUS variam inteſtinorum in cadaveribus hoc mor-

L. d. off. Med. p. 500.

Cent. IV. Ep. 92. 93. obſ. XCI.

morbo defunctis, variamque adeo affe-
ctus causam deprehenderunt; ita T. KER- Obs. XLII.
KRINGIUS, cum in cadavere ejusmo-
li intestina circa coli principium arctius
compressa atque inflammata, & facta
auta lenique incisione ulcus reperiens,
quod transitum ad inferiora fecibus de-
negabat, nullam dari intestinorum me-
senterio arcte cohærentium convolutio-
nem, autumat, neque unquam tale
quid, facta post obitum cadaveris se-
ctione, observatum a quopiam esse,
ecusque adeo sentientium argumen-
a, ipsamque L. RIVERII avtopsiam
efellere nititur. Atque, ut unius rei plu-
es possunt esse causæ, ita notabiles sane
unt circumstantiæ ab HUGVENOTIO,
ocietatis Montispessulanæ Gallorum so-
io, ut & de ST. ANDRE, Societatis An- To. II. p. 2. Art.
licanæ socio, observatæ, qui, ut in Bi- VIII. p.
liotheca Anglica memoriæ proditum 492.
st, passionem iliacam, seu chorda-
sum a situ ventriculi p. n. & violento,
uo pars ejus, rupto vel saltem dilatato
iaphragmate, cavitatem pectoris in-
reditur, ac vomitum adeo perpetuum
ausatur, oriundum, viderunt. At e-
imvero, hic Herniam adfuisse ventri-
uli, affectum sane rarissimum & a ne-

mine medicorum pragmaticorum, si particulares hinc inde obvias observationes excipias, descriptum, adeoque desideratis nostris hactenus ex merito annumerandum, præclare MEDICI ostenderunt BEROLINENSES, causam simul motus intestinorum antiperistaltici, in statu hoc p. n. contra quosvis dissentientes egregie tuentes. Ileum vero hæmatitem Hippocratis, qui & ipse hactenus in desideratis fuit, Cl. STAHLIUS postliminio quasi restituit, & sedulo observandum commendavit, cujus deinde vestigia M. J. KUPFER laudatissimo conatu pressit.

Act. Med. Berol. Dec. II. IV. I.

d. Hæmorrh. int. 1701. d. Volvulo Sangu. disp. inaug. Regiom. 1720.

XXXVI.

Non minori, quam chordapsus, ferocia generi humano insidiatur morbus, quem græca appellatione communiter dysenteriam vocamus, inprimis, quando ille popularis existens plures simul homines invadit, vastasque interdum urbes, nulli neque sexui, neque ætati, neque vitæ generi parcendo, depopulatur, & ingentem brevi stragem edit. Solet id contingere mense inprimis Augusto, non tam fructuum occasione horæorum, nisi ultra modum forte assumtorum, & potus feculenti simul

in-

ngeſti, quam aëris frigidioris noctur-
.i, & perſpirationis inde impeditæ cul-
a, qua pravorum in corpore humo-
um adaucta copia, horrore primum æ-
ri, mox torminibus ventris, & frequen-
iori deſidendi conatu, quo interdum
ihil, aliquando etiam mucoſa, ſani-
ſa, tenuia oleaginoſa dejiciuntur, cor-
ipi ſolent: ſequuntur hinc paulatim
ejectiones magis magiſque cruentæ,
um torminibus acerbiſſimis, & totali
irium proſtratione, ſiti, delirio, ali-
que graviſſimis ſymptomatibus; qui-
us, niſi mature congruis proſpiciatur
uxiliis, magnam hominum partem bre-
i jugulari videmus. In cujus quidem
uculentiſſimi morbi natura & eſſen-
a indaganda licet omni tempore mul-
um curæ ſtudiique poſuerint medico-
um filii, in una tamen irritationis no-
one omnes ſubſiſtere deprehendimus;
cet alii hinc poſtea archeum irritatum,
lii ſpiritus impetuoſe commotos, ad-
erſus hoſtem inſurgentes, & magna
um vehementia ejus e corpore exclu-
onem molientes, alii alia incuſent; ob-
ium tamen eſt, nimis generalem eſſe
anc cauſam, haud obſcuro documen-
o, ſpecificam dyſenteriæ explicare cau-

 ſam

ſam, nemini hucusque licuiſſe. Hin
non immerito Cl. STAHLIUS ἄῤῥητον il
lud vocat, quod nempe in dyſenteri
atque purgantium operandi ratione hu
mores ita directe & unice ad inteſtina fe
rantur, licet his vel maxime, oppoſit
etiam loco, circa ipſam corporis peri
pheriam, immediate ſanguini immiſſis
illa etiam per contagium communicata
undique e tota peripheria corporis a
hæc redundent. Vocat illum porro in
expectatum irritationis actum, qui nem
pe non ſolum inteſtina, quando in ill
impingit, ita irritando afficit, ſed reli
quas etiam corporis partes ita peculiari
ter atque ſpecialiſſime ſtimulat, ut a
his præciſe ad inteſtina pellatur, quo ib
proterviam ſuam ſpecialiſſimam deni
que abſolvere valeat. Ac licet in veram
dyſenteriæ cauſam ſollicite admodum
inquirat vir ſagaciſſimus, tandem ta
Diſſ. de dyſent. men, nos quidem, inquit, hactenus d
„vera ſpecifica ratione prognaſcendi
„qua, inquam, ſpecificum illud dyſen
„tericum fermentum primo generetur
„ſpecialiorem aliquam, veroſimilem at
„que conceptibilem ætiologiam dar
„poſſe diffidimus. Et quod purgantium
modum attinet operandi, licet in e
decla-

eclarando Viri doctissimi T. WILLI- pharm.
IUS, G. W. WEDELIUS, J. N. PECHLI- Rational.
us aliique multum laboraverint, ve- Amœnit.
ı tamen usque manet P. AMMANNI Mat.
τίκρισις: "Qua ratione purgantia ope- Ex. d. purgant. l. c. p. 457.
entur, adhuc nescio, & mecum om-"
es practici. Nam licet in confesso"
t, purgantia chylo & sanguini permi-"
eri, nemo tamen sçit, an hoc fiat"
orporaliter, an virtualiter: nemo scit,"
uomodo hoc fieri possit citra vitæ peri-"
ulum præsentissimum, & citra deje-"
iones cruentas; nemo scit, qua ra-"
one tanta humorum saburra, quæ"
urgationibus evacuatur, latere potu-"
it in sanguinis massa? ideo fateor,"
e nescire."

XXXVII.

Diarrhœam cum raucedine nocturnam
iisque symptomatibus complicatam
ST. BACSMEGIET observatam, AN- Vratisl.
ALIBUS PHYSICO-MEDICIS inser- 1720. Jan.
m, sed ad causam symptomatum ra- p. 56.
occurrentium, investigandam alios
rovocatos offendimus. Et de morbis
uidem nocturnis in communi, atque
octurna morborum exacerbatione
on contemnenda sunt, quæ duce R.
. CRAUSIO, S. GRASSIUS lit- diss. In.
teris Jen. 1709.

teris mandavit; an vero prioribus similibusque phænomenis evolvendis sufficiant, nostrum non est, dijudicare. Excretorum alvi cæteroquin ingentem copiam raris illustrat historiis J. N. PECHLINUS, ejusque ætiologiam phænomeni parum abest, quin desideratis annumeret, eo quod excretio nec assumtis, nec sanguini ullo modo respondeat. Vidit nimirum auctor clarissimus ab ægrotantibus, qui omnia etiam ad sustentandas vires oblata fastidio aversantur, intra tres quatuorve dies plus centies alvum deponi, nulla jam intercedente cum sanguine proportione, quin hunc feri inopem stagnatione vitæ impositurum finem, haud immerito arbitreris, contrarium tamen experiaris, liberalem nempe adeo ex alieno unde unde compensationem, unde post tot dejectiones præterquam viribus corpori nihil detractum esse putes. Quod si consideremus communem illam supputandi rationem, qua triginta sex communiter sanguinis libræ corpus pervadere creduntur, simulque transpirationem insensibilem, quæ secundum SANCTORIUM longe quoque est copiosissima, & partem etiam urinæ tribuamus, vix quod tantis dejectionibus sufficiat, reperiemus.

LI. Obs. LII.

nus. Equidem autor ingeniosissimus
iujus causam phænomeni in aërem re-
icere conatur, ejusque aqueum, quo
lurimum abundat, fluorem, in spon-
;iosam pulmonum substantiam, inde
k spiritus beneficio nitro-aërei in cribra
enosa, adjuvante forte rem istam aut
orporis aut atmosphæræ peculiari natu-
a, allabi, sitientemque multa aquæ de-
ection sanguinis massam reficere exi-
timat: sed & conjecturas tantum esse,
perte fatetur, & justus adest metus, ne
occultus ille vitæ cibus, quem in aëre
um MATOVIO multi frustra quæsivere,
dhucdum in oculto lateat. Hujus oc-
asione observationis accuratius merito
xamen inediæ, non quidem portentosæ
llius, sed quam apud ægrotos sæpenu-
nero observamus, instituendam esse mo-
iet. Ubi si practici ea, quæ in longa
juoque abstinentia & arido corpore æ-
;ris eveniunt, curiosius exigant, illis
um vulgari calculo convenire non posse,
opportune advertit. Et portentosæ qui-
lem ac multorum annorum inediæ, cu-
us varia hinc inde circumferuntur ex-
mpla, fraudem communiter subesse,
agaciorum industria detexit. Cum HIP-
OCRATE alias creditum communiter

 est,

eſt, hominem cibo omni, potuque abſtinentem vix ultra ſeptem dies in vivis ſuperſtitem eſſe poſſe. Sed aſitum novem dierum GERMANORUM ſiſtunt EPHEMERIDES, ejusdem & longioris ſimul inediæ cauſas ſollicite indagantes, quod idem ab O. BORRICHIO præclare præſtitum deprehendimus. Quadraginta inediam dierum ſolus optimus ſanctiſſimusque Servator divinæ vi omnipotentiæ absque damno expertus eſt, quod exemplum qui injuſſi imitari voluerunt, male plerumque mulctati ſunt. Nobilis certe Holſatus, ut relationum publicarum fide conſtat, & in ANNALIBUS præſertim PHYSICO-MEDICIS fuſius enarratum legitur, per integros quadraginta dies noctesque cibo omni & potu abſtinuit, ſed hiſce vix exactis, brevi a juſculo deinde ſumto vitam cum morte commutavit. Cujus rationem inediæ G. DETHARDINGIUS ipſum hoc memorabile exemplum peculiari labore perſecutus, reddere conatus eſt. Qui vero idem illud Aboæ Finnorum tentavit, decimo & quarto die fatis ceſſit, quemadmodum Novellæ publicæ anni præſentis initio fidem fecerunt. Ut conſtet, nec terminum verum inediæ ad liquidum

Dec. III. Ann. a. Obs. 77.

diſſ. Acad. d. Animal. Hyeme ſopitis

Vratisl. 1719. Sept. p. 363.

d. Jejun. Quadrageſimali. Roſt. 1721.

quidum perductum, nec rationes ejusdem alias, quam quæ conjecturæ nomen merentur, hactenus notas esse.

XXXVIII.

Generationis quod attinet negotium, plura circa illud desiderata in physiologicis vidimus, nec desunt in pathologicis, quorum nunc ratio habenda est. Et cum varia generationis in utroque sexu occurrant impedimenta, id quod in sequiori eandem plane tollit, sterilitas communiter, in digniori vero impotentia audit virilis. Cujus cum variæ ab autoribus pragmaticis allegentur causæ, pleræque tamen ad inopiam vel inertiam liquoris genitalis; vel ad membri virilis constitutionem quamlibet p. n. referri commode possunt. Sed dantur casus, ubi in statu sano & viri alias robusti seminis non deficiente proventu ad palæstram veneream languidi visuntur, quales inclyti rursus MEDICI c. 1702. VRATISLAVIENSES observarunt simul p. 145. & graphice delinearunt, sed postquam omnes ad minimum usque pulvisculum excusserunt circumstantias, nihil vero quicquam colligere ex omnibus illis potuerunt, quod faceret ad validorum & sanorum virorum, in ætate virili con-

ſtitutorum ſegnitiem & impotentiam in opere maritali illuſtrandam, libere tandem profitentur, ſe ignorare, quidnam illud ſit, quod principium corporis movens in iſtiusmodi viris avertat, quo minus ſemen jam a ſanguine ſeparatum ad generationis opus debite applicetur. In ſexu ſequiori quæ generationem remorantur, ſterilitatemque inducunt, varia occurrunt impedimenta, quorum nonnulla in vivis ſatis manifeſta ſunt, & propriis patent ſignis, pleraque tamen ita ſunt comparata, ut non niſi poſt obitum, facta cadaveris ſectione innoteſcant, divinando ut tantum aſſequi liceat, quodnam præcipue vitium in hac vel illa fœmina conceptionem conſtan-
l. c. 1702. p. 209. ter impediat. Eadem ſane mens MEDICORUM videtur eſſe VRATISLAVIENSIUM, ſequentem inter alia in modum ſcribentium: " Inviſum familiis malum „ſterilitas eſt, ac fervens prolis deſide„rium coëgit nonnunquam uxores, ab„jecto, qui ſexum fœmineum vehemen„ter ornat, pudore, ad Medicos re„currere, ac ea permittere, quæ vere„cundia vetat, ut nimirum edoceantur „a Medico, utrum in ſinu pudoris quip„piam lateat, quod conceptionem im-

pediat.

pediat. Atque hinc natæ variæ Medi-"
corum obſervationes." Menſium inter
alia ſuppreſſio totalis & conſtans, con-
ceptionem fere ſemper prohibet, id
quod nec vulgi effugit notitiam, rariſſima
ut ſint exempla, factæ ſine menſium fluxu
conceptionis, & producti a natura ſine
flore fructus. Hujus ſane cauſæ, ut ſunt
multiplices, ita non omnes æque patent,
aut in ſenſus occurrunt, ſed abditæ non
raro deliteſcunt; uti medicis clinicis
haud ignotum. In prima menſium eman-
ſione penes juvenculas accuſatur ple-
rumque viarum anguſtia, ſed VRATIS- l. c. 1702.
LAVIENSES iterum Medici, quid ſen- p. 67.
tiant, hiſce produnt: "Non licuit nobis"
hactenus perſpicue & clare per experi-"
entiam cernere, quod viarum anguſtiæ"
in juvenculis exitum menſtrui ſanguinis"
impediverint, nam tametſi captu facil-"
limum, quomodo unus alterve ramulus"
arteriarum tumoribus, cicatrice &c. ar-"
ctari queat: difficillime tamen aſſequi"
datur, quomodo tam numeroſæ arteriæ"
tum in uterum, tum in cervicem ejus"
deſinentes, hoc modo ſtringi & compri-"
mi poſſint, quo minus ſanguis ex oſcu-"
lis in uteri & vaginæ cavitatem ſtillet?"
multo autem minus patet, quomodo"
vaginæ

„vaginæ & colli uterini tanta poſſit eſſe „anguſtia, ut exeunti ſanguini repagulum „objicere valeat, imperforatas ſi excipias.

XXXIX.

Morborum luſus per corporis dimidium ſelecta, & quæ alibi fruſtra quæras, exempla PECHLINI debemus induſtriæ, quando in ſcorbuto, ejusque filia, ſcabie, non ſemel notavit, unum latus ad perpendiculum maculis, puſtulis, ulceribusque fœdari, altero immuni, variolas item denſas admodum unum latus occupaſſe, dimidiato corpore fere intacto. Vidit ille, ubi unius lateris extremum eſſet frigus, alterum caluiſſe; imo etiam copioſos effluxiſſe una parte ſudores, ubi dimidium corporis rigebat, neque lecti commoditate, injectis ſtragulis, ut concaleſceret, adduci potuerit; vidit etiam, & cum ſtupore animadvertit in fœmina præcipua ad paroxyſmos epilepticos identidem recurſantes dimidii corporis a capite ad calcem ſtuporem & frigus, oculi ſiniſtri cœcitatem, cordis concuſſionem tam vehementem, ut & a vicinis audiri poſſet, immuni ſemper, & feriante altero latere. Novit, cui Hemiplegia correpto omnia membra, caput, oculi, lingua, jam etiam infra coles dimidio ſui,

L.II.Obſ. LIV.

eo-

eoque exacto & ad libellam ſumto, obriguerint, motuque & calore ex parte deſtituta fuerint. Horizontale etiam quoddam diviſionis genus notavit in ruſtico juvene, toroſo & quadrato, cui corporis inferiora ab umbilico ad pedum calcem usque ſtupore & immobilitate laborabant, ſolo, quod mireris, priapo, in illo partium ventris, artuumque ſtupore perpetua tentigine laborante. Aſt, ubi horum ratio phænomenorum reddenda eſt, res, inquit autor diſertiſſimus, eſt minus explorata, quomodo, cum ſanguis“ æquali conatu, certe ſine ullo delectu,“ totum corpus, ſingulasque ejus partes“ diluvio riget ſuo, tamen in nonnullas“ duntaxat ſanguinis vitium redundet, id-“ que tam exacta intervalli locique divi-“ ſione, ut non facile ratio deduci tam ju-“ ſtæ proportionis poſſit. „ Poteſt quidem, pergit, ab æqua nervorum in utrumque latus diviſione alterius & dimidiatæ partis vitium oriri, ſi unum latus convellatur, ſed a ſanguine eodem paſſim impetu per venas delato, quis eſt, qui rara illa & ſingularia unius lateris phænomena deducere ſe poſſe, confidat? Neque etiam in hemiplegia, obvio alias affectu, nervorum mechanica ſtructura prodigium moderan-

derante, omnia ſatis explicata eſſe, ſcite admodum animadvertit. „ Adeo, ſunt
l. c. p. 192 „E. CAMERARII verba, ratiocinia noſtra ſæpe firmiſſima in phyſiologicis viſa, a pathologia crebro revocantur in dubium, redduntur que vacillantia.

XL.

Quæ cum ita ſint, ſudores quoque partium ſingulares, & varias alias ſeri per diverſas partes excretiones, quando cum lacrymis, aut cum ſaliva e corpore proſcribitur, merito miramur, in abdito latente cauſa, cur humores hac tempeſtate ex ſanguine in glaudulis ad fauces ſitis evacuentur, alia vero, tum in aliis corporis partibus, tum in glandulis ad oculos? ſeu,
l. c. 1699. p. 68. ut clarius cum MEDICIS VRATISLAVIENSIBUS, ignoratur hodique, quid ſit, quod ſanguinem commoveat, ut modo hac, modo alia via humores ſeroſo-lymphatici exturbentur. Nulla certe ratio patet, propter quam ſerum per totum corpus ex æquo diſpenſatum in certis tantum emunctoriis exitum inveniat. Qui enim texturæ ingenio, aut ſpecifica partis temperie rem obducunt, nihil tamen ex æquo dicere, & multa occultarum qualitatum vires non aſcendere, quamdiu modalis iſtius

&

& individuæ texturæ rationem nondum explicuere, merito judicat PECHLINUS; L.II.Obs. LII.
qui quidem in ista sudorum specie peculiari, quæ singulari cum delectu causariorum corpora eorumque partes exagitat, mox capita vidit perpetuis rivis stillantia, naso, aliisque partibus vel rigentibus aut siccatis; ac in capite quandoque præter oculorum orbitas, aurium & oris vicina nihil sæpe sudare, quo tamen semper aliquid vitii aut mali ominis occultari observavit; ex adverso vero sudare corpora, artusque flumine feri manare, dum interim caput siccum & immune esset, annotavit. Familiare autem & molestum illud vitium, manuum & pedum in causariis sudorem, nonnunquam tam copiosum vidit, ut universi corporis lymphas in hasce partes quis coiisse crediderit. Vidit etiam viscosum manuum sudorem, quandam fere cadeverosam γλισχρότητα referentem, qua non manuum tantopere, quam aliarum partium imbecillitatem hac parte se prodere, non immerito suspicatur. Vidit denique & viderunt nobiscum alii alia circa sudorem pedum, inguinum, perinæi, subalarium glandularum, vel gustum olfactumque aut

visum

visum diversis afficiendo modis a reliquis se distinguentem singularia, a quibus causariorum illa corpora adeo nullam sensibilem noxam, præter leve forte illud incommodum senserint, ut potius, rivulis ejus vel imbecillitate Naturæ arescentibus, vel perversa accedente medicatione clausis, variis deinde & gravissimis molestiis vexati fuerint illi, qui hoc naturæ beneficium, quo superfluum & quod nociturum sibi videt, ad partes modo has modo illas singulari instinctu ablegare solet, non agnovere.

XLI.

Sed hujus non magis phænomeni, quam quod illi statim a PECHLINO junctum cernimus, dolorum nempe exili loco & foco comprehensorum, sufficientem aliquam ætiologiam dari in hunc usque diem posse arbitramur; quando nimirum dolorem sive dolendi materiam in illa omnium partium communione ita sæpe uni & individuo eique exili loco alligari videmus, ut, cur eadem aliis partibus communis non sit, causam non facile reperias. Enimvero internarum dolores partium supra ad anevrismata occulta interna ceu ad fontem & originem suam suspicione quorundam relatos sed & utrum-

atrumque in desideratorum serie collocatum, recordamur. Vidit ejus generis lolores, quem modo laudavimus, politissimus observationum scriptor tam fixos & perennes, ut quantumvis dura remeliorum mole subigi detrectent, sed semper & ad mortem usque perdurent. Et geminum quidem ejus rei recitat exemplum, alterum quidem viri quadragenaii, cui super inguen dextrum dolor resederat, exiguo quidem loco, sed afficiendi sævitia, quod ipse fassus est, cum aliis doloribus non comparandus, quo per aliquot menses durante, ægroque tandem atrocium cruciatuum contumacia victo ac succumbente, ne causam abditi doloris post mortem novacula indagare liceret, consanguineorum prohibuit superstitio. Alterum geminum rursus, viri unum, alterum virginis, qui uterque eodem doloris genere, eodemque in loco laborarunt; & virum quidem memorat, tribus annis continuis supra canthum oculi dextri majorem semel iterumque in anno dolores expertum sævissimos, qui tres quatuorve septimanas durabant, nullis admodum remediis, nisi opiatis obnoxios: stata quotidie erant & certa redeundi intervalla, ne quidem minuta horæ parte mutata, ac tam vehemen-

ter affligebat quatuor horarum ſpatio, quibus ipſis febriculoſi quid inceſſere videbatur, ut & lacrymas & quævis impatientiæ ſigna generoſo alioquin & ad aſpera quæque obfirmato viro extorqueret. Simile quid nobis in uno alterove exemplo identidem obſervare licuit, in viro inprimis, Pechliniano, quod ſuſpicor, viro prorſus analogo, tum vero & in aliis, priori non diſſimilibus, ſaltem quod is, quem novimus, non a tribus annis, ſed ab ineunte ætate, nec ſemel iterumque in anno, ſed menſtruo communiter ſpatio in orbem redeunte, & per duodecim communiter horas acutiſſime eodem doloris genere ſupra canthum oculi dextri majorem affligatur, nec niſi vomitu elapſis ſex circiter horis accedente ullam experiatur doloris remiſſionem, qui prævia ſternutatione, media plerumque nocte ordiri ſolet. Hinc vero ſatis, opinor, conſtat, quare binis his obſervationibus tale fecerit exordium PECHLINUS: „Inter „alia, quæ Medicos fatigant, non levis eſt „momenti illa partium ἰδιοπάθια, qua „corpus ſæpe laborat; cum enim una eſſe „videatur omnium ratio, idem ad recipiendam noxam habitus, admirationi „proximum eſt, certas duntaxat eſſe partes,

ſtes, corporiſque angulos, qui morbum"
aut vitium, in illa aliarum indifferentia"
unice in ſe convertant. "

XLII.

Optandum proinde, neſcio an ſperandum, id quod poſt reliqua, minime autem poſtremo deſideramus loco, ut anatomia, quæ vocatur practica, frequentius exerceretur. Ita enim nullum ſupereſt dubium, quin & dolorum ejusmodi, & iſchuriæ latentes cauſæ, ab eodem PECHLINO commemoratæ, aliorumque occultæ origines morborum patefierent illis, qui ſecandis morbis varii generis defunctorum cadaveribus indefeſſam agilemque manum commodarent. Præterquam autem, quod, ut ſupra meminimus, nonnulli non adeo magnifice de hac anatomia ſentiant eo quod variorum cauſæ phænomenorum, nec illius ope in aprico ſemper ponantur, vulgarium vero oſcitantia medicorum ad ſordida hæc, ut putant, & fœtida nauſeet ſæpenumero; obſtat non raro propinquorum defuncti ſuperſtitio ac moroſitas intempeſtiva, quo minus medici genuini ſuo potiantur fine, ac defunctorum exta ſcrutando in notitiam cauſæ illius perveniant, quibus iſti vitam finire coacti ſunt. Quo magis miramur,

illis in locis, ubi cadaverum, ejusmodi ſe-
candorum in noſocomiis vel alibi fre-
quens ſe offert occaſio, pauca adeo anno-
tari eorum, quæ in ſcrutinio viſcerum
ſunt obſervata, atque ad notitiam uſum-
que plurium pervenire. Nam illa ſi ex-
l. c. cipias, quæ a T. KERCKINGIO, F. RUT-
l. c. SCHIO, G. BIDLOO, J. J. WEPFERO
Obſ. a- aliiſque nonnullis ſparſim ſunt propoſi-
nat. chir. ta, & quæ T. BONETUS magno ſtudio
l. c. ex aliis collecta, ac in certas claſſes di-
geſta ſepulcreto ſuo inſeruit, vix aliquid
operæ pretium ab aliis hac in parte præ-
ſtitum novimus. Hoc ipſum vero opus
cum varia omnino utilitate ſe commen-
det, tum longo procul dubio intervallo
l. c. id poſt ſe reliquiſſet T. BARTHOLINI
abſolutiſſimum, modo per invidiam Vul-
cani lucem publicam videre ipſi fuiſſet
conceſſum, de Anatomia Practica opus.
In eo enim juſto conſignaverat ordine vir
eruditiſſimus, quicquid aliena, maxime
vero propria avtopſia in ſectione cada-
verum omni morborum genere extin-
ctorum, ipſi erant comperta: ſed vix
ad umbilicum erat perductum, & pre-
lo brevi ſubijciendum, cum repentino ſub-
orto incendio, una cum inſtructiſſimæ
biblio-

bibliothecæ maxima parte hic quoque immortalitate digniſſimus fœtus ante partum extingueretur, magno artis ſalutaris detrimento, quæ hactenus neceſſaria hac ſui parte fere deſtituta conjecturis potius, quam oculata rerum fide ſuffulta incedit. Audiamus ipſum de hoc ſuo infortunio conquerentem: "Quicquid tot annorum ſtudiis ad anatomen practicam ex obſervationibus propriis & aliorum in arena hac exercitatorum congeſſeram, invidus ille Vulcanus, voraxque fortunarum mearum helluo conſumſit, & momento citius in cineres convertit. Cujus jacturæ inæſtimabilis nunquam ſine animi quodam motu, ſed intra Sapientis moderationem temperato, memoria occurrit acerba." Exerc. d. Anat. Pract.

❧ (o) ❧

III.
DESIDERATA SEMEIOTICA.

I.

AD colophonem perductis, quæ circa morbos eorumq; historiam & causas adhuc maxime desiderari videbantur, res ipsa postulare videtur, his ut ea, quæ circa Signa Morborum desiderantur, breviter strictimque annectamus. Et primo quidem loco insignem illam scriptorum Semeioticorum raritatem desiderati loco medici annotamus. Post HIPPOCRATEM enim inter antiquos solus fere COELIUS AURELIANUS tanti fecit signorum in curandis morbis necessitatem, ut videatur nulli rei tam serio mentem intendisse, quam in detegendis signis, & circumstantiis morborum ab invicem distinguendis: illius enim opera nihil sunt aliud, quam utile signorum diagnosticorum, graviumque præceptorum seminarium: imo, si nonnullos ejus titulos sedulo perpendas, videbis, quod per totam talis capituli seriem se diffundat

lat in describenda exactissima signorum
llius morbi natura, & ubivis historiam
morbi fideliter, ac veluti penicillo na-
uræ adumbret, ut scite animadvertit
G. BAGLIVIUS. Hunc longo interje- c. p. 201.
cto intervallo T. FIENUS secutus inte-
gram doctrinam semeioticam peculi-
ari opere complexus est. J. LOMMIUS
quoque in elegantissimo observationum
medicarum opusculo totus in eo fuit,
omnium ut morborum, signa tam quæ
tatum præsentem, quam quæ futurum
ndicant, mira traderet solertia. His
i jungas, quæ inclyti artis salutaris pro-
eres G. W. WEDELIUS, F. SCHRADE- Exerc.
US, & nuper admodum C. VATERUS, pathol. semeiot.
memoriæ prodidere, habebis sine dubio diff. 4.
otiorum, qui de signis Medicis seorsim de sign.
& ex condicto exposuerunt, scriptorum Med. se-
ncyclopædiam. meiot. 4.

II.

Sed quantis hodieque defectibus si-
gnorum scateat doctrina, vel inde judi-
cemus licet, quod nonnullorum mor-
borum, abstrusorum inprimis & inter-
ranea occupantium, nulla hucusque
lantur signa certa, seu, ut BAGLIVIUS
oquitur, desideratur diagnosis facilis
morborum & symptomatum difficilium,

 quod

quod quidem adſertum duplici paradigmate, altero externo, interno altero illuſtrare juvabit. Lepra qualis quondam morbus in gente fuerit judaica, non convenit inter eruditos, ab ea ſaltem, quæ noſtra occurrit ætate, toto cœlo diverſum fuiſſe, inde facile colligitur, quod & ædium parietes, ſecus ac hodie fieri obſervamus, infeſtaverit. Deinde & inter lepram Græcorum Arabumque diſcrimen ab autoribus communiter ponitur, a nonnullis cutis ἀναισθησία, tanquam ſignum pathognomonicum lepræ allegatur, neque tamen res omnis in vado eſt. Optandum igitur cum

l. c. p. 41. R. LENTILIO eſſet, ut inter practicos conveniret, de lepræ veræ veris ſignis, atqui fluctuant plerique, multi plane de hoc morbo ſilent. Internorum in claſſe morborum obvia ſunt exempla vomicarum, aliorumque abſceſſuum & ulcerum, quæ in variis ſubinde partibus & maxime in pulmonibus generantur, in iisque tamdiu, ſæpe & absque omni mali ſuſpicione, ægrorumque querela, ad mortem usque ſubitam latitare ſolent.

L. V. Pathol. Quemadmodum J. FERNELIUS multos eorum obſervavit, qui omnia corporis munia rite exercentes rupta derepente

pente vomica e medio sublati sunt, in quorum numero & duo sunt medici reperti, qui nullis signis impendens periculum prævidere potuerunt. Cujus quidem rei sæpius hinc inde videmus paradigmata, ubi sine ullis fere præviis morbosæ cujusdam constitutionis indiciis, nonnulli subito e vita discedunt, haud sine vulgari quidem illa, sed haud injusta apostematis cujusdam, latentis hactenus, & subito disrupti suspicione. Quæ cum ita sint, Cl. VATERUS apposite sequentem in modum scripsit: " Quemadmodum plures adhuc in fugientis hu-" mani corporis latebris obscura & occul-" ta, ita cumprimis vomicarum in visce-" ribus, & maxime in pulmonibus uti" causæ, ita diagnoses & prognoses lu-" bricæ admodum sunt & incertæ, ut, li-" cet omnibus vel exquisitissimis modis" in causarum indagatione omni tempore" laboratum sit, nondum tamen res ita" expedita sit, quin plures adhuc difficul-" tates sollicite de iis dispicienti obveni-" ant. " diff. d. Vomica Pulmon.

III.

Desiderantur porro signa infallibilia & pathognomonica variorum affectuum, quibus illos ab aliis congeneribus certo

diſtinguere licet. Sic renum & veſicæ calculum, communem & frequentiſſimum affectum, certo cognoſcere & ab aliis diſtinguere malis, res non adeo levis momenti eſt, ac prima apparet fronte, Renum enim calculus ſæpe colica & hypochondriaca mentitur pathemata, ac cum iisdem ita ſub variis ludit ſchematibus, ut, quodnam & ex hiſce primario affligat, aut medelam poſcat, medici etiam exercitatiſſimi non raro dubitent. Veſicæ vero calculi ſpecie, caruncula vel ſimile quid in veſica vel meatu urinario ſitum non incautis tantum rerum arbitris, ſed uſu etiam rerum peritiſſimis imponit frequenter, ut, cum ad ſectionem, quam calculi magnitudo ac durities aliis haud frangenda aut minuenda remediis omnino exigere videbatur, nullum omnino corpus lapideum, ſed carneum quid, ſectione fruſtra dilaceratum & diſcerptum nonnunquam offendatur; quemadmodum ex adverſo nullis calculi indiciis antea præſentibus illi tamen poſt obitum, facta corporis exenteratione, haud raro variis in locis reperiuntur, ſicut ex obſervationum chirurgicarum monumentis conſtat, & Op.Chir. alios inter a J. J. MANGETTO, E. CA-

MERA-

MERARIO, & G. H. VELSCHIO anno- P. Barbett. 4.
tatum eſt; quorum hic omnia eſſe in- p. 153.
certiſſima, & maximorum ſæpius me- l.c. p.350.
dicorum notitiam eludere calculi ſigna, Curat.
affirmare non dubitat, quod de ſe ipſo propr.
ingenue fatebatur BENEDICTUS SYL- VII. decad. VII.
VATICUS, vir, ſi A. DEODATO & G.
ROLFINCIO credimus; & quidni cre- Valet.
damus teſtibus αὐτόπταις, εὔστοχος in præ- p. 134.
dicendo morborum eventu, cujus ver- ord. & meth.
ba erant oracula, conſilia auxilia, pro- febr. gen.
gnoſtica ſibyllæ folia. Fatalibus ſuccu- dedic.
buiſſe umbris, quem ille victurum: vitali uſum aura, quem ille periturum cenſebat, viſus nemo; „Verum & hoc mirabile, PECHLINI utor verbis, no-“ ſtrisque intactum, quare lapides re-“ nales, quantumvis magni, plerumque“ tamen veſicam tranſeant, & a corpo-“ re exeant, cum illi in veſica generati,“ etiam minores, utplurimum ſubſi-“ ſtant, crudelemque Lithotomi manum“ expectent. Eadem, quæ calculi, &“ molæ eſt ratio, quamobrem & dolendum cum R. LENTILIO, primis ab ir- l.c. p.1303.
rito concepto temporibus indubitata molæ ſigna non dari, cum VRATISLAVI- l. c. 1699.
ENSIBUS vero MEDICIS optandum p. 113.
omnino, ut certiora eſſent molæ ſigna,

qui-

quibus non ſolum ab hydrope uterino, flatibus, ſcirrho uteri, ſed & a fœtu vero diſcernere eam liceret. Idem de multis valet aliis, nam paucos omnino morbos novimus, qui certis & pathognomonicis agnoſcantur, & ab aliis discernantur indiciis, quin ex variorum complexu ſymptomatum, & accurata demum omnium circumſtantiarum contemplatione magnoque ſtudio in illorum cognitionem perveniamus. Multo vero majore circumſpectione in indagandis cauſarum ſignis & ſedulitate opus eſt, quæ in occulto ſæpiſſime latent, & non niſi ſagaci conjectura ex relationibus ægroti & adſtantium, ac facta hinc comparatione ad ſtatum ægri præteritum vel etiam præſentem non ſine magno labore eruuntur. Adeo intricata hic omnia & minus ſibi conſtantia. Adeo veriſſimam P. AMMANNI querelam deprehendimus: Doctrinæ ſignorum quidem neceſſitatem novimus omnes, aſt e contrario ſummam etiam experimur difficultatem circa eadem & in morborum diagnoſi procul dubio ex hac ratione, quia morbos internos juxta illorum naturam & cauſas immediatas nondum ſatis cognovimus.

p. 451. c.

IV.

IV.

Specialiora magis in morborum diagnoſi æque ac prognoſi ex pulſu depromuntur indicia. Cujus quidem uſus in HIPPOCRATI innotuerit, hujus loci non eſt, fuſius diſceptare, illud certum eſt, GALENUM præeuntibus ERASISTRATO, HEROPHILO & ASCLEPIADE prolixe admodum de pulſu ejusque differentiis ſcripſiſſe, ac plures forſan finxiſſe pulſuum varietates, quam vel vidit ipſe, vel alii usquam potuerunt obſervare, id quod I. B. MONTANUS, acris alias & diligens GALENI ſectator, ut ejus genius quibusdam viſus ſit, & anima illius in eum tranſiiſſe dicatur, non dubitavit aperte profiteri: ſe nimirum minutias pulſuum cognoſcere non potuiſſe, ſeque credere, GALENUM in his aliquid græci habuiſſe, cumque iſta ſcriberet, & pulſuum genera ad minima divideret, riſiſſe. Quocum conſentientem per omnia videmus H. SAXONIAM, qui plurimos, arbitratur, eas differentias, quæ ad artem nihil conferunt, proponere, non quod ipſi ſenſu eos cognoverint, ſed ut GALENI mentem obſcuris verbis involutam, quoad fieri poſſit, plenius aperiant, aut nihil, quod a GALENO

aliquan-

aliquando propositum fuit, neglexisse videantur. Unde non mirum, quod loco certæ & apodicticæ cujusdam de pulsibus scientiæ nil nisi confusio in rem medicam introducta sit, in qua plurima hodieque desiderantur. Sinenses equidem Medici, quorum systema & ipsis desideratis
l. c. XLVIII. annumerat G. H. VELSCHIUS, id sedulo egerunt, hanc ut doctrinam ad summum quoddam perfectionis fastigium
Spec. Med. Sin. eveherent: ac litteris proditum ab A. CLETERO accepimus, illos integros non raro dies ægrotis suis assidendo, ac pulsum in aliis aliisque partibus explorando miranda hinc pronunciare, atque omnes circa morborum ortum & eventum circumstantias, etiam fortuitas, & cum pulsu cordis nullo nexu copulatas, determinare. Sed vel fraudem & imposturas, aut magici quid subesse, prudentiores dudum judicarunt. Non secus ac de Japonensibus constat, illos ex pulsu prophetas agere, & non tantum illa, quæ ex hoc cognoscendi fundamento recte non fluunt, sed plurima insuper ab arte alienissima, virtutis characteres, animi occultiora vitia, & quæ imminent homini pericula, patefacere posse, quorum tamen omnium nullum intercedit cum pulsu commercium,

ium. Illud modo ab his populis disce-
ent Europæi, ut longiorem paulo moram
ulsus explorationi dicarent, nec, quod
ulgo fieri videmus, post paucissimos pul-
us ictus perceptos, manus removerent, &
nedicamenti formulæ præscribendæ fe-
tinantes admoverent; cum interdum uti-
e sit, eo usque pulsuum observare ryth-
nos, usque dum universa sanguinis mas-
a, inæquali sæpe consistentia & mixtura
audens, circulatione per corpus fuerit
ropulsa, ut doctissimus F. SCHRADE- III. de
US præclare advertit, ita enim fore au- Sign.
uraremur, ut pulsuum doctrina multis Med. §. III.
dhuc difficultatibus laborans majorem
um tempore certitudinem adipiscere-
ur, accuratiusque postmodum constaret,
uid ex his vel illis pulsuum differentiis in
ariis morborum generibus, observatis
orum eventu, vel aliis etiam circumstan-
iis concludi debeat. Hactenus enim pul-
uum fallaciam plures inter alios A. DEO- l. c. p. 55.
ATUS satis evidenter ob oculos posuit.
t in universa pulsuum doctrina, C. H. "Curat X.
ELSCHIO judice, multa incerta, su-" Dec. V.
erflua, imo & vanissima, ad lubitum ex-"
ogitata, jamdudum doctiores adverte-"
unt, qui longe alium sanguinis motum"
n circulum compererunt, quem facul-"

tati

„tati vitali & pulſificæ plerique alii, ad „muſicas notas potius, quam mechani- „cas rationes explicandum, per ſomnium „adſcripſere.„ Plane in rem noſtram

l.c.p.272. PAULUS iterum AMMANNUS: „Sphy- „gmomantia certior quidem eſt uroman- „tia, aſt in ſe conſiderata eſt incerta, & „ſubtilitatibus multis ſpeculativis refer- „ta, hinc nulli morborum generi applica- „ri poteſt, quam febribus quodammodo „& affectibus cordis. „

V.

Videlicet, quoad urinam, ejusque in- ſpectionem plura hodieque deſiderari in aprico eſt. Enimvero, hæc ut peſſima ex urina ſola divinandi conſvetudo, non vi- ſis illis, quorum urinæ ſunt, plane abro- garetur, doctiſſimorum dudum Medico- rum fuit deſiderium. Sed unde unde pri- mum inducta ſit, non ita facile eandem per ineptam vulgi perſvaſionem, alias- que interdum cauſas, quas inter ſordida medicorum avaritia non poſtrema eſt, aboleri poſſe, prudentiores pridem judi-

Diſſ. Hal. 1711. carunt. Quamvis enim plures cum Cl. STAHLIO uroſcopiæ abuſum tollendum ſvadeant, inculcent, deſiderent; alii ta-

Diſſ. i J. Gebaur. Erf. 1711. men cum J. P. ETSELIO uromantiam in certis Sileſiæ locis ſumme eſſe neceſſari-

am,

m, venditant. „Nimirum, quod apud"
Pontificios eſt purgatorium, hoc apud"
medicos eſt uromantia, quemadmodum"
enim illud religioni pontificiæ inſignem"
exiſtimationem conciliat, ita hæc praxi"
medicæ, ut more ſolito jocatur laudatus"
modo P. AMMANNUS.„ Sint autem ex
medicorum non minus quam empirico-
rum familia, qui ſolam ſibi matulam af-
ferri curent, atque ex ea, vel nudis vel ar-
matis oculis ad exemplum Nobilis Nor-
manni, qui ope microſcopii vermiculos
diverſæ magnitudinis, diverſam adeoque
hominis vel ſani vel ægroti conditio-
nem ſignificantes, videre ſe in urina poſ-
ſe venditat, ſicut novellæ publicæ fidem
faciunt, inſpecta nunquam viſis ægrotis,
nec de aliis circumſtantiis informati di-
vinando, non morbum modo ipſum,
ejusque primam originem & eventum,
ſed & ætatem, ſexum, & alia plane ἀλλό-
τρια, & ſphæram medicam plane tranſcen-
dentia, caſus nempe fortuitos, cauſas
morborum occaſionales plane ſingulares,
determinare ſe certo poſſe glorientur,
nec raro rem acu tangant; nos tamen, tan-
tum abeſt ut ſimilem deſideremus ex uro-
ſcopia divinandi facultatem, ut eandem
malimus cum doctis prorſus ignorare,

certo quippe persuasi, vel fraude, vel hujus nulla suspicione præsente, magicis hæc talia & superstitiosis fieri adminiculis. Et fraudes quidem uromantarum ac technas callidamque illorum fallaciam satis deprehenderunt, librisque egregiis impugnarunt medici doctissimi P. FORESTUS, O. HEURNIUS, D. SENNERTUS, J. LANGIUS, EURICIUS CORDUS, J. PRIMEROSIUS, RODERICUS a CASTRO aliique a J. G. HINTAMOMO quoad potiora cujusvis momenta in compendium redacti. Quicquid autem ejus rei sit, ac licet infida sæpe sint illa, quæ ex urinis petuntur, morborum præsagia, atque in malignis præsertim affectibus sint fallacissima; non inficiamur tamen, posse interdum ex illis nonnulla colligi, quæ partium quarundam, quas transit, & sanguinis, e quo fluit urina, vitia sic satis manifesto produnt. Quin imo plura in urina latere hodie, quibus cognitis, diagnosis non minus ac prognosis morborum multa sit captura incrementa, nulli dubitamus. Nam & ipsi, quod tamen præfiscini dictum esto, singularia non semel observavimus in urina, quibus cum ægrotorum conditione collatis minus cum vulgari theoria,

ac

ic quotidianis obſervationibus conveni-
e accuratiori inſtituto examine edocti
umus. Uropoſcopiam criticam & ab
neptiis liberatam deſideratis ut merito
nnumeraverit G. H. VELSCHIUS. l. c. LIII.
'HOMAS certe WILLISIUS, non cer- L. d. Urin. c. 2.
iori fide, aut majori diligentia pyxi-
em nauticam intueri naucleros, quam
ro idoneis medendi temporibus & mo-
is urinarum phænomena obſervare de-
eant medici, affirmat. Urina præſer-
im hydroſtatice examinata non conte-
nnenda ſuggerit morborum criteria, &
ngulare prorſus eſt, quod a non nemi- L. d. ſign. ex Urina Gothæ 1703.
e ſcriptum accepimus: ſignum incli-
antis ſanitatis eſſe, quando urina pon-
ere uno vel duobus granis augetur,
uando vero ultra tria vel quatuor gra-
a ponderat, morbum jam adeſſe, ſi ad
uinque grana, mortem, de quo tamen,
t J. E. SCHAPERUS optime judicat, ex- diſſ. de ſignis Immin. Morb. c. IV. §. 3.
erientia erit ulterius conſulenda.

VI.

Sanguinem porro venæſectione, vel
lia ratione e corpore emiſſum non con-
emnenda præbere indicia de morbis va-
iis, in ipſo præſertim ſanguine fundatis,
ullum ſupereſt dubium. Neque enim
um HELMONTIO ejuſmodi judicium

plane ridendum atque explodendum putaverim, quin ſanguinis ipſius vitia nullo ſigno certius, quam hac ipſa avtopſia ſe prodere ſolent. Sed hic iterum cum

l.c.p.120. „R. LENTILIO optandum, ut ſaniora „proſtarent de judiciis e ſanguine per „venam ſectam educto ferendis. Quæ „enim calendariis annexa a barbitonſo„ribus memoriter diſcuntur & plebejis „ore pleno dictantur, anilia ſunt, nec „mentem ſatiant, quæ JESSENIUS hoc „ſuper argumento ſcripſit.„ Poſt hunc vero neſcio an quisquam hoc argumentum fuſiore tractatione dignum judicaverit, aut obſervationes circa illud vel inſtituerit ipſe, vel publico communicaverit, ea ſi excipias, quæ F. SCHRADERUS, R. J. CAMERARIUS, & C. VATERUS publici fecerunt juris, quorum hic, quid ſentiat, quidve deſideret, hiſce profitetur: " Licet laudanda ſeculi hujus, „in quo vivimus, induſtria, varia ab antiquis non accepta nos docuerit, quicquid tamen circa ſanguinis indicia ſcitur, mancum adhuc & infirmum videtur, nititurque potius obſervationibus „diſperſis hinc inde, quam experimentis uſu & ratione confirmatis.„

Ex. III. de Sign. §. XXI. ſeq. Diff. pecul. d. judic. c. Sangu. per V. S. emiſſ.

VII.

VII.

Faciem morborum indicem oſtendit Diff. de Facie Morb. indice.
TAHLIUS, & quid TACKIUS prædicet
leBURRHO, quod non raro ex facie Chryſog. animal. & mineral.
ie totius corporis conſtitutione vaticina-
us ſit, & in conſilium medicum vocatus
cones magnorum virorum & principum
bi depoſcerit, penes R. LENTILIUM l.c. p. 812.
idere eſt, qui ad exornandum forſan
nuſeum id factum eſſe conjicit, ſimul
z dolet, ſibi aliisque tantam a natura
ion eſſe conceſſam in conjecturando fe-
citatem. Ex ſaliva & lingua, hujus-
ue colore, ſiccitate vel humiditate,
raſſitie & magnitudine diverſa, mor-
orum quoque ſigna haud vulgaria ab
ntelligentibus depromi, ſitus ejus op-
ortunus clariſſime oſtendit. Eſt enim
ocata in confinio & exitu trium præci-
uarum corporis regionum, capitis, tho-
acis & abdominis, ut pulcre explica-
um apud J. RIOLANUM in Anthropo-
ogia legimus. Sunt equidem nonnulli
: inter illos præcipue SANCTORIUS
SANCTORIO, qui artem ex lin-
ua judicandi inutilem & nullam Libro
e methodo vitandi errores probare co-
atus eſt; ſed oppoſuit illi peculiarem
bellum de Lingua, maximo acutorum

morborum ſigno PROTHUS CASULANUS SENENSIS, ubi judicia e linguæ inſpectione in morbis deſumta pluribus aliis certiora eſſe, declarare anniſus eſt; ex obſervatione iterum SCHRADERIANA. Quæ eadem mens fuit Cl. BAGLIVII ſequentem ſcribentis in modum: „demum pro ſecreto tibi ſit, lector, me „certiorem de ſanguinis ſtatu indaginem „aliunde non haurire, quam ex lingua: „ſiquidem cum ſit congeries infinitarum „glandularum, & papillarum nervearum, „per quas immediate manifeſtatur mor- „boſum illud in ſanguine ſuperabundans: „neque in itinere mutatur, prout in excre- „tis per alia corporis emunctoria contin- „git, ideo magna fides linguæ affecti- „bus & mutationibus adhibenda in mor- „borum cognitione, reliqua enim ſigna „frequenter fallunt, hæc aut raro, aut „nunquam. Quo magis dolendum, ſolum fere F. HOFFMANNUM ſalivæ pariter ac linguæ inſpectionem in omnibus morbis valde neceſſariam fuſiore tractatione perſecutum eſſe. Alibi enim præter hoc generale monitum fruſtra quicquam quæras: Nunquam ab ægris in viſitatione eorum diſcedendum eſſe, niſi linguæ prius axaminato ſtatu. Quomo-

l.c. p.221.

d. Neceſſ. Salivæ Inſp R. J. J. Baiero.

de

lo vero lingua & saliva in variis passim
norbis, eorumque initio, augmento &
lecremento se habeat, ac quænam inde
leducendæ conclusiones, illud demum,
eu nusquam pro rei dignitate exposi-
um, desideratis nostris omni jure an-
iumerandum, & vel ex hoc solo capite
nductum forsan G. H. VELSCHIUM exi- l. c.
timamus, semeioticen ad nova expe- XXVIII.
imenta reductam desideratorum nume-
o adserendi.

VIII.

Nec dispar valde est ratio crisium, seu
notuum naturæ criticorum, qui in mor-
is inprimis acutis ad salutem vel mor-
em subito terminari solent. In his qui-
lem observandis veteres, & Divus in-
rimis senex multam posuere industriam,
ed neglecta postea a sequiorum tempo-
um medicis, utilissima hac doctrina sen-
im vilescere cœpit, donec a recentio-
ibus, illis inprimis, qui ex HELMON-
II schola prodiere, sannis & ludibriis
xciperetur. Horum enim eo redit sen-
entia, crises ut in nostris quidem regi-
nibus aut plane non aut rarissime con-
ingere, indeque illas ne quidem atten-
ione dignas, multo minus anxie expe-

 ctan-

ctandas, quin commoda potius medicatione illis obviam eundum esse, arbitrentur. Hi vero boni viri quod nunquam aut rarissime crises observaverint, nemo mirabitur, quicunque nimia sæpe medicamentorum copia, aut qualitate eorum peregrina naturam sæpe obrui attenderit, aut impediri, quo minus motus ad servandam corporis œconomiam salutares instituere possit, aut, si quæ ejusmodi quid moliatur, omnia sub tergiversatione quadam & dubio eventu procedant. Alia omnino mens est WEDELII, BAGLIVII, STAHLII, SYDENHAMII, HOFFMANNI, similiumque doctrina & rerum usu excellentium medicorum, qui Naturæ se vocare ministros non erubescunt, ac in eo, ubi ad morborum curationem ventum est, toti sunt, motus & conatus naturæ salutares, in morbis inprimis acutis, ante omnia, quo vergant, ut probe observent, bene & tranquille succedentes sibi relinquant, impeditas promoveant, nimium, quam par est, exagitatos coerceant, errantes denique in viam reducant; omnia sine magno medicamentorum apparatu, quin sæpissime sine omni omnino medicina, quod rusticos

&

& infimæ plebis homines intueri jubeant, qui morbis non raro graviſſimis decumbentes ſolius robore naturæ, absque ullo medicamentorum uſu citius feliciusque convaleſcunt, quam divites, & qui nullo horum defectu laborant. Et ſub hac quidem tractatione morborum ſæpius criſes in acutis obſervare licet, quemadmodum id tantorum inſiſtentes veſtigiis virorum plus vice ſimplici experti ſumus. Quanquam negandum non eſt, id quod opportune monet BAGLIVIUS, l.c.p.254. hodie non tam frequenter criſes, nec tam perfecte ſuccedere uti olim in Græcia, ob aëris nempe illius regionis majorem puritatem ac ſerenitatem, victum frugalem ac tenuem, & commodum denique temperatumque in morbis a medicis ægris injunctum regimen, parcum remediorum uſum, & cauſas fortaſſis alias. Addamus hic licet, τὴν κρίσια ab ἐκκρίσει multum, ut alias, ita hoc inprimis loco differre; priorem enim frequentius, poſteriorem autem rarius in regionibus noſtris magis ad ſeptentrionem vergentibus, contingere obſervamus. Mirum, cur non frequentius notatum proſtet, quod non ita raro contingit.

IX.

Inde adeo accidit, ut morbi nonnulli aliis ſupervenientes critici, ob ſalutarem, quem plerumque promittunt eventum, denominentur, qui alias ſymptomatici audiunt, quo nomine varii glandularum tumores, hæmorrhagiæ, & phlegmatorhagiæ variæ, & morbus quoque regius præ cæteris celebrantur. De
IV. 61. 64. icτero noti ſunt aphoriſmi HIPPOCRATIS, quod febribus continuis atque acutis ante diem ſeptimum accedens malum, poſt illum vero bonum & ſalutarem præſagiat eventum: ſed ut poſterioris contrarium effati toto die in praxi
l. c. 99. p. 16. occurrit; ita prius quod attinet, VRATISLAVIENSIUM judicio MEDICORUM, quibus præpropere nimis, die quinta, ſuperveniens icτerus, neque nullos e medio tollens viſus, quanquam præter medicum, nemo ex adſtantibus fatalem horam metueret, in obſcuro adhuc latet, unde icτerus tam funeſti exitus oriatur. Quemadmodum vero icτerus interdum ſalutarem, ita ſingultus ex adverſo communiter peſſimum in morbis pariter acutis & chronicis porten-
Coac. 89. dit eventum, idque tum HIPPOCRATIS oraculo, tum quotidiano rerum uſu

usu teste verum deprehenditur, optandum vero cum iisdem modo laudatis VRATISLAVIENSIBUS MEDICIS, ut præsto forent signa, quibus pars primario laborans exacte dignosci posset. Aliqua in singultiendo occurrit differentia, quæ nec scribi nec verbis satis exprimi potest, & a nullo, nisi exercitato in praxi, aurium judicio percipitur. In febrium malignarum singultu, in quo diaphragma afficitur, quicquid agas fere frustra agis, ut etiam hoc anno aliquoties experti sumus. Horum vero peritissimorum in arte virorum & de sternutatione, quam veteres sacram & divinam habuerunt, cum & sternutantes jam antiquo more salutati fuerint, cogitationes & desideria non videntur sicco prætereunda pede, ita autem illi: Qvondam Cl. Vir, Caspar Hoffmannus, vovit, cum sternutatio opus sit mirabile, cujus modum nemo philosophorum & medicorum antiquorum explicarit, ut ante vitæ suæ finem id fieret: de causa, inquit, epilepsiæ novimus fuisse votum magni Cratonis, utinam ante vitæ suæ exitum aliquis ostendat, de modo, quo sternutamentum fit, idem plane vovemus. Non improbamus quidem hoc discendi desi-

l.c. 1700. p. 223.

l.c. 1700. p. 210.

derium

„derium, magis tamen optamus, ut pro-
„pediem certatim a doctis ostendatur,
„in quibus morbis sternutatio vel ut cau-
„sa, vel ut signum prosit vel obsit. Est
„nimirum totum sternutationis negoti-
c. p. 312. „um, E. CAMERARIO judice, mi-
„rabile & intricatum, neque hactenus
„satis, qua circumstantias tam salutares,
„quam periculosas in lucem protractum
„positumque; præprimis notabilis est quo-
„rundam frequentissima & non nume-
„randa sternutatio citra coryzam, vel
„narium lacessitionem sensibilem aut ab-
„usum tabaci, orta, aliquando porten-
„dens mala subsequa, & molestias, ali-
„quando sine omni noxa in consuetudi-
„nem abiens, aliquando & salutaris &
„ob consuetudinem naturæ eo jam incli-
„nantis necessaria facta.„

X.

Ad extremum valde equidem optandum, ut, quæ ultimo jam loco ad desiderata referenda est, in eorum potius ordine collocari posset, quæ sunt satis expedita & manifesta, certa nempe in morbis prognosis. At enim vero contrarium toto die experiuntur illi, qui circa languentium grabbatos crebrius versando, illos subinde convalescere, quos interi-

interituros putabant, nec rarius illos, quos evaſuros haud variis indiciis augurabantur, e vita excedere vident? Enimvero licet P. ALPINUS, C. VATERUS & J. HARVET ſigna ſeu præſagia ſalutis & mortis in ægrotantibus, ille quidem prolixius, hic vero concinnius, e ſuis fontibus laudabili omnino inſtituto derivarint; toto tamen die in acutis præſertim, hinc vero & chronicis morbis oraculi experimur veritatem HIPPOCRATICI: Non omnino certæ ſunt prædictiones vel ſalutis vel mortis, ac ſi E. CAMERARIUM audias, requiritur multa medici experientia, ſi quid hic cer-“ titudine velis pronunciare, imo ne ſic“ quidem tutum erit, ob anomalias &“ proteiformem, quæ jungitur plerum-“ que, indolem, cautius hinc, ſuſpenſo-“ que pronunciandum gradu, imo ſæpe“ abſtinendum; neque enim vaticinari de-“ cet medicum, nec quisquam id jure po-“ ſtulaverit, brevi decidente eventu, mo-“ do quæ ſuarum ſunt partium, recte agat,“ convenienterque morbi genio Medicus,“ eventum Deo facile committat. Neque vero id temere ob ſcientiæ in uno alterove ſufficientis defectum, aut eorum, qui artem profitentur, ignorantiam contin-

L. d. Præſag. vitæ & Morbis diſſ.
d. Præſag. vitæ & mort. in ægrot.
Tr. angl. de ſign. progn. morb. acut. Lond. 1706. 8.

tingere existimemus. Ita enim consummatissimus medicus J. BOHNIUS: „Quo „excellentior autem & majoris momenti „hæc prædicendi ars est, eo gravioribus „stipatur difficultatibus, ut in ea exercenda sæpius falli & errare contingat sapientissimos & in palæstra medica exercitatissimos: quatenus quæ quoad præcepta ejus plus minus abunde ac prolixe „ab infinitis scriptoribus tradita facillima intellectu videntur, in applicatione „deprehenduntur difficillima, minusque „negotio expediundo sufficiunt. Animadverterunt hanc difficultatem, quotquot e clinicorum & commentatorum numero cordatiores fuerunt, quos inter Medicum Hispalensem illustrem, CASPARUM CALDERAM DE HEREDIA nominasse sufficiat, qui hanc prognoseos difficultatem per varios morbos inprimis acutos in Tribunali Medico, Magico & Politico præclare ostendit. Et videtur sane summus vitæ necisque arbiter hanc sibi scientiam soli reservasse, qua de vita & morte mortalium, ac mortis hora momentoque disquiritur. Ac licet haud contemnenda utriusque non raro occurrant, & eventu comprobentur, τεκμήρια, omnia tamen sunt imper-

c. p. 1 c. VIII.

fecta,

ſecta, dubia, nec ſibi conſtantia: ac præſtat proinde ſæpe τὸ ἐπέχειν amplecti, quam vana curioſitate ea ſcrutari, quorum notitia ad neminem hucusque mortalium pervenit, nec an perventura ſit unquam, ſatis conſtat. Appoſite id, quod volumus, exprimitur in libro, qui ſplendido ETTMULLERI titulo quidem ſuperbit, ſed a multis pro ſpurio habetur, ac Medici Theoria & praxi inſtructi rubrum in fronte gerit, in cujus nigro ſequentia inter alia occurrunt: "Proceſſus quaſi judicialis in prognoſi inſtituitur: reus eſt æger, actor eſt morbus, teſtes ſunt ſigna, quæ a conſequentibus deſumuntur, advocatus eſt Natura, judicis vicem obtinet Medicus, vel condemnans alteram, vel judicium in re dubia ſuſpendendo partes interdum ad ſupremum judicem ablegans. Dantur enim caſus, G. W. WEDELIO judice, ubi non deſperandum ſine ſpe, nec ſperandum ſine deſperatione; imo vero ut GALENUS optime ſcriptum reliquit, nunquam errare in prædicendo, ſupra captum hominis eſt, quam minimum errare artificis ſolius.

P. II. p. 77.

diff. de ægro Gutta ſerena labor. p. 17. Comm. III. Progn. Hippocr.

IV.

IV.
DESIDERATA PRACTICA.

I.

Omnis nostra scientia medica inanis est, & fructu, quem mortales inde expectant, ingenti destituta, nisi ad praxin deducatur. Omnem proinde artis ambitum salutaris, & late pandentem medicinæ campum cum serio contemplatur longo rerum usu & amplissimis muneribus insignis; N. TULPIUS, labore tam indefesso illum tum a veteribus tum recentioribus excultum esse, affirmat, " ut vix quicquam amplius „in eo desideres, præter certas rariorum „affectuum observationes, utique reme„dia infallibili usu comprobata. „ Parum propemodum abest, quin paucis hisce omnia ista significaverit doctissimus vir, quæ longa ab aliis serie, BACONE inprimis de VERULAMIO, G. H. VELSCHIO atque G. BAGLIVIO quoad practicam medicinæ partem, per summa capita inter desiderata referuntur, quorum ille hanc demum partem medicinæ esse

præf. obs. ad fil.

L. IV. d. Augm. Scient. c. 4.

isse affirmat, in qua plurimum laboris
nsumtum est, licet fructu satis tenui:
ste clinicem in artis formam redactam
esideratis annumerat; hic vero, cum l.c.XXXI
æteræ omnes qua disciplinæ, qua ar- Prax. præf.
es, non solum in pristinum splendorem
estitutæ fuerint, sed indies magis ma-
isque excultæ, novisque inventis or-
atæ floreant: solam medicinæ praxin ne-
cio quo fato, maxima sui parte jacere,
, quod maxime dolendum, viliorem
uotidie apud indoctos evadere, fate-
ur. Enimvero aut praxin respiciunt
nedicam generatim, aut hunc istum
norbum in specie, & vel defectum de-
otant, vel causas ejus indagant, & re-
nedia suppeditant, quæcunque in pra-
i desiderantur media. Singula certe in-
uere verba videntur laudata, digna pro-
nde visa, quæ pro filo inservirent in
narrandis jam porro desideratis practi-
s, postea quam ea, quæ in partibus
nedicinæ speculativis desiderari vide-
antur, ad colophonem perducta sunt.
c cum de desideratis circa observatio-
es medicas deinceps dicendi locus erit,
e remediis infallibili usu probatis, ver-
a prius facienda sunt. Tot vero cum
xistant remedia, quot sunt morbi, am-

 plum

plum autem ad mentem TULPII & ſpaciosum ſit, in quo navigamus, æquor, & in illo tot propemodum vada, quot morbi, & tam frequentes ſcopuli, quam ſcopi; ducta per praxin medicam exercitatione, ſatis opinor, erit manifeſtum, quantum in remediis plerisque ſit inane.

II.

Atque ut inde dicendi faciamus initium, unde ſcriptorum pragmaticorum plerique in recenſendis curandisque morbis auſpicari ſolent, morbi primum univerſales, & inter illos febres in conſpectum veniant. Febrium autem omnium theoriam & praxin ad deſiderata pertinere, peculiari pridem oratione B. RAMAZINI adſertum ivit. De theoria vidimus antea, praxin quod attinet, in magna febrium diverſitate, qua aliæ ſunt continuæ, intermittentes aliæ, & vel quotidie, vel alternis, ternis, aut ſeptimo, octavo demum die repetentes, medicamentorum ingenti quidem farragine, minus vero inopia laboramus. Nam præter emetica, & cathartica varii generis ſalia, amara, ſtomachica, incidentia, reſolventia, diaphoretica, diuretica, ſpecifica, externa, & multa alia indies adhibentur medicamentorum genera,

nera, ut ROSINO autore LENTILIO," l.c.p.1071
Medicus, etiam ætate practica Nestor,"
nunquam tamen penetraverit in abys-"
sum experimentorum antifebrilium pro-,,
fundissimum: hæc vero modo faustum
modo infelicem sortiuntur successum,
prout vel dextre, vel imperite utentem
invenerint. Remittentium vero omnium
pessimæ quartanæ & maxime contumaces
observantur, præsertim, quæ in
autumnum incidunt, juxta HIPPOCRATEM, II. Aph. XXV.
ad cujus mentem J. G. SIEGESBECK disertis in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS
confiteri verbis non Vratisl. 1720. April.
erubescit: veram febrem quartanam p. 417.
epidemiam curandi methodum adhuc
inter desiderata medica numerandam &
reponendam esse. LUCAS vero TOZZI,
Neapolitanus, summi Archiater Pontificis,
Medicus doctus & longo rerum
usu exercitatus, ejusdem occasione aphorismi
febres quartanas, quas ante hac
medici longissimas, & fere immedicabiles
habuerunt, hac nostra ætate unius
ope corticis Peruviani tam cito tutoque
fugari docet, ut vel hinc patere liquido
possit, quam hæc veterum in medicina
facienda temporibus præcellant.
Neque solum in quartanis, sed & terti-

anis, cæterisque intermittentibus, cum primum ſunt invaſuræ, utiliter adhiberi teſtatur. Nulla efflagitat neceſſitas, hujus ut hiſtoriam corticis, qui ante ſeptuaginta propemodum annos ex India orientali in Europam translatus, factis plurimis in Gallia, Britannia, Belgio atque Italia, iisdemque illuſtribus experimentis, inclaruit, & varia deinde fata expertus eſt, integram pertexam, præſertim, cum ab aliis id, & nuper in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS præſtitum ſit. Hoc namque remedii genus, poſtquam vel ſolum, & in ſubſtantia, quod ajunt, vel aliis permixtum, & magnis plerumque doſibus, repetitis vicibus, ante vel poſt paroxyſmum propinatum, aut clyſteribus additum, acceſſiones deinde febriles ad unum omnes, quo minus redirent, impedivit. Quo viſo in diverſa abierunt medicorum ſaniores, & quantum ab aliis laudatum remedium, tantum ab aliis culpatum eſt. Laudarunt Medici per Galliam, Angliam, Italiam, Belgium, & Germaniam celeberrimi, & ceu tutum & facile ad febres coërcendas præſidium miris ornarunt encomiis, quibus non pauci hinc inde contradixerunt, qui præ-

1717. Nov. p. 301.

ræſertim varios remedii abuſus animad-
ertentes, iſtud vel eo nomine accuſa-
unt, quod præter frequentes febrium
ecidivas, tumores cachecticos, aſthma-
a, hydropes, phthiſes, evacuationum
onſuetarum ſuppreſſiones, arthritidem,
hevmatiſmos, in teneris inprimis ægris
 motu corporis voluntario minus exer-
itatis, magno ægrotantium damno a
nedicamento vel præmature, vel impe-
ite adhibito proficiſci cum G. BAGLI-
IO, & G. E. STAHLIO, experientia
docti obſervarunt. Alii demum me-
ia incedentes via, non niſi præmiſſis
ut interpoſitis evacuantibus, aut febri
liis remediis minus obnoxia, aut addi-
is denique variis corrigentibus, cathar-
ticis, ſalinis & ejus generis aliis, cor-
icem propinandum ſuaſerunt, quos in-
er F. DEKKERO, & J. M. LANCISIO
jusdem cum purgantibus connubium
lacet. THOMAM ſi quæris STDEN-
IAMIUM, qui ob inſignem in meden-
lo felicitatem febrium medicus κατ'
ἐξοχὴν civibus ſuis appellatus eſt, is vere
nquit, affirmare poſſum, non obſtan-"
e tam vulgi quam perpaucorum e do-"
ctis præjudicio, me nihil mali ægris ab"
uſu ejus accidiſſe vidiſſe unquam, vel"

 cum

cum ratione ſuſpicari potuiſſe. Quæ eadem eſt ſententia M. LISTERI, G. HARRIS, R. MORTON, P. GUENELON, e cujus ore Fautoris quippe benevoli, ante pluſculos annos Amſtelodami eadem fere verba, multiplici ejus experientia confirmata accepi, aliorumque medicorum præſtantiſſimorum, quorum alii alias ſubinde cautelas circa parandi & exhibendi modum ab aliis diverſas ſuppeditant. Ac licet non deſint, qui tum in nonnullis Italiæ Academiis litem idcirco LANCISIO, Archiatro Pontificio, tum alibi locorum aliis moverint, atque ob peſſimum abuſum, & ſuſpectam inprimis adſtringendi virtutem, & neceſſariæ hinc ſecretionis excretionisve materiæ morbificæ impeditionem, omnem corticis uſum exotici ſublatum e foro medico mallent; non defuerunt tamen ejus patroni, qui cum eodem doctiſſimo viro vindicias medicamenti conſcriberent, JOANNES inprimis BOHNIUS & JO. GOTHOFREDUS BERGERUS, Medici in Saxonibus experientiſſimi, quorum ille præmaturam intermittentium per chinæ uſum fugam, haud ſuo merito ſemper ſuſpectam; hic vero ipſam chin-chinæ ab iniquis judiciis vindicatam publico dede-

diſſ. Lipſ. 1709. diſſ. Vitemb. 1711.

ederunt. Interea multis expositum ncommodis, & ob pessima, quæ illis usum excipiunt, consectaria suspectum esse chinæ corticem, liquet, nec vaum in hunc usque diem esse Viri Summi, . BARTHOLINI desiderium: "Utinam promissis de cortice Peruviano semper" esponderet eventus, & securum cer-" umque antifebrile haberemus." Cent. IV. ep. LXI.

III.

Equidem solet id fatum medicamenorum commune esse generosiorum, exoicorum præsertim, ut laudentur ab his, culpentur ab illis, & cum non omni moro, immedicabili sæpe, suppetias ferant optatas, alto deinde supercilio contemnantur. Chinam chinæ quod rursus attinet, plura licet in ejus usu desiderari possint, solum pondus & nimia moles, qua intra νυχθήμερον vix infra integram aut dimidiam unciam assumi debet, palato ingrata & ventriculo molesta, non est postremum ex illis, quæ virtuti & efficaciæ ejus non parum derogant. Quod ut evitarent incommodum, aliud nonnulli quæsiverunt & pondere levius, & mole concinnius, nec virtute inferius antifebrile medicamentum, quod, ut alia mittam, in minerali regno, & veneno-

rum quidem familia reperiri, ſibi aliisque perſuadent. Arſenicum, ceu egregium ἀντιπύρετον ROSINUS deprædicavit LENTILIUS, quem deinde alii ſecuti ſunt, in ea verſantes ſententia, nullum venenum usque adeo pernicioſum atque lethale eſſe, quod non, dextra præparatione, & recto deinceps uſu accedente, in minima inprimis quantitate medicamenti excellentis vices laudesque jure tueri queat. Cujus quidem valorem ſententiæ in medio relinquens id ſaltem monendum duco, doctiſſimum STAHLIUM plures & annotaſſe & graphice deſcripſiſſe triſtes ab aſſumto arſenico in febricitantibus eventus. Ac licet J. H. SLEVOGTIUS nuper admodum egregio huic minerali ob nobilem ejus ex mercurio originem, & nitentem ac pellucidam fere albedinem, ponderoſamque & corruptionis expertem conſiſtentiam, virtutes item, ne quidem ab infenſiſſimis ejus hoſtibus in dubium vocandas, honeſtiorem exiſtimationem comparare, illudque ſuo merito & jure titulo honorabili ſpecifici antifebrilis condecorare aniſus fuerit; dolendum tamen ſummopere cum eodem clariſſimo viro, neminem hactenus de cauſa talismodi efficaciæ,

Eph. Germ. Dec. II. Ann. III. obſ. 46.

M. Nov. obſ. phyſ. chym. med.

P. p. de modeſta arſen. excuſ. ad diſp. Wedel. d. Arſen.

ciæ, ex receptis hypothesibus vix explicabili invenienda, sollicitum fuisse, simul & de mediis cogitasse, nimis agilia ejus elementa rectius, quam hucusque per nitrum, acetum, etc. tentatum est, cicurandi, ut ea in magna etiam quantitate mitius operari discant. BEROLINENSES autem MEDICI acriter hoc ipsum perstringunt artificium, & medici machiavellismi momentum haud postremum disertis appellant verbis, quod licet in nonnullis exemplis præstiti juvaminis speciem præ se ferat, visceribus tamen ægrotorum labem, & propinantium conscientiis maculam affrictam serius vel ocius post se relinquat. Act. Med. Berol. III. 8.

IV.

Aliud in regno minerali & hydrargyri quidem prosapia venatur febrifugum B. RAMAZINI, eo maxime inductus argumento, quod varias noxas ab assumtis vel exterius applicatis mercurialibus notaverit, gravissimas alias, sed febre carentes, quin & exemplis edoctus fuerit, in quibus venerei quid febribus intermittentibus fuit junctum, salivatione mercuriali in usum vocata, utrumque deinde malum evanuisse, sed nondum reperisse, hæc monstrant ejus verba:" de Morb. Artif. L. II, p. 28.

„An ergo quid febrifugi latet in hydrar-„gyro? forſan dies aliqua ex minerali „regno febrifugum aliquod non ſub gri-„pho, ut Riverius, ſed candide & aper-te medicæ arti largietur. LAZARUS cer-te RIVERIUS famoſum venditavit, mi-risque celebravit encomiis antiquartium, quod quale fuerit, non eadem eſt eru-ditorum ſententia. Hoc enim ænigma-tice ab ipſo propoſitum nonnulli ex mer-curio ſublimato corroſivo parari, cui mercurius dulcis additur, illumque tri-plicis herculis, huncque athletæ acce-dentis nomine intelligi exiſtimant; alii vero ex regulo antimonii cum auro vel argento miſto, & addito deinceps mer-curio ſublimato in butyrum antimonii verſo, ex eo vero vel aqua ſimplici mer-curii more vitæ, vel bezoardici inſtar lunaris ope ſpiritus nitri præcipitato con-ſtare, affirmant; cujus vires an promiſſis ſtent, experientia docebit, uti G. ROLFINCIUS loquitur. A bezoardico autem ſic di-cto lunari, cui plurimum multi tribuunt, parum diſtare videtur medicamentum, quod ſub panaceæ mineralis titulo in col-lectaneis chymicis Leydenſibus lauda-tur, mihi autem his ipſis diebus ceu ſummum in quartana aliisque febribus rebel-

Obſ. Cent. III. append.

Chym. in artform. red. p. 373. 402.

rebellibus & morbis chronicis aliis arcanum, per inſenſibilem maxime tranſpirationem, hinc & diureſin effectus edens, a chirurgo caſtrenſi communicatum eſt, quodque ex antimonii regulo cum foliis lunæ, & mercurio vitæ continuato tritu alcooliſato & ſpiritu porro nitri affuſo, & vice iterata e retorta abſtracto, reſiduo autem recte edulcorato paratur. Hiſce enimvero & ſimilibus medicamentorum generibus, perita manu tractatis, eorumque valori & efficaciæ ut nihil detractum cupimus, ita veremur, id quod experientia docet quotidiana, ne ex eorum ſint familia, quæ juxta VERULAMIUM ſpes hominum inflant, ſed brevi deſtituunt. Quid vero de ſale ſit ſperandum ammoniaco, cujus præclarum ad febres intermittentes uſum prædicavit W. G. MUYS, illumque propriis & defuncti fratris obſervationibus & experimentis factis corroboravit, inde exiſtimemus licet, quod, ut eſt a MEDICIS BEROLINENSIBUS repetito confirmatum experimento, a propinato hoc ſale citior ſemper provocatio horroris febrilis fuerit ſecuta, quam natura ſibi relicta, more antea obſervato, formare conſueverat; quo loco ſequens inde forma-

diſſ. Franequ. 1716.

Vol. I. p. 90.

tum

tum offendimus conclusum: quod vel aër & locus, vel corpora, quæ terra & aqua diversa alit, vel peculiaris anni tempestatis constitutio subsit, quod idem experimentum, alibi per omnem docimasiam probatum, Berolini plane diversum effectum exerat.

V.

Ut vero magnis implicita est difficultatibus febrium praxis intermittentium, ita majoribus premitur, quæ de continuarum exponit medela. Harum aliæ cum, aliæ sine exanthematibus, & vel benignæ, vel malignæ, quorum summus apex ipsa pestis est, visuntur. Caussas varii varias fingunt, ac prout sanguinem in iisdem vel coagulatum ab acido atque terreo principio, vel ex adverso ab alcali & volatili sale fluidum & coaguli expertem supponunt, oculisque, facta post obitum cadaveris sectione, usurpant; ita aut huic, aut isti qualitati adversa remedia, ubi ad curam ventum fuerit, magna securitate in usum vocant, & vel bezoardicis volatilibus lentum humorum motum excitare, aut eundem nimis efferatum remediis temperatis & fixis, aut medii generis alexipharmacis coërcere student. Neque vero eos

eos aut in errore verſari, aut veritati litari omnes, exiſtimes, ſaniores enim cum C. VATERO pridem obſervarunt, in Diff. de febribus iſtis omnibus ſanguinem ſe-" Febb. rumque ejus modo nimium reſolvi, mo-" Mal. XXI. do coagulari. Alexipharmaca generali voce apellant, quæ malignitati aut contagio ad mentem variorum vario opponuntur, quæ cum in ingenti varietate duum maxime generum eſſe cenſeantur, calida alia, energetica & volatilia, alia fixa & temperata, ſuos quælibet patronos invenere. Prioribus minus favent MEDICI inter alios VRATISLAVIENSES, quorum mens huc redit: "Ab ale- l. c. 1699. p. 11. xipharmacis calidioribus, quæ mali-" gnitati opponi debere vulgaris perſuaſio" eſt, nobis temperavimus, quia nec ve-" nenorum, multo minus venenatorum" μιασμάτων natura cognita eſt, adeoque" in Democriti puteo adhuc vera fermen-" torum malignorum alexipharmaca pro-" fundiſſimis tenebris immerſa latent." Omnium autem activorum atque calidiorum alexipharmacorum camphora fere princeps eſt, cujus efficaciam, ceu divinam, ut alii ſummis efferunt laudibus, ita alii eandem ceu noxiam ex internorum claſſe antifebrilium ejectam elimina-

natamque mallent. Illorum in numero ſunt, M. ETTMÜLLERUS, C. MVSITANVS, J. DOLAEUS, J. J. WALDSMIDIUS, A. SALA, J. MICHAELIS, G. W. WEDELIUS, & plures alii, longa ſerie a Viro Cl. qui pollicem illis premit, J. H. HEÜCHERO enarrati. Ac licet nonnulli, & inter illos modo laudati VRATISLAVIENSES MEDICI cum A. THONERO, T. CRAANIO, D. LUDOVICI, L. SEPTALIO, J. F. PIENS, L. DONCKERS, de camphoræ uſu interno ſequentem ſentiant in modum: „Enimvero ſcire licet, tantopere „laudatam camphoræ virtutem alexiteriam niti nuda traditione & opinione „hominum, ac in re ipſa in febribus hiſce „malignis camphoram interne plus detrimenti, quam auxilii adferre. Deferimus cauſæ hujus cognitionem ad circumſpectæ experientiæ tribunal, ac ſententiam nobis gratam pollicemur, poſtquam vanitas prætenſæ eximiæ hujus virtutis omnibus fere innotuit; non tamen defuiſſe doctiſſimo HEÜCHERO, evidens eſt, ex iis quærendi rationes, qui ignem camphoræ in febrium ignibus metuunt, cur non æque mixturas ſimplices, eſſentias theriacales, tincturas bezoardicas, confectionem liberantis, pulverem rubrum

d. Igne per ign. extingu. l. c. p. 12.

l. c.

rubrum Cæſaris contra peſtem, pulverem Pannonicum & id genus alia, quæ habent camphoram, propinare vereantur, quotidieque in febribus quoque ardentiſſimis eorum uſu potiſſimum delectentur?

VI.

Calidis vero & activioribus alexipharmacis ut multi multum cum ſimili regimine, ita alii regimini temperato, & ſimilibus acidisque remediis in febrium cura malignarum ipſiusque peſtis plurimum tribuunt, quemadmodum Turcarum praxin, indoctam quidem ſed vere rationalem in ipſa curanda peſte, malignarum omnium febrium facile principe, per ſuccum limonum in omne juſculum liberalius inſtillatum, per fruſta limonum ſaccharata, ore frequenter maſticata & per potum illis vulgatiſſimum dictum Scherbet, hoc eſt per regimen actuale frigidum, conſiderandam proponit G. HARRIS. de Morb. Acut. Inf. p. 27. Sunt vero & alii, qui remedia ab hiſce quoad virtutes & modum operandi plane diverſa ad peſtem miris commendant modis, illi nimirum, qui introductam ab A. KIRCHERO, A. HAUPTMANNO, C. LANGIO, C. F. PAULINI, G. ANDRY, aliisque pathologiam animatam multis equidem ſuſpectam in ipſa defendendam peſte

peste hodieque sibi sumunt. Hi namque suæ vi hypotheseos non possunt non mercurialibus medicamentis in febrium cura pestilentialium, cum sint omnis animatæ putredinis infensissimi hostes, multum fidere. Quorum numero nuper admodum Cl. Virum, A. C. GACKENHOLTZIUM accessisse, & tum ob has, tum ob salivandi seu masticandi virtutes plane eximias valde mirari novimus, in tanto ab Autoribus contra contagiosam hanc lucem congesto remediorum catalogo nullas fere partes relictas esse mercurio, quem tamen, cum in aliis atrocissimis morbis, virum se quotidie præstet, hic prorsus inutilem suspicari non debebamus. Sic & CAMERARIUM, LENTILIUM, CHESNAU, medicos experientissimos, in febribus malignis cum animata inprimis putredine junctis, pulveribus bezoardicis ad incidendam simul semper peccantem salivæ totiusque lymphæ viscriditatem, mercurium dulcem mirabili cum successu admiscuisse, tum aliunde constat, tum MEDICI VRATISLAVIENSES memoriæ prodiderunt. Sed hi, quantum ejusmodi tribuant remediis, haud obscure verbis significant mox additis: „Nos in febri-

Pest. Averrunc. II. XXII.

l. c. 1699. p. 40.

febribus, ubi vermium ſuſpicio, fere cin-"
nabari nativa contenti vivimus."

VII.

Vena in peſte morbisque malignis ſecanda ſit, an minus? quæſtio eſt, variis hinc inde argumentis diſceptata, nec dum deciſa. Quippe alii in primo morbi principio, & habitu corporis plethorico, ſimilibusque, quæ ſvadent, aut urgent, præſentibus, phlebotomiam admittunt, quæ tamen ſingula non attendunt alii, ubi malignitas, contagium, aut exanthemata præſto ſunt. PHILIPPUM ſi audias HÖCHSTETTERUM, Medicum quondam Auguſtanum exercitaſſimum, venam, is in-" quit, aperimus rarius, moniti illo Hip-" pocratis, ab eo, qui curat, nullum malum" inferatur, ſat eſt, quod morbus facit. Ea" enim, proh dolor! Medicorum eſt con-" ditio, ut non niſi ſumma neceſſitate ur-" gente vocentur, ut animam jam jam ef-" flandam tardent, quare calamitoſis ſym-" ptomatibus ægri peſſundati vires habent" debiles, quibus ſi ſanguis ſubtrahitur," morbus fit ſuperior, quo vita fugatur." Et porro: Quare detrahimus iis ſangui-" nem, quibus a principio vocati adſta-" mus, hoc autem velox eſt, & æger ple-" thoricus eſt, vel quem metus & timor,"

Dec. I. obſ. VI. Schol. 73.

„vinum meracum, cibi ab Apitio con-„diti aptum ad contagium ſuſcipiendum „diſpoſuerunt. Pauperibus at, quibus „fames pro pane, cocochymia pro ſangui-„ne, fœtor in dejectione, dejectio fre-„quens, corpus attenuatum, ſanguinem „detrahere, magna eſt dementia.„ Quo quidem loco, ubi ad recti judicii & veræ normam experientiæ res omnis exigenda eſt, opportune M. TILINGII, noſtratis quondam, recordor, qui, ut G. E. STAHLIUS ſcite advertit, ubi de venæ ſectione in febre præſertim petechiali vel celebranda vel omittenda ſermonem inſtituit, pro affirmativa Profeſſores, ſcriptores claſſicos, doctores varios, neque paucos omnino: pro negativa etiam non nimis paucos, ſed propemodum minorum gentium, arctioris nominis practicos urbicos notat: quorum illi unice rationibus utuntur, & generalibus præterea de plethora, hi vero nudam experientiam afferunt, non ſingularem aut alienam, ſed ſuam, aut certe cum ſua. Hiſtoriam ſi evolvamus morborum Vratislavienſium, opus certe non in cerebro autorum, ſed ex ipſa natum experientia, mirum ſane, quam tergiverſentur, ubi ad hoc accedunt caput, anxieque ſe gerant viri in arte

d. febr. petech. Obſ. phyſ. chym. med. M. Maj. p. 604.

te

-re salutari versatissimi, verbis pone se-quentibus: "ut verum fateamur, ad hanc usque horam, qua hæc scribimus," incipites hæremus, quidnam potissi-" mum medico agendum incumbat? ---" quapropter in eas sæpe cogitationes in-" cidimus, medico, si sub initium morbi" advocetur, contingit autem hoc quam" rarissime, incunctanter quidem ad v. s." eamque largam esse confugiendum. Et" quæ sequuntur. "Quæ cum ita sint, optandum omnino cum R. J. CAMERARIO, ut in frequentia illa febrium acutarum, durante per sat longum tempus præterito bello in castris & alibi graviter grassantium, & frequentiores & diligentiores institutæ fuissent observationes, quid commodi vel noxæ accidisset a perpetrata vel omissa in illis sanguinis missione, ut certiores & solidiores circa grave hoc in acutis v. s. negotium consequentiæ & regulæ possent elici & formari in salutem ægrotantium. Et cum pestis sigillatim nunquam iisdem se prodat phænomenis, & quæ in una peste feliciter in usum fuere tracta, alia prorsus respuit, hinc F. SCHRADERO judice, universim vix poterit definiri, num sanguinis detractione pestis semper opus habeat.

1702. p. 43.

de Abusu V. S. p. 9.

d. V. S. usi. & abusu in febr.

VIII.

Purgantia medicamenta an in febribus acutis, & malignis locum inveniant, necne? quæritur etiamnum. Eorum enim usum licet plerique, in statu saltem morbi, damnent, non tamen sunt nulli, qui eadem magnis efferant laudibus, ut L. RIVERIUS, T. WILLISIUS, T. SYDENHAMIUS, G. HARRIS, & F. HOFFMANNUS. Videntes nimirum viri, in arte servandorum hominum versatissimi, diarrhæas non raro salutares & criticas in hisce morbis, nulli deinceps dubitarunt, idoneis eum in finem exhibitis medicamentis diarrhæam artificialem excitare; quos tamen omnes si curatius paulo introspiciamus autores, haud facile ultra clysterum, aut tartareorum & lenientium usum, quæ nemo unquam vocavit in dubium, processisse, animadvertimus, uti Hoffmannianam intuenti dissertationem haud erit obscurum. Hoc vero loco quam maxime valere existimamus, quam in ACTIS MEDICORUM BEROLINENSIUM legere licet, cautelam: „Quicquid Natura suo „agit consilio, medico & patienti non vergit in præjudicium. Alia est emeticorum ratio, utpote quæ in febrium ini-

de diarrhæa in feb. malign.

Vol. I. p. 13.

initio acutarum felici non raro ſucceſſu adhiberi conſtat. Quamvis quid de methodo ſentiendum ſit GUNDELSHEIMERI, & SWARTZII, vitriolum album ſcopo vomitorio, & V. Snem alternis in febrium petechialium initio non modo, ſed & progreſſu, diebus commendantium, ſuo uterque fato, eodemque funeſto, ut eodem loco relatum extat, docere poſſunt. PHILIPPUS ſane HOCHSTETTERUS, quid ſentiat, hiſce declarat verbis: "Noſtri medici vocati primum tempus invaſionis morbive conſiderant, vires examinant, ſymptomata perpendunt. --Et alvum ſubducunt in principio clyſtere vel glande, quamvis pharmaca vix tribuant, niſi urinæ in principio aut nebuloſæ aut craſſæ ſint, vetus ſtercus non ſubierit, aut gravitas ad lumbos devenerit, aut flatus graveolentes prodierint, aut venter murmuraverit. ---Rarius itaque in hoc morbo inter initia medicamentis expurgantibus utimur, & in declinatione cum præmeditatione. Ac ne nimium catharticis in acutis tribuamus, facit immortalis BOHNII cautela, qui, poſtquam, quæ ſuadeant, aut prohibeant, ad mentem HIPPOCRATIS, cruditatem nimirum

l. c. p. 23.

l. c. p. 70. 73.

L. d. Off. Med. p. 273. & coctionem atque turgescentiam humorum fuse ac erudite pro more exposuisset, porro, pergit, in febribus purgationem dubiam reddit earum malignitas, & quidem hoc confirmante experientia, qua multorum cippis inscribenda erunt verba Hippocratis, epidem. passim obvia: Mortuus est, quia purgatus fuit.„

IX.

Pulcre admodum de universa morbis medendi malignis methodo, suam profitentur sententiam MEDICI VRATISLAVIENSES his, quæ sequuntur, conceptam verbis: „Non probatur in morbis contagiosis nobis v. s. nisi in circumstantiis plane singularibus. Non ex nostra mente locum in illis habent purgantia fortiora, nec calidiora alexipharmaca, & ubique præter multiplicem experientiam huic curandi methodo prælucere rationem in propatulo est. Hæc enim apertissime dictitant, materiam, quæ sub halitus forma in quantitate prorsus exili in corpus irrepsit, nec per venæ, lanceola aut scalpello apertæ, vulnera, nec per volumina intestinorum, quæ crassiorum excrementorum emunctoria sunt, exterminari è corpore posse,

1701. p. 252.

posse, inutilem quoque prorsus esse"
profusam seri per sudores nimios excre-"
tionem." Neque vero aurum potabi-
le, quod pestem è vestigio fugare cre-
ditum quondam est, sed frustra adhibi-
tum in ejusmodi casibus esse, multiplici
experimentorum fide constat, aut lapi-
dem bezoar ex oriente vel occidente ad-
vectum, lapidem porcinum, fabam S. Ig-
natii inter remedia dubia a P. HERMAN-
NO relatam, aut lignum colubrinum,
quod in illicitis secretis numeratur a ME-
DICIS BEROLINENSIBUS, aut serpen-
tariæ Virginianæ & Mungo radicem, cu-
jus copiam ex Java asportavit, quamque
in febribus putridis & morbis malignis,
redux feliciter, dum viveret, adhibuit
E. KAEMPFERUS, sicut ipse fidem facit,
aut colchici radicem a G. W. WEDELIO,
arcani duplicati alexipharmaci catholici
titulo insignitam, & amuleti loco adhi-
bitam, vel & a G. L. WILHELMI, em-
plastri attractivi externi vice usurpatam,
utroque intuitu, in ANNALIBUS PHY-
SICO-MEDICIS desideratis annumera-
tam, aut sexcenta alia sub specioso alexi-
pharmacorum, bezoardicorum, atque an-
tidotorum titulo venditata in scenam ut
porro producamus, necesse erit; quan-
 doqui-

Cynos. Mat. Med. p. 164. Act. Med. Berol. II. p. 35.

Amœnit. Exot. Fasc. III. p. 577.

Vratisl. 1723. Jun. p. 680.

doquidem malignarum curationem febrium, ipſiusque peſtis difficillimam eſſe, & veram curandi methodum nos latere, vel ex eo certum eſt, quod, licet remedia neceſſaria ſecundum methodum medendi ſtudioſe adhibeantur, pauci tamen mortem evadant, plures autem ſine medicamentis ſolius naturæ beneficio reſtituantur, ut ſcite W. U. WALDSMIDIUS animadvertit, MARTINUS vero LISTERUS, qui aliud remedium pro vitanda peſte inſtituunt, quam fugam, vel homines eſſe ignorantes, vel æruſcare velle, affirmat; id ſatis, opinor, liquet, quod in conſiliis lubentiſſime fatetur J. „CRATO, diverſitatem veneni peſtilentialis, & verum ſpecificum remedium „ſolius Dei majeſtati reſervatum & cog„nitum, nobis vero incognitum eſſe. Quo cum paria THOMAS facit SYDENHAMIUS, his, quæ ſequuntur, verbis: „mihi veriſimile eſt, peculiare peſtis re„medium, propriumque ipſius perniciei „alexiterium adhuc in naturæ ſinu abdi„tum deliteſcere, nec eandem niſi ratio„ne quadam mechanica tolli poſſe. Neque vero plura, quibus tuto fidas, in prophylaxi, quam cura peſtis morborumque malignorum, ſuppetere præſidia,

Singul. Peſt. Holſ. p. 21. Comm. Sanctor. Med. Stat. p. 71.

exiſti-

existimemus, licet. Venatores enim licet H. MERCURIALIS, & tabacopæorum tabernas J. DE DIEMERBROEK, coriarios vero ex I. PALMARIO & I. SCHENCKIO B. RAMAZINI annotaverit, pestis grassante sævitie a contagio mansisse immunes: hæc tamen omnia, & si quæ sunt & laudantur ab aliis alia prophylacticorum remediorum genera, minus voto respondere & hominum spem credulorum sæpenumero fallere, deducto ad varia sermone, egregie demonstravit Cl. BOHNIUS, cujus inter alia notatu dignissima, hæc imprimis verba attentionem merentur: "Nec, quæ eum in finem commendantur antidota seu alexipharmaca, fida omnino dici merentur, non tantum, quod a plerisque Scriptoribus, & Practicis ingenuioribus de eorum existentia dubitetur, ac quænam illa speciatim sint, ignoretur, sed abusus imprimis ratione, dum iisdem vel crebrius justo utuntur, vel aromatica & volatilia imprimis sua faciunt.

de Arte gymnast. p. 245.
Obs. de Peste Noviom.
de Morb. Artif. c. XV. p. 92.
de prophylaxi pest. dubia LV.

X.

De Variolis & Morbillis seorsim nonnulla afferre, eo magis operæ erit pretium, quo plures & discrepantes ab invicem iisdem medendi laudantur methodi,

thodi, hoc tamen non obſtante, plurimos iisdem jugulari ſummæ pariter & infimæ conditionis & cujusvis ætatis homines, quando epidemice graſſantur, videmus. Equidem plerique viam ab ipſa natura monſtratam calcantes, per remedia temperata & diapnoica, ſimileque regimen, tum eruptionem exanthematum, tum maturationem promovere ſtudent; non pauci vero inſigni moniti clade, quam hic mortalium hoſtis, neutiquam contemnendus, adultis pariter atque infantibus quotannis fere inferre ſolet, aliam atque aliam quæſivere medendi rationem, alia præſidia. Non nobis nunc de V. Sne ſermo erit atque clyſteribus, utpote utrumque remedii genus, nonnullis in variolis ſuſpectum, a ſummorum triga Medicorum, J. N. PECHLINO, H. MEIBOMIO, & J. G. BERGERO ita adſertum & vindicatum videntes, ut rectus utriusque uſus culpa omni vacare videatur. Neque pediluviorum prolixam facere mentionem, neceſſe eſt, de quibus R. J. CAMERARII placet ſententia: inter curioſitates nocuas „pono, intempeſtivum illud ſtudium, variolas ad partes ignobiliores, ſcilicet pedes, quotidianis pediluviis derivandi, ne detur-

L. II. Obſ. XI d. V. S. in Variol. de Uſu V. S. & clyſt. in Curat. Variol.

diſſ. de Variol. XII.

deturpetur facies: hac enim ratione vir-"
go Belgica faciem pulchram conſervaſſe"
dicitur, ſuccedente pedum paralyſi in-"
curabili." Uti nec medicamenta exa-
minabimus, quæ ex antimonio & mercu-
rio parare docet BOHNIUS, de quibus
adſerere non dubitat, perfectam & radi-
catam variolarum curationem, ut & cæ-
terorum morborum lymphaticorum in
his rite paratis, hinc & myrrhatis conſiſte-
re: Hæc enim & ſimilia ad deſiderata,
minus vero acquiſita, hactenus pertinere
in aprico eſt. Eadem ferme remedia ad
variolas commendat H. BOERHAVE, ſed Aphor. Pract.
ſcopus & indicationes ejus videntur para- 1388.
doxæ. Ita enim mederi docet: indicatio
videtur oriri primo, ut ſtimulo inflamma-
torio ablato ſanetur ſtatus præſens, & im-
pediatur ulterior ejus progreſſus, & pro-
inde caveatur ejus ſuppuratio, gangræ-
na &c. Media huic ſcopo idonea in ſtibio
iterum quærit & mercurio, ad magnam
penetrabilitatem arte deductis, nec ta-
men ſalina acrimonia nimium corroſivis, 1392.
ſed bene unitis: ſed nondum inveniſſe, 1391.
hæc clara teſtantur verba: „quale inve-
niri poſſe, comparatio hiſtoriæ antidoto-"
rum, & indoles hujus mali faciunt ſpe-"
rare, & ad indagandum impellit ſumma"

hinc

„hinc futura humano generi utilitas.„ Et, quod reliqua attinet hinc inde decantata variolarum antidota, aut multum fallimur, aut deſideratis hodieque jure annumeratur medendi variolis methodus, illuſtri quondam Archiatro Regio Boruſſico, A. GUNDELSHEIMERO uſitata, utpote qui ægris hoc morbo decumbentibus, alternis diebus medicamentum catharticum e tartaro emetico, & manna aut caſſia compoſitum exhibuit, ſepoſitis aliis artificiis omnibus, & regimine moderatiſſimo adhibito. Quamvis enim de illa tale ferat judicium, qui ſingula curæ momenta ſollicite excuſſit, G. E. STAHLIUS: experientia non minus numeroſa, quam conſtans teſtatur, nec certe compoſita ratio disſvadet, quod potentior ſit ad præoccupandas univerſas tanto magis importuniores ejusmodi concurrentes adverſas atque contrarias cauſas, verbis tamen proxime antecedentibus methodum, quæ per ſola abſorbentia moderatiſſime data, & regimen temperatiſſimum obſervatum procedit, ceu tranquilliorem ſe communiter ipſum ſequi, fatetur. Hinc vero & quid de purgantibus in ſecundaria confluentium variolarum febre adhibendis ad mentem JO. FREIND habendum

Diff. de Variol. & Morbill. p. 48.

Lond. 4. 1719.

llum ſit, facile patet, ut eidem diutius
mmorari non ſit neceſſe. Equidem plu-
res ſuperſunt variolas & morbillos ex ar-
e tractandi methodi. Quamvis enim
onge maxima hominum pars, plebs ni-
mirum & ruſtica gens omnis, ſolis natu-
ræ viribus confiſa, citius tutiusque ex
iiſce morbis eluctari videantur, quam
multo medicamentorum apparatu in-
ſtructi ditiores, non tamen ſedula mor-
alium curioſitas alia ex aliis artificia
quærere neglexit. Quemadmodum præ-
er pulverem ſolarem Hallenſem, multis
magnisque decantatum encomiis, & hi-
udinum uſum Judæis familiarem, me-
thodus illa per inſitionem ſeu transplan-
ationem variolas excitandi, multis ho-
die attentionem mereri videtur, quæ ni-
mirum pus ex pedibus variolis laboran-
ium, cæteroquin ſanorum hominum vi-
ro exceptum, in alios, facta cutis inci-
ione, infundere, & nucis cortice tegere,
dque duodecimo aut tertio & decimo
morbi die, hinc autem die ab inſitione
eptimo, in novo ægroto variolarum e-
uptionem, & juſtum hinc decurſum,
omni carentem incommodo expectare
ubet, atque ab E. TIMONIO, Medico
Conſtantinopolitano, ad S. de SKRAG-
GEN-

GENSTIERNA, Archiatrum Regium Suecicum perſcripta, a JACOBO vero PYLARINO, Conſule Smirnenſi, KENNEDI, A. LOIGH, J. A. REIMANNO, experimentis confirmara, & a G. KLAUNIGIO, T. NEDISTON, M. E. BORETIO, W. V. WALDSMIDIO atque A. VATERO communicata, & ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS & MEDICORUM BEROLINENSIUM ACTIS paſſim inſerta legitur, Circaſſiis vero, Georgiis, Armeniis, Græcis, primam debet originem. Qua de re, ut multa alia, quæ non abs re moneri ab aliis ſolent, ſicco prætereamus pede, palmarium hoc cauſæ momentum, an quis prævia ejusmodi inſitione a variolis veris naturalibus, (cum artificiales iſtæ ob tardiorem eruptionem, & diſtinctum ſemper ſitum pro ſpuriis forſan haud immerito habeantur) immunis maneat? multis huc usque dubiis eſt involutum, præſertim cum exempla non deſint eorum, qui variolis artificialibus antea tractati, hoc non obſtante naturalibus brevi poſt correpti ſunt, ſaniorum ut judicio integrum ad hujus operationis perfectionem & complementum ſeculum requiri videatur, qua de re W. WAGSTAFF pluribus ex inſtituto egit, & in-

M. N. C. Cent. V. VI. Obſ. 2. p. 3.
Ep. ad W. Witaker.
Ep. ad I. H. Linckium d. ſingul. Variol. & d. Inſit.
Sched. Germ. vom Blatterpeltzen. 1717. Aug. p. 185. II. I. I. p. 25. II, II. p. 40.
Ep. ad J. Freind.

& insufficientiam & pericula inoculationis præclare ostendit. Ea ergo, dum factis cum tempore pluribus & certioribus experimentis magis confirmetur & magis, inter remedia dubia, paradoxa, atque incerta locum tuebitur, de quibus τὸ ἐπέχειν amplecti, tutissimum erit. Neque majus prophylacticis variolarum remediis, si recte rem æstimemus, pretium statuendum erit. Licet enim ἀμήνοι, eunuchi, castrati, aut, quibus recens natis notabilis pro ratione virium sanguinis copia ex umbilico resecto evacuatur, juxta RIOLANUM, a variolis atque morbillis immunes vulgo censeantur: ac tametsi anodynis multi cum WAGRETIO, mercurio dulci cum BOHNIO alij, acidulis vero medicamentis, ut reliqua prætermittamus, cum J. J. WALDSMIDIO, in cura æque ac præservatione fidant plurimum, res tamen omnis in ambiguo versatur, nec imminui idcirco funera, aut majorem adhibitis istis præsidiis securitatem animadvertere licet. Quare recte omnino rem ponderasse videtur ὁ πάνυ G. W. WEDELIUS, qui examinatis variis eum in finem laudatis remediis, vanis æque ac specie blandientibus, tandem non nisi balsamica, bezoardica, renova-

Annal. Vr. 1711. p. 1104.

diss. d. præserv. variol.

novativa, mercurialia, id vero eſt, generalia commendat præſidia, ſed ita commendat, ſpem ut foveat, quæ adhuc non omnibus arrident, ſucceſſu temporis melius deciſum iri.

XI.

Quæ ſuperſunt febrium ſpecies, ut quintanæ, ſextanæ, ſeptimanæ, octanæ, ſimilesque rariores, nobis tamen ſemel atque iterum viſæ, nec non quæ mali moris, aut compoſitæ, ſpuriæ mixtæve ſunt, & vel hemitritæi, aut leipiriæ, epialæ ſimilique nomine veniunt, an quoad curam ad deſiderata aut explorata plus ſatis ſpectent, illi demum norunt, qui hæc talia morborum genera ſollicite unquam tractarunt. De hecticis vero & tabificis febribus, quæ continuis ſollicite quoque tractatis magno medicorum opprobrio ſuccedere non raro ſolent, inferius & quando de phthiſi verba facienda ſunt, commodior dicendi locus erit. Nunc illud diſquiſitione adhuc dignum videtur: an, quæ nonnullorum eſt ſententia, febris a medico nonnunquam excitari vel poſſit vel debeat: id quod anxium videtur fuiſſe deſiderium ægri, qui, ut a F. DEKKERO relatum accepimus, nephriticis arthriticisque dolori-

Exerc. Pract. p. 507.

bus

ous sæpius, & deinde quartana laborans, iunctis manibus oravit: utinam medicum invenire possem, qui id efficere posset, ut continuo febricitarem, namque febricitans ab omni dolore liber ac hilaris vivo, è contra vero inter tot annos nunquam absque dolore arthritico vel nephritico vixi. Enim vero HIPPOCRATIS clara est sententia: "Prudentis Me-" dici est, aliquando febres accendere." Cui A. C. CELSUS iisdem fere verbis adstipulatur: "sed est circumspecti" quoque hominis, & novare interdum," & augere morbum, & febres accendere," quia curationem, ubi id, quod est, non" recipit, potest recipere id, quod futu-" rum est.„ Et hos quidem duces J. D. MAJOR, peculiari labore hoc argumentum prosecutus secutus est. HIPPOCRATES febres & convulsionibus & apoplexiæ, & paralysi & ebrietati, & doloribus atque obstructionibus hypochondriorum, & maniæ aliisque morbis supervenientes, iisdem mederi, variis in locis magna adserit fiducia. Horum veritatem assertorum H. ab HEER ebrietatis exemplo alios inter confirmavit, ab aliis vero nonnulla eorum in dubium vocata sunt, quemadmodum hæc G. HEL-

L. II. Epid.

L. III. C. IX.

diss. d. Febre Artificiali.

WICHII testantur verba: Ego sane inter plura apoplexiæ exempla nunquam aliquem vidi per febrem ab apoplexia fuisse liberatum, licet multoties statim post insultum apoplecticum deprehenderim pulsum verè febrilem. Sed quicquid ejus rei sit, quæritur de re vera, an falsa, laudabili & licita, aut minus tali, quæ an in potestate sit artificis, nondum est evictum satis atque exploratum. Equidem Cl. G. C. SCHELHAMERUS obsessi cujusdam meminit, sub altari celebratii illius Patavini Antonii detenti, in quo, quoties divinus Antistes nomine Sanctissimi Salvatoris injungebat, ut febris in ipso excitaretur, pulsum talem celerem & frequentem apparuisse illico, ejusdem vero nomine interminante sacerdote, jubenteque, ut febrim faceret cessare, in momento stitisse iterum naturalem vidit. Sed causam experimenti ut supernaturalem laudat vir eruditissimus; ita aqua frigida & oleo affusis rigorem procurare, & affrictu salis & olei augere febres HIPPOCRATES & CELSUS jubent. Præterquam autem quod experimenta, quæ successerint, nulla sint memoriæ prodita, merito placet F. SCHRADERI sententia: "ut dicam, quod sentio, non

Hist. morb. Vratisl. 1702. p. 20.

diss. de pulsu p. 69.

de Morb. quorund. Salubr. XXV.

non videtur methodus hæc amplecten-"
da, cum, practica regula sic jubente,"
nunquam nisi summa urgente necessi-"
tate remedium, quod simul obest &"
prodest, sit adhibendum: itemque F."
HOFFMANNI: Nolumus ejusmodi cu-" d Salubr. Febr. XXXVII.
rationis genus copiosius reprehendere,"
illud saltem dicimus, quod longe tutius"
sit, medicamentis validioribus, quæ mo-"
tum injungunt sanguini & humoribus,"
causas morborum chronicorum remo-"
vere."

XII.

Internarum inflammationes partium, præsertim, quæ multis magnisque arteriis venisque, quas copiosus perfluit sanguis, gaudent, cum febres acutas & mali sæpe moris, individuos habeant comites, non minimum in medendo facessunt negotii. Tametsi vero plura earundem & tot fere dentur genera, quot sunt partes internæ, copioso vasculorum textu refertæ, non tamen aliam novimus medendi rationem, quæ pleuritidi, aut hepatitidi, quam quæ phrenitidi aut anginæ, si pauca excipias specifica, suppetias affert. Nam, ut a MEDICIS VRATISLAVIENSIBUS præclare animadversum videmus, " bene est in hac rerum" 1699. p. 51.

R 2 incer-

„incertitudine, quod methodus medendi „una eademque in his morbis inflammatoriis observari tuto possit „ De phlebotomia acres dudum viguere lites, quoad pleuritidem inprimis, ut in ANNALIBVS PHYSICO - MEDICIS copiosius relatum legitur. Quam licet nunquam omittendam in internarum cura inflammationum non pauci existiment, multi tamen cum J. B. HELMONTIO, F. SYLVIO, R. BOYLE, D. LUDOVICI, pleuritides aliarumque partium inflammationes, posthabita omni venæ sectione, solis remediis sudoriferis ac dissolventibus tempestive exhibitis, sæpius cito & felicissime sustulerunt. LVCAS inprimis TOZZI, quem supra laudavimus, quid sentiat, hisce exponit: "Si experientiam „appellent, qua plurimos per phlebotomiam sanatos fateantur, testor ex „adverso ipse, multos me annos medicinam factitasse, & in xenodochio parthenopæo D. M. A. centenos & millenos „brevi curasse, sine ulla sanguinis evacuatione, licet phrenitide, pleuresi, angina, hepatitide, hæmoptoë, erysipelate, omnisque generis febribus fuerint „correpti, ut proinde jam in propatulo „sit, quamlibet posse ægrotationem cito

Vratisl. 1718. Maj. p. 1052.

Comm. Aph. Hipp. L. I. 5.

tuto

utoque curari, absque ulla ſanguinis"
ffuſione, & ſi illa aliquando locum ha-"
eat, in ſanis potius & athleticis pletho-"
icisque corporibus ad plenitudinem"
ninuendam, juxta Hippocratis mentem"
ommendanda, ne in immedicabiles"
grotationes periculum incurrant.„ San-
uinis vero miſſionem, ut alii in hiſce
udant morbis, alii vero ceu noxiam re-
ciunt, omittendamve cenſent; ita dia-
horetica tum fixa tum volatilia, & reſol-
entia ac diluentia cum regimine tepido
no ore omnes commendant medici pra-
matici. „Hæc ſi minus juvent, nihil"
rofecto proficit vel valebit lapis be-"
oar, qui malis inſtitorum artibus fere"
emper adulterinus eſt, nihil lapis hiſtri-"
us, vulgo pedra del porco, nihil os cor-"
is cervi, nihil tinctura corallorum cum"
piritu cordis cervi, nihil cornu mono-"
erotis, nihil margaritæ, nihil fragmenta"
apidum pretioſorum, aurumque ipſum"
z apparatus antidotorum omnis, ac ſe-
reta quorundam, non tam ſolido, quam"
plendido cardiacorum ac bezoardico-"
um nomine nota, nec magis vulgi"
uam magnatum opinione celebrata,"
uibus cor corroborari, & contra vim"
norborum muniri, & virus omne ex-"

de Inflammat. Cord. XIX. „pelli e corpore putant, quæ ſunt doctiſ-
„ſimi J. G. BERGERI verba.

XIII.

Moras juſto longiores in inflammationibus nectit ſanguis, qui in hæmorrhagiis ultra modum non raro profunditur. Ipſæ vero hæmorrhagiæ modo ex naribus, modo ex pectore, modo ex urinariis, aut uteri anique vaſis fieri toto ſolent die. Hæc ſi mediocritatem excedant, medelam omnino poſcunt. Quæ ſingulis communiter ſpondetur facilis atque expedita, eventu ſæpius minus reſpondente; hæmoptyſis exemplo, de qua hodieque vera deprehendimus iſta Poëtæ:

Cernis ut e molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad ſtygias certo tramite ducit aquas.

Sed & in hæmorrhagiæ cura uterinæ, & hæmorrhoidum ultra modum profuſorum, mictusque & vomitus cruenti remedia licet optime parata & recte uſurpata, languentium deſideria minus interdum ſatiare, quotidiana docet experientia. Ac licet ad retardatum quavis de cauſa menſtruum in fœminis, & hæmorrhoidalem in viris fluxum conſuetum copioſa admodum laudetur præſidiorum farrago, ea tamen omnia ſæpius fruſtra

ocantur in uſum, quam inexpertis cre-
ibile videtur. Neque enim pilularum
echerianarum aut Stahlianarum infalli-
ilis amplius eſt efficacia. Quod certe
pprobrium artis ſalutaris non eſt po-
remum, eoque durius genuinis artis fi-
is & doloris plenum ſenſu, quod in re
bvia & cauſis ſæpe manifeſtis debita,
gro ſimul & medico, quod cujusvis eſt,
nunere rite fungente, parum adeo laude
ignum præſtare, miſeroſque ægrotos
otis ſuis beare liceat. VALESCUS de
ARANTA, niſi idonea victus ratio in
nenſium provocatione adhibeatur, me-
icamenta parum aut nihil juvare docet.
ed & hac rite obſervata cautela, irritos
amen non ſemel omnes deprehendunt
onatus juxta cum ſuis ægrotis medici.
c ſæpe mali pertinaciam artem elude-
e, & optimorum remediorum vim ener-
are, idque potiſſimum fieri, quando
umbrici in inteſtinis oberrant, ac tum
ruſtra omnem impendi laborem, niſi
um uterinis & emmenagogis anthelmin-
ica ſocientur, C. HELWICHIUS autor eſt. Quam quidem obſervationem ad
plures alios eosque infinitos fere caſus
pplicari poſſe, eo minus dubitandum
rit, quod multas omnino remoras ſan-

Hiſt. morb. Vratisl. 1702. p. 73.

guinis effluxum e locis pati consvetis, quotidie cernamus; ut adeoque non pauci in ea versentur sententia, emmenagoga non dari medicamenta, aut quæ hæmorrhoides impeditas in ordinem redigere valeant. FRIDERICUS certe HOFFMANNUS, optandum equidem, talia ut innotescerent medicamenta, talisve methodus, quibus pro lubitu menses ciere, aut hæmorrhoides impeditas in ordinem redigere liceat, sed sibi aliisque hactenus talia esse ignota auxilia, aperte fatetur; addens, eandem jam tum HIPPOCRATIS fuisse querelam, & non postremum esse peritiæ in medico criterium, si mensium & hæmorrhoidum suppressionem itemque febres intermittentes rite & ex arte tractare sciat: nam & medicamentis magnificis hisce titulis superbientibus exhibitis sanguinem quidem in suo per vasa itinere exagitari, corpusque universum calore perfundi, vias autem sanguinem legere minus consvetas animadvertimus. De quo quisquis dubitat, a doctissimo J. N. PECHLINO haud difficulter convincetur, utpote quem non multum a nostris abesse conjecturis, hæc ejus verba docent: „At vero etiam accidit, ut „omnis molitio frustra sit, & postquam

Med. Conf. P. III. Dec. V. Cas. IX.

L. I. Obs. XL. XLI. p. 45. 93.

for-

fortissimis durissimisque remediis cer-"
tatum, quæ errantem revocent sangui-"
nem, nihil aliud, quam vana & dolorifi-"
ca tum in lumbis tum in capite fermen-"
tatio relinquatur, novisque & præcipi-"
tantibus auxiliis malaciam conciliari ipsa"
cogat necessitas. "

XIV.

Vitia hæc erant sanguinis, quorum medelam adeo difficilem, certe non æque, ut vulgo creditur, promptam atque planam esse, hactenus ostendimus. Haud vero levioribus involuta tricis lymphæ & glandularum esse vitia, in aprico est. SYLVIUS certe in praxi hinc inde fatetur, nondum se compertum habere, quo pacto glandularum morbis mederi conveniat. Enimvero, licet eodem autore præstantissimo medico, quem T. ZWINGERUS, & F. SCHRADERUS secuti esse videntur, vitia nunc lymphæ, & salivæ inprimis varia, ad gustum examinata in numerato habeamus, & hinc inde legamus recensita, non tamen nisi vulgaria, & incerta iisdem opposita præsidia, nec sine admiratione, animadvertes. Ingenue, ut solent, Clarissimi MEDICI VRATISLAVIENSES, quod res est, hisce profitentur verbis:

Fascic. dissert. d. Saliva Sana & Ægra d. Lympha & glandul. pathol. consid.

„Arduum profſus, eſt, varias humoris „ſeroſo-lymphatici depravationes accu„rate explicare, & niſi omnia nos fallunt, „vitia lymphæ tum in quantitate, niſi „quod defectus ejus in longa inedia, & „atrophia ſatis notus ſit, tum in qualita„te, nondum exacte a quoquam detecta „ſunt. --- Nec ſane apparet, qua via „exacte vitia laticis ſeroſo-lymphatici de„tegi queant. Certe laudabili ſtudio „quidam viri celeberrimi chymica hic in„ſtituerunt experimenta, ſed nondum „ea, quam cordati viri optant, hinc con„ſecuta eſt utilitas: & ſi quæ inde ad me„dicos rediit, nulla eſt alia, quam ut „ςοχασμὸς in eligendis remediis aliquan-
l. c. 1701. p. 250. „do ſit certior. Exemplum iterum γλῶσσα ſuppeditat ἐπικρωμένη, ſeu amareſcens linguæ apex, in cujus cauſa indaganda ut varias in partes abiere medici, ſic remediis ſedulo adhibitis affectus multo melior, & rarius recurrens redditus, ſed tamen non usque adeo compreſſus & caſtigatus eſt, ut non ſæpius novos tumul-
l. c. tus cieret, ſicut penes A. DEODATUM latius videre eſt. Et ſapori quidem varia ratione corrupto varia ratione mederi ſtudent, qui variis imbuti principiis ſaporem ſalſum, auſterum, dulcem ab ejus-

jusmodi particulis abundantibus, & re-
quis præpollentibus derivare amant,
ventu tali, qualem experientia mon-
trat, modo nimirum salutari, modo mi-
us tali. FRIDERICUS vero HOFFMAN- Med.
us & saporem corruptum a glandula- Consult.
um relaxatione salivalium derivat, ei- P.II. Dec.
emque balsamo vitæ intus pariter atque IV, I. III.
xterne adhibito omnium optime, ut V. VI.
utat, mederi studet, id quod ulteriori
xperientiæ commendandum venit. De
alivatione nimia morbosa & symptoma-
ica, unde unde concitata, notum est
enuinis artis filiis, quantum negotii in
nedendo, præsertim quando per diu-
urnam consuetudinem familiaris reddi-
a est, facessat in infantili pariter & adul-
a ætate, non obstante, id quod a G. PATI- L. II. Ep.
O confidenter nimis adsertum novi- 200.
nus, salivationem nimiam per laxantia
nfallibiliter refrænari. Hæc vero ut ne-
no temere in dubium vocaverit, ita spi-
ituum, quos vocant, animalium, seu ge-
eris nervosi morbos in eundem nume-
ari a Cl. BOHNIO censum, ad ejus men- L. d. Off.
em ut lateat nos si non omnimoda, cer- Med. C.
e maximam partem medela spirituum, XIII.
nale se habentium, mirabuntur fortasse
non pauci, sed mirari desinent, post-
quam

quam exacto argumentorum pondere quibus hanc firmare thesin allaborat vir doctissimus, non adeo paradoxum comperient ejusdem, quod repetita vice inculcat, assertum: arti nempe nostræ ejusmodi deficere remedia, quæ spirituum animalium inopiæ suppetias adæquatas & immediatas ferunt, seu in eorum substantiam convertantur, horumque motus perversos emendent, ac ad impetus æquabiles simulque vegetiores reducant; idem vero elegantissimis conceptum verbis experientissimus innuisse
L. I. obs. XXIV. videtur TULPIUS, quando enarratis variis de hydrocephalo dissecto eruditorum sententiis, sed, pergit, exercitatiores confugiebant ad ingenuum illud: Quantum est, quod nescimus? velut namque in aliis, sic certe credibile est, potissimum nos cœcutire in genuino cerebri regimine: cujus opera multo fortassis sunt diviniora, quam quisquam hactenus suo comprehendit captu.

XV.

Inter generis vitia nervosi principem omnino locum Dolores occupant, utpote quibus, ut est apud M. T. CICERONEM, nihil magis in nobis contra naturam est, quorum causa miseri & afflicti,

prin-

rincipes æque ac infimæ ſortis homines, nedicis fiunt ſupplices, nihilque prius tque enixius ab iis flagitare ſolent, quam orum lenimen & allevamentum, omibusque aliis, utut ſæpe periculoſioriius ſymptomatibus inſuper habitis, illoum remedium ſerio atque enixe deſideant. Neque vero medentes, qui gratioſi ulgo audiunt, usque adeo omnem exueunt hnmanitatem, ut non precibus atque uerelis languentium locum dare, eorumue miſeriis ſubvenire, ſi poſſint, velint. ed interdum docta plus valet arte maum. Notavimus ſupra ex Cl. PECHLINI propria obſervatione, cephalalgiæ, ſeu Iemicraniæ potius periodicæ nullis admodum remediis obnoxiæ unum alteumque exemplum. Atque ut dorſi doores, non ſemper a calculo oriundi, pertinaciſſimi non raro occurrunt, ita ſolent ræſertim dentium & podagrici dolores im remediorum mire eludere, uti experns teſtatur F. SCHRADERUS. Ab eoue, quem modo laudavimus, I. N. PECHINO docemur, id quod ipſum experiena edocuit, ne uni quidem odontalgiæ erum, abſolutum & minime fallax ſpeficum a medicis productum eſſe, & tam agnifice conceptas ſpes expectantium vota

Diſſ. de dolor. L. I. Obſ. XIII.

vota eludere. Quo quidem loco cum MEDICIS VRATISLAVIENSIBUS „identidem optamus, ut ſigna latenti- „um anevriſmatum, qui ex eorundem ſu- „ſpicione dolorum, ſæpe rebellium, cauſæ „exiſtunt, detegerentur, & cum judice l. c. 1701. p. 273. „PARÆO incurabilia ſint, ratio innote- „ſceret, qua ægri in tantis moleſtiis ex „parte ſublevari poſſent, cujus cætero- quin deſiderati ſemel atque iterum ſupra a nobis mentionem factam eſſe probe re- cordamur. Huc pariter pertinent poly- pi, calculi, vermes, & abſceſſus in cerebro latentes, qui medentis oculorum aciem effugiunt, interim ſub conſveta alicujus morbi facie ſe ſiſtunt, cujus ineluctabile fatum non niſi poſt fata per inquiſitionem anatomicam quærentibus pateſcere po- Vol. I. p. 48. teſt, uti MEDICI BEROLINENSES opportune monent. Equidem non us- que adeo rerum omnium ignari ſumus, ut neſciamus, opium & varia ex eo parata medicamenta adverſus dolorum furias toto die & adhiberi & commendari a me- dicis pragmaticis. Sed vero nec illud me fugit, hoc remedii genus, neque ab omni- bus in tanta naturarum & morborum varietate, prout conveniebat, ſed pro va- ria cujuslibet opinione varie adhiberi: id

quod

quod hoc quidem magis dolendum, quo certius eſt, nullum ſæpe majus ab alio remedio auxilium, neque periculum in ullo remedio majus eſſe, ut pro more eleganter advertit J. G. BERGERUS. Ut vero opio multi multum, ita alii parum admodum in doloribus leniendis tribuunt, plerique vero rectum ejus uſum laudant, abuſus autem quosvis abominantur. Hos inter agmen ducit vir ampliſſimis muneribus, & exquiſita artis doctrina inſignis, G. E. STAHLIUS. Is enim, poſtquam varios & deteſtandos circa abuſum opii notaſſet errores, in tanta, pergit, rerum perplexarum implicatione tutiſſimum con-" ſilium fuerit optimum abſtinere, &" hoc idem facillimum. Proximum, cir-" cumſpectiſſime in his rebus verſari: Sed" puto difficillimum, propter præſuppo-" nendum habitum prudenter circumſpi-" ciendi. Huic tamen difficultati ſubſi-" dium non contemnendum erit, non lo-" cum dare opiatis, niſi ubi vere, iterum" dico & iterum, vere urgent ſymptomata." Tandemque hoc concludit voto: Veniet" forte tempus ad poſteritatem omnibus" votis merito præcipiendum, quo ejus" generis facinora ſeveriore, quam nudarum dehortationum, energia compe-" ſcan-

d. vi opii raref. p. 5.

d. impoſtura opii.

„ſcantur. Quod idem deſideratum in
1717. No- „ANNALIBUS PHTSICO-MEDICIS
vemb. p. „latius expoſitum videre eſt. „
291.

XVI.

Alterum cerebri & generis vitium nervoſi non minus horrendum convulſiones conſtituunt, & contractiones modo omnium partium, modo harum, illarum, ſpaſmodicæ, quarum illæ uno epilepſiæ & morbi ſontici, ſacrive appellatione venire medicis ſolent. His autem convulſionibus varia & infinita vulgo opponuntur præſidiorum genera, ſed ſæpius fruſtra; nam & ipſa multitudo & copia medicamentorum antiepilepticorum & antiſpaſmodicorum argumentum non poſtremum incertitudinis eorum ſuppeditat, fidemque facit, nondum ejusmodi auxilium inventum eſſe, quod in contumaci & idiopathica epilepſia, aut convulſionibus diu radicatis aliis infallibili ſe commendet efficacia. Viri certe eruditi alios inter ſæpius, ſed nunquam ſine horrore recordamur, diris talismodi motibus convulſivis in facie, & maxillis, cum dentium ſtridore perpetuo afflicti diu, tandemque confecti, quos remedia varia & ſelecta ſumma exhibita induſtria, nec minori cura & ſollicitudine

tiſur-

ſurpata, & diu ſatis continuata nihil
quidem mitigare, nedum fugare va-
uerunt. Simile fortaſſis fatum in hujus
ura morbi MEDICI experti ſunt VRA- l. c. 1699.
'ISLAVIENSES, unde hæ eorundem p. 42.
uerelæ fluere videntur: „Therapia hu-
us affectus maxime ardua, ac, qui vel"
arum hic promittere audent, vix ac"
e vix fidem adimplent. Felices, qui"
nethodo præſervatoria a ſontico hoc"
nalo induſtria periti medici præmu-"
iiuntur, ablatis epilepſiæ cauſis. Iam"
ræſente epilepſia omnis cauſarum va-"
ietas iterum iterumque diu anxie ſub"
xamen vocanda, ac ne vera quidem"
nventa cauſa præcipitanter medela in"
ialo inveterato promittenda eſt, nam"
on ceſſat etiam remota cauſa malum,"
iſi motuum convulſivorum tollatur"
ſuetudo, quod forte omnium eſt dif-"
cillimum. - - Nemo ex nobis cum"
Ienecrate, de quo Athenæus L. VII. Di-"
noſoph. multis ſtipatus epilepticis, ha-"
itu deorum veſtitus in publicum pro-"
ire poterit.„ Et de epilepſia ſigillatim l. c. p. 37.
ıfantum idiopathica ſequentia tradunt
ɔ omni jactantia aliena: In idiopathi-"
ı, quo te vertas, vix apparet. - - Hic,"
ıi arcana ſua jactant, qui plenis buc-"

„cis in ſpecificorum ſuorum laudem de-„clamant, oſtendant, præſtentque ſe vi-„ros! Quanta potuit induſtria & cir-„cumſpectione, collegium noſtrum adhi-„buit nobiliora remedia, nec tamen „parentum lacrymas, ſæpe haud parcas, ut „unicis ſuis parcant, placare cupientes, „abſtergere potuit.„ Enimvero cum arcanorum & ſpecificorum incidat men-tio, quorum non contemnendum nu-
1721. Maj. p. 562. 1725. Marr. p. 324. Diff. Ep. III. de Nat. Med p. 149.
merum in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS, nec ſine tali, qualem pleraque merentur, epicriſi paſſim offendimus, non prætermittenda videntur, quæ a Cl. Viro M. B. VALENTINI memoriæ ſunt prodita, præſertim cum plura in iisdem hodieque deſiderari, in aprico ſit, ita autem ille: " Novi empiricum, „epilepſias habituales unico eoque dra-„ſtico remedio funditus extirpantem, „ab omnibus alioqui pro incurabilibus „reputatas, - - Vis autem & activitas „remedii in eo latet, quod ſpirituum „naturam in morbis illis ſuccumbentem „elevet: qui capit, capiat.„ Ac ſolent inprimis, qui chemicis delectantur medicamentis, ejusdem ope artis elaborata magnis evehere encomiis ad morborum graviſſimorum & caduci, de quo nobis ſer-

ſermo, medelam, ut alios inter medicum atque chemicum haud vulgaris doctrinæ, J. A. STISSERUM, cauſam difficilis ejuſmodi morborum curationis chemicorum contemtui adſcribere videmus. Is enim, quod horum elogiis deſtinavit, ita auſpicatur caput: Epilepticorum quamvis ampliſſimus penes practicos reperiatur numerus, nihilominus tamen epilepſia ſatis frequens exiſtit, & medicorum ſanationes illudere haud raro conſvevit, niſi herculeo huic morbo generoſis chemico artificio elaboratis & non ſine labore paratis obviam eatur remediis." Quæ qualia ſint ad mentem ipſius, e ſequentibus haud obſcure diluceſcit, ubi præter ſalia volatilia urinoſa, ex partibus animantium duris vi ignis expulſa, ex antimonio, mercurio, &, cui palmam præ reliquis tribuit, vitriolo, itemque fuligine, non inelegantia parare docet remedia vir erudiſſimus. His vero & ſimilibus arte ſpagyrica confectis medicamentis ut nihil detractum cupiamus, &, quæ de iisdem prædicantur, ad experientiæ ſuffragia impoſterum examinanda judicemus; ita remedicis chemicis nec nimium tribuere nobis cum J. BOHNIO erit liberum, poſtquam eodem autore doctiſſimo viro im-

Act. Laborat. Chem. Spec. III. C. VIII.

d. medic. Gal. & Chym. dub. V.

immodica ejusmodi encomia inflare ſæ-
„pius videntur hominum imperitorum
„ſpes, mox tamen deſtituunt, & propriis,
„aliorumque experimentis edocemur,
„non evenire ſemper ac protinus ab illis,
Pathol. Cerebri p. 436. „quod ſperamus, vovemus, fingimus. BARTHOLOMÆUS ipſe DE MOOR, Medicus in Belgio clariſſimus, fuſe pertractata epilepſiæ & convulſionum curatione methodica, ubi ad ſpecificorum mentionem ſermonem delapſum videt, gradum quaſi retracturus, &, quæ dicere cœperat, retractaturus, hæc, inquit, eſt procul du-
„bio pars curationis, quæ non tantum in
„hoc, ſed plurimis aliis morbis maxime
„deſideratur. Non deſunt equidem de-
„ſcriptiones plantarum, animalium, mi-
„neralium, non deſunt deſcriptiones re-
„mediorum ad pompam concinnatorum,
„non deſunt quoque encomia, quibus
„hæc vel illa ſimplicia aut compoſita ce-
„lebrantur; Sed ſi veritatem libere pro-
„fiteri liceat, pauca promiſſis reſpondent.
Equidem plura inter alia magnis ornata encomiis ſingulare quoddam ſpecificum tum ad febres, tum convulſiones inprimis a J. C. DIPPELIO laudatum, abeoque haud obſcure deſcriptum eſt. Oleum nempe fœtidum ex parte quavis animalis,

Vitæ animal. morb. & med. C. Z.

quam

quam ad mentem plerorumque ſanguis
humanus vel cervinus, ex aliorum vero
ſententia alia conſtituunt, per retortam
deſtillare, & per frequentem, decimam
minimum & quintam rectificationem
ab empyrevmate liberare docet, ab hujus
vero olei, ut vocat, animalis, ad guttas
triginta aut quadraginta uſu mirandos
effectus in convulſionibus inprimis epi-
epticis ſpondet. Nec de nihilo prorſus
eſſe promiſſa, J. JUNGKERI & J. E. CA-
MERARII teſtatur induſtria, utpote qui
medicamentum hoc ſollicite elaboratum,
& magna circumſpectione in affectibus
convulſivis propinatum ſpem in nonnul-
is minime fefelliſſe experti ſunt. Sed nec
omnium expectationi epilepticorum hoc
pſo remedio factum iri ſatis, exempla do-
cebunt, quibus iidem clariſſimi viri medi-
amentum hoc non minori ſollicitudine,
ed fruſtra propinarent, quemadmodum
mnem rei hiſtoriam cum ſingulis cir-
umſtantiis, adjectis in fine deſideratis,
ulchre expoſitam in ANNALIBUS 1718. Jan.
HYSICO-MEDICIS, legere licet. p. 561.

XVII.

Tonum partium nimis auctum atque
ntenſum motus arguunt convulſivi, in
ujus remiſſione ſeu atonia apoplexiam,

& quæ hanc plerumque excipit, paralysin, patet radicatam esse, de quibus nunc porro, ordine jubente, paucis acturi, opportune doctissimi recordamur Medici Londinensis, quem THOMAM fuisse SYDENHAMIUM, Hippocratici ingenii æmulum, suspicatur, & ingentem viri candorem laudat, qui hæc refert, J. G. BERGERUS. Is enim a collega suo G. HARRIS interrogatus, quamobrem de morbis capitis nihil unquam in lucem emisisset, cum de morbis tot aliis tam feliciter tantoque cum applausu scripserit, respondisse fertur, illud propterea factum fuisse, quoniam illos curare morbos haud potuerit, id quod inprimis de apoplexia, gravissimo valere morbo, nemo illorum diffitebitur, qui ægrotis ejusmodi optima & selectissima propinant remedia, sed effectum salutarem non nisi raro, nec sine recidivæ brevi adfuturæ metu, animadvertunt. Clarissimi inter multos MEDICI VRATISLAVIENSES, qui nihil hic dissimulare solent, cum methodum vulgatam minus esse sufficientem perspicerent, ad aliam eamque tutiorem, mentem atque cogitationem applicarunt, sed quo successu, hæc docent verba, digna, quæ hic repetantur omnia: „Cum vero hodie usitata apoplexiæ cu-

de Apoplex II.

l. c. 1702. p. 36.

ran-

randæ ratio adeo parum ſuccedat, ſæpius“
in mentem venit priſca methodicorum“
methodus, quæ modernæ e diametro“
oppoſita eſt. Nam loco frictionum, vel-“
licationum, crinium evulſionum, impe-“
rat hæc articulorum blandi tactus conti-“
nentiam, id eſt, ſvavem contrectatio-“
nem. Nos hodie ſpirituoſiſſimis aquis“
ac odoratis nervinis, verticem, tempora,“
vultum, ſpinam dorſi imbuimus: me-“
thodici olim medias capitis partes & col-“
lum limpida lana tegebant, & fomenta“
olei dulcis & calidi adhibebant, & ex-“
preſſis ex aqua calida ſpongiis vultum“
fovebant. Nos hodie ſpirituoſa ac vo-“
latilia apoplecticis exhibemus; illi ſim-“
plicem aquam, ſed calidam, aut mulſam“
infundebant. Nos acribus clyſteribus“
alvum irritamus; illi clyſtere ſimplici ac“
blando inteſtina craſſa eluebant. -- Ver-“
bo, nobis tonica & ſtrictiora, illis rela-“
xantia, ac ſtricturam nimiam ſolventia“
curæ prora & puppis erant. -- De hac“
priſca apoplexiæ medendi ratione judi-“
cium ferri accuratum nequit, antequam“
eam in uſum aliquoties vocaveris; in“
uſum autem ut vocet quisquam, non“
temere fuerim autor, quomodocunque“
cadat res, niſi animum plane adverſus“

„calumnias vulpinas, fraudes ac mille
l. c. p. 98. „technas obfirmaverit. Et quod paralyſin, ſpeciatim faucium, attinet, poſt recitatum triſte morbi exemplum, omni adhibita ſollicitudine curati, ſed minus ſanati, iidem doctiſſimi viri, nec apparet, inquiunt, quomodo huic morbo occurri debeat, inficiandum ut adeoque non ſit, hodieque cum
II. Aph. XLII. veritate convenire oraculum HIPPOCRATIS; Apoplexiam fortem ſolvere, impoſſibile eſt, levem etiam non facile. Ac quæ a venenis, ut & a polypo producta fuerit, nullam hactenus medelam re-
Aph. Pract. 1035. cepiſſe, non modo cum H. BOERHAVIO, ſed & idem effatum ad plures alias latentesque cauſas extendi poſſe, fateamur licet. Quæ vero ſub ſpecioſis titulis circumferuntur medicamenta apoplectica, & variæ inprimis aquæ deſtillatæ, quas vitæ vocant, de his merito audiendum eſt
Conſ. XXXVII. J. CRATONIS judicium: „De aquis vitæ „mortiferis nihil dico. Magna eſt varie„tas, ſumma in uſu vanitas, atque non mi„nus quam ebrietas, quæ hujus mali ma„ter eſt, cum eodem modo cerebrum affi-
Exerc. de Apopl. p. 256. ciant, nocent; itemque J. J. WEPFERI, qui præ cæteris egregie de Apoplexia expoſuit: „Quod ſpiritus vini præſtat, idem „& juniperinus, ceraſorum nigrorum, lilio-

liorum convallium, & similes valent, id-"
que eo potentius, si infusis aromaticis"
imbuuntur. Hi si frequenter assumun-"
tur, non solum cerebrum ad apoplexiam"
proclive reddunt, sed & nimium ingur-"
gitati citra aliam causam soli ipsam sæpi-"
us effecerunt.,, De blæsitate, vitio infantibus pariter & adultis satis familiari, non contemnenda sunt R. LENTILII monita, utpote qui arduum in tali casu consulere, existimat, cum libri practici de hujus vitii sermonis medela nihil omnino tradant. Sed quam subjungit ab experientia petitam animadversionem, taliter hæsitantes lumbricis haud raro affectos esse, attenti rerum observatores nobiscum veram experientur, dignamque ulteriore attentione judicabunt.

l. c. p. 1317.

XVIII.

Reliquos inter cerebri & nervosi morbos generis deliria multum inprimis negotii, nec tædii minus medentibus facessere solent. De Melancholia id manifestum est, & veritati omnino congruum effatum N. TULPII: ,,Velut non cujusvis est, melancholicis mederi, sic"
difficulter quoque eradicantur clancu-"
lum ex ipsorum animis imagines ab atra"
bile falso impressæ. Idemque de Mania"

L. I. Obs. XVIII.

multo valet magis, ut ſolet, aucto morbi gradu, iſte in hunc non raro transire. Tametſi enim D. SCHULZE Berolini tantam nominis famam maniacorum curatione acquiſiverit, autoritate ut regia omnes maniaci ipſius curæ commendati
1723. Jan. p. 123. ſint, quemadmodum in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS relatum, ſed ſimul id notatum offendimus, juſtam eſſe ſuſpicionem elogia ejusmodi & teſtimonia non tam a veris rerum æſtimatoribus, quam ab ipſo autore gloriæ & famæ, opumque cupido profecta eſſe;
1723. Sept. p. 339. tametſi quoque M. B. VALENTINI eruditiſſimum noverit Auliatrum, draſtico pharmaco maniam curantem, vix paucis interpoſitis ſpecificis; dolendum tamen, artificem cum ſuis arcanis non pluribus bono innotuiſſe publico. Nobis de ejus-
l. c. modi ſpecificis ſententia placet B. ALBINI, Medici quondam Lugdunenſis in Batavis clariſſimi, qui expoſita medendi ratione in mania hactenus recepta atque uſitata, ſequentem porro in modum ſcriptum reliquit: „ Alia, quæ deſuper „tanquam ſpecifica commendari ſolent, „cerebra nempe canum, arietum, ſangninem aſini poſt aures inciſi collectum, „ſicco prætereo pede; a celeberrimis enim

enim viris, qui hæc commendant, diſ-“
ſentire nolo, nec hactenus tamen con-“
ſentire poſſum. Dabit dies meliora &“
certiora.„ Sed aliud ſupereſt, idemque
miſerrimum, juxta CELSUM, morbi Diff. de
genus, in quo æger a cane vel alio ani- Mania
mali rabido demorſus ſimul & ſiti & aquæ XVIII.
cruciatur metu. Ex quo ſæviſſimo de-
lirio, cum ad ἀκμὴν pervenerit, nemi-
nem ferme ſanatum annotarunt ſcripto-
res ex antiquitate ſuperſtites, GALE-
NUS, DIOSCORIDES, CELSUS, SCRI-
BONIUS LARGUS, ut penes MARTI- Ex. d.
NUM eſt LISTERUM. Ac liceta CEL- Hydro-
SO laudatum præſidium, improviſam phob. p.
nempe ægroti in fluvium vel piſcinam 42.
immerſionem, plures deinde imitati fue-
rint, locum tamen hunc CELSI non tam
immerſionem, quam potum coactum &
violentum ſuadentis male intellectum
pleroſque ſeduxiſſe, J. M. HESSUS oſten- Enodat.
dit, & ſucceſſum non æque optatum ex- quæſt.
perti, uno nunc ore fatentur omnes, ubi med. XI.
rabies & aquæ metus ad complementum
acceſſerit morbi, hæc atque alia præſi-
diorum genera irrita eſſe omnia. Quan-
quam, ut B. ALBINUS advertit, cum“ l. c.
PARÆO ſuaderem, ut magis aliis fide-“
rent remediis, cum fieri quidem poſſit,“
ut

„ut fermentum id ejiciatur, ſed fortaſſis „id fieri non poſſit, nam quod per forte „affirmatur, id per forte etiam negatur, „plurimosque mari immerſos factos eſ- „ſe hydrophobicos, Ferandum Pouzet „Cardinalem recenſere, ait. Ac multum fallimur, aut radix mungos, cujus infallibilem adverſus canis rabidi morſum virtutem in brutis æque ac hominibus multis ſucceſſibus expertus eſt E. KAEMPFERUS, alcali item vegetabile Sanatodos dictum, & cantharidum infuſum, ac nonnulla alia a SYLVIO BOCCONE paſſim hunc in finem commendata, aut oleum animale DIPPELII, ut ſupra ad epilepſiam, ita ad hydrophobiam quoque in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS non ſine plurium & certiorum deſiderio ſucceſſuum deprædicatur, eundem in cenſum collocanda erunt, & in principio a morſu mox exhibita aliquem aut laude dignum aut nullum præſtabunt effectum. Nam, ut apposite HERMANNUS loquitur BOERHAVE, a nata medicina huc usque omnes fere artis „principes deplorant, demorſorum prophylaxin vix ullam certam haberi, & „jam aquam paventium ſanatorum exemplum dari certa fide nullum. Maxime

[Margin notes: l. c. — Obſ. Curiol. — 1722. Mart. p. 254. — Aph. Pr. 1139.]

me vero dolendum, post secula elapsa"
irritum successum hactenus applicato-"
rum deplorantia non esse tentatas di-"
versas a primis methodos." Et porro,
quæ hoc quidem loco desideret, hisce ex-
ponit verbis: Nec desperandum tamen, Aph.
ob exempla jam in aliis venenis con-" 1146.
stantia, de inveniendo hujus singula-" 1147.
ris veneni antidoto singulari. Hacte-"
nus vero nullius ea comperta fides, cui"
credi queat salus miserrime periclitan-"
tis hominis, cum nullum sit notatum,"
cujus experimenta certa, sed vel specu-"
lationi ortum debeat, vel descriptis ex"
aliis confisum sit. Nec Aeschrionis"
apud Galenum & Oribasium arcano de"
cancris combustis, nec Scribonii Largi"
famigerata opiata ad rabiem Siculorum,"
nec Peregrini consilio de pelle Hyenæ,"
nec Aëtii, Ruffi, Posidonii, cinere"
cancrorum cum theriaca, nec jactata"
Palmario medela, vel nimis laudato"
Mayerne, Grevv, & venatoribus stan-"
no cum mithridatio, nec in somniis sa-"
cris revelata radix cynorrhodonis, aliis-"
ve in cœlum elato lichene cinereo ter-"
restri, pimpinella, jecore rabiosi canis"
exusto, & similibus exceptis. Quod si
vero ipsa jam rabies ægrotum invase-
rit,

rit, atque ejus jam ſit furoris, ut ſpes vel exigua vel nulla reſtitutionis ſuperſit, tum equidem ad mentem nonnullorum, quos inter eſt J. GERDESIUS, ea omittenda non ſunt, quæ vel minimam ſpem atque ſpeciem ægri reſtituendi præ ſe ferunt: hinc quoniam anceps remedium melius eſt, quam nullum, ſanguinis transfuſio inſtituenda erit, quo eodem loco integrum proceſſum & cautelas ſatis ſollicite expoſitas videre eſt. At enim vero dubium hoc remedii genus, de quo inter chirurgica deſiderata commodior dicendi locus erit, magnis haud ita pridem in ſcholis medicorum celebratum encomiis, cur noſtris temporibus fere in deſuetudinem venerit, non aliam opinamur cauſam, quam infauſtum, qui medicos ab ulteriore deterruit tentamine, rei geſtæ ſucceſſum; illuſtre, fatemur, eſt exemplum, quod J. DIONYSII ſuggerit epiſtola de inveterata dementia per ſanguinis transfuſionem Lutetiæ Pariſiorum ſanata, ſed longe foret luculentius, ſi ultra duos ſanatio menſes perduraſſet. Nobis de hoc invento novo, cum hoc quidem loco prolixius digredi non liceat, ſuffecerit illuſtris Dani ſententia Medici, OLAI inquam BORRICHII, qui data occa-

Diſſ. d. Hydroph XXX.

Act. Phil. Angl. 1668. p. 504.

p. 588.

occaſione, fuſe enarratis commodis ſimul atque incommodis, cautelis item haud parvi momenti ſuggeſtis, ad ſummum, pergit, laudamus illuſtria molimina, ſed" experimentorum adhuc continuatio-" nes, variationesque deſideramus ten-" tamentorum, antequam fidem noſtram" obligent in ſolidum; id interea neu-" tiquam diſſimulantes, commendandum" eſſe rerum magnarum conatum, licet" non ſemper reſpondeat eventus.„

Diſſ. Acad. II, p. 88.

XIX.

Viſis nunc iis, quæ circa potiores cerebri affectus, cum de omnibus agere conſtitutum non ſit, hodieque deſiderantur, non eſt, quod in vitiis oculorum, (quorum medelam elegantiorem & feliciorem per ſelecta & exquiſita magis remedia, quam, quæ hactenus innotuere, ſollicite JUSTUM deſiderare SCHRADERUM, Medicum in Belgio clariſſimum, ex humaniſſimo viri recordamur diſcurſu) aut aurium, faucium & linguæ, dentiumque defectibus recenſendis prolixam impendamus operam. In hiſce enim multa admodum eſſe, quæ deſiderari queant, non niſi illos fugit, qui ad eorundem medelam raro aut nunquam accedunt. Pectoris inter vitia tuſſis quidem

eſt

eſt vulgatiſſima, quæ parvi plerumq; penditur, utpote remediis domeſticis plerumque obnoxia. Hanc vero non eadem ſemper tolli facilitate, illi norunt, qui ad tuſſim inveteratam & diuturnam quamcunq;, ac convulſivam inprimis infantum paſſim non raro epidemiam, ſelecta magno ſtudio nobiſcum parvulis propinarunt medicamenta, nec tamen niſi raro effectu fauſto beati. Sic & raucedo, familiare & leve, ut vulgo creditur, multum non raro in curando faceſſit negotii, veritatem oraculi Hippocratici multi ut experiantur cum Vratislavienſibus hodieque Medici, quorum pauci felicem, quem illi a venæ ſectione viderunt effectum, penes paucos obſervant ægrotos. Solet vero utrumque ſymptoma, raucedo nimirum & tuſſis, prodromus partim, partim accidens morbi exiſtere graviſſimi, qui phthiſis audit, & in exulceratione pulmonum cum febre hectica communiſſime fundatur. De hujus curatione mali multi licet multa glorientur, una tamen eſt prudentiorum ſententia medicorum, nullum id medelam admittere. AUGUSTINUS equidem THONERUS, Medicus longo rerum uſu & peritia artis inſignis, ſe phthiſin curaſſe gloriatur intra menſis ſpatium in filiola

[Margin: II. Aph. XL. — 1699. p. 46. 1702. p. 100. — Obſ. p. 132.]

liola novem annorum, quæ non ſolum cruentam & purulentam materiam, ſed ſæpius etiam portiunculas de ipſa pulmonum ſubſtantia rejecit, adhibitis tantum vulgaribus thoracicis remediis. Sed ut ab aliis, & D. SENNERTO inprimis recte monitum eſt, decipiuntur plerique, qui jactant, ulceris pulmonum ſanationem, cum pituita craſſa putreſcens puri ſimilis ſit, & ſine ulcere pulmonis in pectore ſubſiſtens, quandoque febres & maciem inducat, præcipue cum tuſſis & puris excretio poſſit eſſe ſine ulcere pulmonum, & pulmonis exulceratio poſſit eſſe ſine tuſſi, quorum illud a C. V. SCHNEIDERO, & T. BARTHOLINO, hoc vero a T. KERCKRINGIO memoriæ proditum eſt. Ac licet aquam calcis vivæ cum herbis pectoralibus decoctam una cum Medicis quibusdam Britannis magni quondam NICOLAUS fecerit HANNEKENIUS, Poliater Lubecenſis celeberrimus, nihil tamen in iſta præ vulgaribus pectoralibus decoctis ſingulare H. MEIBOMIUS deprehendit, quemadmodum in epiſtolis ad familiares conſcriptis aperte confitetur. Inſtar omnium inſignis eſt caſuiſta, BALTHASAR TIMÆUS a GÜLDENKLEE, qui uxoris occaſione, tali ferme confectæ

L. IV. d. Catarrh. Cent. IV. hiſt. 17. obſ. anat. 72.

L. II. Ep. 4.

morbo, acerbam hanc fundit querelam:
„Ego cum nihil intermiserim, quod ad
„morbi curationem quovis modo facere
„poterat, nec in tota praxi mea, quam tri-
„ginta septem annis exerceo, quempiam
„ulcere pulmonum affectum integræ sa-
„nitati restitutum viderim, tandem in
„eam deveni sententiam, phthisin proprie
„sic dictam, quæ cum pulmonis exulcera-
„tione conjungitur, humana arte perfecte
Prax. „sanari non posse.„ Enimvero G. BAGLI-
Med. L. VIUS utrique, & morbo, & desiderato
II. 11. huic medelam paraturus, phthisis, inquit,
ab ulcere pulmonum, vulgo pro incura-
„bili derelinquitur, quia, ut ajunt, tale ul-
„cus internum est, & occultum, nec, ut
„alia externa ulcera mundificari & a pure
„abstergi potest; Sed quare non id agant
medici, ut investigent ulceris situm, eo-
que detecto sectionem inter costas insti-
tuant, ut medicamenta introduci possent,
rationem sane non agnosco. Et hac qui-
dem ratione ulcus pulmonum perfectum
705. p. curatum esse, ex ACTIS PHILOSO-
331. PHICIS ANGLICANIS in ACTIS ERU-
DITORUM LIPSIENSIBUS legere est.
Sed qui noverit, id quod J. H. SLEVOG-
TIUS, rarioris doctrinæ nec vulgaris
experientiæ medicus, præclare ostendit,
phthi-

phthisin non semper in ulcere pulmonum fundatam esse, eum, necesse est, agnita hujus quoque præsidii insufficientia, si quidem cordatus, ut par est, medicus existat, ubi ad lectum phthisicorum venerit, pudeat suæ impudentiæ, & pigeat artis adeo inopis auxilii, tædeatque, re ipsa comprobari, phthisin medicorum esse opprobrium, quæ verba laudati sunt viri, quibus schediasmati de phthisi medicorum opprobrio colophonem imponit. Ut vero pulmonaris, sic & aliarum tabes partium ad lethum plerumque recta deducit via. Quemadmodum tabis dorsalis tale inter alia penes N. TULPIUM legimus prognosticon: „pervicaci sacræ hujus" fistulæ tabi auxilia medica esse non so-" lum infirma, sed ausim dicere nulla.„

P. P. ad Diss. R. W. Crauf d. Phthis. Jen. 1700.

L. III. Obs. XXIV.

XX.

Sunt vero & alia in pectore & corde inprimis vitia abscondita, ut calculi, vermes, polypi & similia, tum varias alias molestias, tum frequentes lipothymias, palpitationes & angustias præcordiorum, cum spiritu difficili inferentia, quarum causam afflictionum si cor in se ipso alat, raro perfectam curationem admittit; excrescentiæ vero ejus, ruptæque & exesæ valvulæ, & vitia similia ut cognosci certo

nequeunt, ſic etiam artis operam viresque eludunt, quemadmodum eleganter docet, quem ſæpius laudavimus, J. G. BERGERUS, cujus & hæc ſunt, quæ ſequuntur: „nec vero concretiones illius „polypoſæ, antequam perfectæ fuerint, „cognoſcuntur, & ſi cognitæ ſint, ſero „venit & fruſtra eſt omnis medicina.„ Ac licet peculiari nec ſuperficiario labore, polypum cordis & noſſe & curare docuerit vir, multis illuſtris meritis, ad ultimum tamen lubens, quid ſentiat, hiſce profitetur verbis: "Quod ſi vero adhibitis adhibendis actisq; omnibus æger ad priſtinam „valetudinem non redeat, ſed polypus „in corde longiore tempore obduruerit, „deſperandum eſt de illius reſtitutione, „quia ignota ſunt remedia, quæ corpus „tale compactum perfecte diſſolvere „poſſint.„ Accedit & illud, quod difficilem non minus curam, quam diagnoſin & prognoſin ad mentem T. WILLISII difficiliorem & magis obſcuram reddit, quod non niſi conjectura aſſequamur, adeſſe polypum, & eadem ſymptomata ab alia cauſa produci poſſint: ſi ergo omni adhibita induſtria illa tandem ceſſent, incertus adhuc es, num polypum vel aliud vitium curaveris? ſi enim mors ſuperve-

Diff. de palpit. Cord. XV.

Diff. de Polypo Cordis.

ne-

nerit, & anatome tibi, polypum adesse, monstraverit, certus inde sis, te bene conjecturasse, sed jam etiam certo scis, te omnibus tuis medicamentis nihil effecisse, ut putem, per experientiam nobis nunquam constare posse, quænam medicamenta curando polypo inserviant, ut scite B. ALBINUS advertit. Diss. de Polypis XVI.

XXI.

In morbis vero pectoris reliquis nullum facile medentum attentionem excitare, nullum etiam spem eorum frustrari magis, quam hydropem pectoris videmus. Hic enim versipellis vitæ humanæ hostis ita nonnunquam furit, sævaque excitat symptomata, ut animæ corporisque non sine causa brevi metuas divortium, quod tamen, functionibus omnibus ad pristinam mox activitatem redeuntibus non nisi multo exacto tempore evenit. Sicut ex adverso, ubi fausta & salutaria apparent phænomena, extrema, quod nemini venerat in mentem, instare, exemplis haud raris discimus. Sed quicquid ejus rei sit, affectus omnium expertorum testimonio medicorum est curatu difficillimus & tantum non impossibilis. Quamvis enim non desint, qui morbum per mercurialia, nervina, eme-

tica, millepedes & varii generis diuretica, ipsamque paracenthesin curatam, editis eam in rem observationibus, tradiderunt, id quod haud ita pridem A. HUTTERUM, Chirurgum Noribergensem, fecisse novimus; hæc tamen omnia, & si quæ sunt similia, ex sapone veneto aut aliis ex rebus variis confecta remedia, irrito sæpius conatu propinata esse, aliorum, qui nec sibi nec aliis blandiuntur, loquuntur observationes. Quos inter, ut F. HOFFMANNUS hydropis sigillatim pericardii curam si non absolute impossibilem, certe valde laboriosam aperte profitetur, ita luculentum COLLEGII inprimis MEDICI VRATISLAVIENSIS testimonium, eidemque observationibus de Hydrope Pectoris magna circumspectione institutis, & fideliter descriptis finem impositum deprehendimus, idque tale: "Quantumvis autem varia „hactenus remedia recensuerimus, qui„bus malum hoc debellari queat & de„beat; pro candore tamen nostro non „ducimus esse dissimulandum, quod mul„toties malum hoc tam rebelle sit, ut „ægri non tantum non curentur, sed ne „quidem symptomata eorum mitigen„tur. Quo in casu medicamenta avara

Diff. d. Hydr. Peric. XX.

manu

„manu ægris danda esse, credimus, imo „medicos nihil a christiana pietate alie- „num facturos putamus, si prorsus a re- „mediis adhibendis per tempus abstine- „ant. „

XXII.

Enimvero hydrops in universum om- nis sive totum corporis habitum sub ana- sarcæ, seu abdomen cum pedibus sub ascitis, vel & tympanitis denominatio- ne, sive hanc illam corporis partem oc- cupet, scandalis medicorum a multo re- tro tempore adnumeratus est. Quo ve- ro jure, quave id factum sit injuria, pe- nes J. BOHNIUM iis, quibus volupe & otium est, videre licet. Divus certe se- „nex, morbus, inquit, gravis est hydrops, „& pauci hunc effugiunt. Eademque ARETAEI est sententia, quam hisce prodit verbis: Ab hydrope perpauci li- berantur, idque felicitate quadam deo- rum potius, quam artis auxilio. Cujus quidem rei, cum toto die, ingenti hy- dropicorum fatis cedentium numero ad- moneamur, tanto est mirandum magis, ægros ejusmodi præter rationem bene sperare, id quod huic morbo cum phthisi commune, utrique vero proprium de-

Progr. ad Diss. Inaug. d. Hydrop. D. Berghold. d. Intern. Affect. text. XXVII. L. II. de Caus. & sign. diut. morb.

Caut. in cogn. cur. hydr. necess. p. 15.

prehendimus. De eo vero J. H. HEUCHERUM, virum doctissimum, audire juvabit, ita differentem: „si quod est genus ægrorum, est sane hydropicum, „quod videtur velle & optare, ut prolixam amplissimamque spem faciat medicus. Nam quamvis perpauci satis „hydrope graviori liberentur, --- hoc „nihilominus plures eorundem, hydrope correpti, vivendi cupiditatem pariter & mali ostendunt tolerantiam plane singularem: idque faciunt non tam „quadam vel animi alacritate vel spe, „quam ipsa natura morbi inducti. Neque vero tam licet ejus cupiditatis reperire causam, quam mirari, qui fiat, „quod, cum in aliis, iisque non tam periculosis affectuum generibus, abiicere animum ægri soleant, in hydrope „solo cum tam longas spes concipiant, „tum tanta vivendi cupiditate teneantur. Equidem nondum memoria excidit, inter initia praxeos datum forte unicum medicamentum virtute diaphoretica & diuretica eminens, anasarcam in juvencula simul & semel per singularem Dei gratiam propulsavisse. Sed nec illud omittendum, magna alias circumspectione purgantia modo fortiora modo mitiora,

tiora, aperientia, ſalina, amara, ipſamque paracentheſin & ſimilia pro re nata a nobis aliisque in hydropicis applicata, ſed effectu minus ſalutari donata fuiſſe. Ac licet diaphoreticis præ reliquis medicamentis cum T. BARTHOLINO nonnulli, opiatis vero M. ETTMÜLLERUS; martialibus atque antimoniatis invicem miſtis F. HOFFMANNUS, T. SYDENHAMIUS, & R. LENTILIUS: rhabarbarinis demum J. R. CAMERARIUS, aliis alii multum tribuant, nobis illuſtris, quem modo laudavimus, Archiatri, HEUCHERI, inquam, eo magis placet ſententia, quo propius a veritate abeſt, ita autem ipſi loqui placuit: Videntur ii parum cauti, ſi qui jactent medicinam omni ſuperando hydropi parem. Vana eſt iſthæc oſtentatio, & craſſæ ſuſpicionem ignorantiæ affert, neſcientiamque prodit tot tamque variantium, unde emergit hydrops, cauſarum. „ FRIDERICUS ipſe RUYSCHIUS, Medicus atque Anatomicus conſummatiſſimus, hunc in modum ſcribere non dubitavit: „ Quis medicorum curare poteſt hydropem aſcitem limoſum, membranis incluſum? „ idemque paracentheſin ſigillatim in hydrope tanti non eſſe momenti, nec adeo teme-

l. c. p. 18.

Obſ. XLV.

re inſtituendam, prout nonnulli volue-re autores, præclare expoſuit. Quisquis
1699. p. 124. vero de eo dubitat, HISTORIAM quæſo MORBORUM VRATISLAVIENSIUM iterum introſpiciat, ubi annotatum inveniet, collectores ejus ab omni fuco & jactantia alienos, poſt adhibita purgantia, aperientia, alterantia, cachectica, martialia, mercurialia, antiſcorbutica, hypochondriaca, diuretica, roborantia, atque externa quoque topica, ſed fruſtra adhibita, ſequentem conqueri in modum: „Nec tamen magnus eſt hydropicorum „numerus, qui ſollicita noſtra cura a no-„bis fuerunt liberati, & ſingulari Dei be-„nignitati potius, in his quoque, qui eva-„ſere, auxilium & ſublevationem tribui-„mus, quam medicamentorum viribus „cum Valeriola L. I. Obſ. 2. narrante, „quomodo uxor aſcitica congruis a ſe „præſidiis reſtituta fuerit.„

XXIII.

Iisdem vero doctiſſimis autoribus, quantum ars valeat in graviſſimis ac diuturnis cruciatibus, qui vel peritonæum, vel membranas, quæ abdominis ventrisque partibus obtenduntur, afficiunt, quosque nonnulli colicos, & FERNELIUS quidem nothos, RIOLANUS vero Pictavien-

vienſes appellat, edocemur. De hiſce enim, ut oraculum HIPPOCRATIS merito intelligitur ſequens; "Quibus tormina & circa umbilicum dolores & lumborum dolor, qui nec purgantibus, nec aliter ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur;" ita illos neque clyſteribus, neque fomentis, neque medicamentis nec aliis remediis, quibus colici dolores mitigantur, placari ſolere, ſed & apud Vratislavienſes, ubi frequentiores ſunt, quam inexperti credant, admodum rebelles eſſe, & fere tympanitem præcurrere, ab iisdem annotatum deprehendimus cum addito: "Quomodo huic occurrendum malo, edoceri cupimus ab aliis, nos enim omnia tentantes hactenus ſæpe ſucceſſus deſtituit." Haud ſecus ac JOHANNES ipſe FERNELIUS pictoris meminit Andegavenſis, qui digitorum & manuum tremoribus primum, mox convulſione correptus eſt, brachio quoque in conſenſum tracto, cui poſtmodum ſupervenit idem in pedibus vitium, tandem dolore tam gravi in ventriculo & utroque hypochondrio torqueti cœpit, ut nec clyſteribus nec fotibus nec balneis, nec ullo remediorum genere quicquam levaretur. Huic in acceſſione unicum ſolamen re-

IV. Aph. XI.

l.c. 1700. p. 176.

de Luc. ven. c. 7.

per-

pertum, ut tres quatuorve homines ventri toto ſuo pondere incumberent, ſic enim compreſſo abdomine minus cruciabatur, poſtremo ad tres annos tam acriter vexatus tabidus interiit. Magnas concertationes inter celebriores medicos exortas eſſe, ait, circa tanti mali veram ac genuinam cauſam, tum ante, tum poſt cadaveris apertionem, cum in viſceribus nihil præternaturale appareret; ſubdit tamen, quod cum pictor ille penicillum digitis non modo extergere pro more haberet, ſed etiam imprudens & incautus illum exugeret, veriſimile fuiſſe, ut e manuum digitis, partium continuatione, cerebro, totique nervoſo generi communicatam fuiſſe cinnabarin, ita per os admiſſam ventriculum & inteſtina inexplicabili ac maligna qualitate infeciſſe, quæ tantorum dolorum cauſa occulta fuerit. Hic ſane cum B. RAMAZINI ingenuam FERNELII confeſſionem more ſcilicet magnorum virorum, ut ait CELSUS, admirari decet, quæ talis erat: „omnes ſiquidem aberamus a ſcopo, & tota, quod ajunt via, errabamus. Idem vero omnino de paſſione valere iliaca, morbo ob truculentam faciem miſerere mei alias dicto, nemo niſi qui ægros, eodem afflictos, qui

de Morb. Artif. C. IX. p. 54.

&

& carminativa & laxantia, & clysteres & nitrosa, ipsaque mercurialia, de quibus BOHNIUS cum SYDENHAMIO judicat, ea, si non noxam inferant, certe, quod de iis jactant plures, minus aut raro præstare, aut phosphorum ipsum ad MEDICORUM mentem VRATISLAVIENSIUM & sexcenta alia frustra admiserunt, aut plane non, aut non nisi paucos vidit, temere ibit inficias. Equidem P. BARBETTE, quid in hujus cura gravissimi morbi desideret, hisce declarat verbis: „mediis" ordinariis nihil efficientibus, cucurbitu-" la magna sine scarificatione sæpius par-" ti dolenti apponi potest, atque iterum" auferri. Annon etiam præstaret, facta" dissectione musculorum & peritonæi di-" gitis susceptum intestinum extrahere," quam certæ morti ægrotantem commit-" tere?„ Sed enimvero hoc remedii genus desideratis medicis vel maxime annumerandum esse, tum res ipsa loquitur, tum a R. LENTILIO solide evictum est. Cæterum dolores colicos genuinos minime raro transire in abscessum, & spurios illos in apostema aliquando degenerare, id quod experientia confirmat, VRATISLAVIENSES, quos modo laudavimus, MEDICI annotatum reliquere. Talis-

1701. p. 303.

Op. Chir. 4. p. 512.

Iatrom. p. 401.

l. c.

modi

modi vero abcessus, qui mesenterium aut hepar, aut alias abdominis partes obsident, sicut quoad pathologiam & signa a J. FERNELIO inprimis & D. SENNERTO desideratorum habentur in numero, ita si MICHAELEM audias ETTMÜLLERUM, medicum certe pragmaticum peritissimum, ex abscessu & ulcere hepatis, adde & reliquarum partium, pauci sunt, qui evadere solent. Ac si demum ea excipias, quæ a M. A. SEVERINO, & H. MEIBOMIO sunt annotata, pauca in medicorum monumentis reperies, quæ te in internorum cura abcessuum juvare queant. Nec vero dysenteria minus, cujus ætiologiam simul & purgantium operandi modum ἄῤῥητον apposite vocat STAHLIUS, ubi ad curam ventum est, desideratis adnumeranda est. Licet enim in illa multa a multis, & blande laxantia, præsertim rhabarbarina a plerisque, a quibus tamen G. C. SCHELHAMERUS & B. de MOOR discedunt; emetica, inprimis benedicta ipecacuanhæ radix, fere ab omnibus; diluentia, ἄνω καὶ κάτω magna in quantitate applicata a T. SYDENHAMIO, & J. E. SCHAPERO; opiata a plurimis, quos cum T. MINADOO A. THONERUS redarguit; cortex item chinæ a R. J. CAME-

d. recondit. abscess. Natur.

Op. posth. de Abscess.

RA-

RARIO una cum aliis miſtus, & infinita demum alia ab aliis commendentur: nobis tamen cum C. HELVICHIO admodum videtur probabile, quod commendationes medicamentorum effuſæ, quæ tamen credulos miſere ludificant, non aliunde oriantur, quam, quod adhibitis plurimis remediis ultimo, præprimis ſi tum æger fateatur, ſe levamen ſentire, præpoſtere effectus tranſcribatur. Nec vero multos admodum ſentire levamen, funera teſtantur, quæ non obſtante auxiliorum abundantia, tempore ſæpe autumnali, prævia inprimis æſtate calidiſſima, paſſim efferri videmus.

Hiſt. morb. Vratisl. 1699. p. 101.

XXIV.

Hiſce autem & ſimilibus excutiendis ſi diutius immorari animus eſſet, nullus facile morbus prætermittendus foret, qui non hæc aut illa in therapia deſiderata ſuppeditaret. Potiores tantummodo velut in exemplum producere, dum nobis eſt propoſitum, calculus nunc porro, renum inprimis & veſicæ, examinandus venit, cujus medelam eo majori cura & ſollicitudine a medentibus efflagitare ſolent ægroti, quo majores ſunt cruciatus, & humanam fere frangentes patientiam, quos a duris hiſce corporibus mor-

mortales quotidie videmus experiri. Equidem medicorum non minus anxium & flagrans offendimus desiderium, miseris ejusmodi ægrotis exoptatas pro virili ferendi suppetias. Quem in finem varia laudantur medicamenta, tum pellendi, tum comminuendi, aut præcavendi, & sedandi demum, seu anodyno scopo. Lithontriptica uno vocantur nomine, quæ calculum frangere creduntur, quæque a multis laudantur varia, ab aliis vero alto contemnuntur supercilio, quorum causam defendendam inprimis suscepit J. A. STISSERUS, cujus hæc inter alia verba notatu digna videntur: „Firmiter credo, non solum „in regno animali, verum etiam vege„tabili & minerali, inesse remedia, qui„bus calculus comminui queat.„ Tale autem remedium non unum omnibus adæquatum, sed pro causarum varietate varium arguit esse debere, quo pollet, judicio practico, nec acidis solum & causticis, sed & insipidis magnam in calculo comminuendo adscribit efficaciam vir doctissimus. Horum autem omnium ingentem licet coacervare catalogum multis stipatum elogiis in proclivi sit, nobis tamen Cl. PECHLINI arridet sententia,

Act. Laborat. Chim. II. 6.

Lib. I. obs. XIII.

tia, qui immutare quidem ejusmodi remedia nonnihil fermentum renum non invitus concedit, & prohibere, ne lapis concrescat, at concretum jam dissolvere prodigio proximum judicat. Ac multum vereor, ne eandem mereantur censuram remedia, quæ a J. R. CAMERARIO multis cum elogiis commendantur, ejusdemque sint tribus, quæ tum alibi locorum, tum in HISTORIA MORBORUM VRATISLAVIENSIUM & in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS, sed non sine addito tali judicio recensentur, quale a doctis & expertis utriusque diarii collectoribus poterat expectari. HIERONYMUS certe CAPIVACCIUS se nescire, fatetur, quæ calculum in vesica frangere queant, THOMAS vero ERASTUS persuasum habuit, lapidem vesicæ dissolvi remediis intra corpus non posse. Sic & A. DUDITHIUS sequentem in modum ad P. MONAVIUM mentem exposuit suam: sed obsecro te, esne " & tu in eorum hæresi, qui medicamen- " tis intra corpus asserunt concretos jam " lapides atteri, atque adeo confringi " posse, mihi quidem id non sit verosi- " mile.„ Quibuscum H. BOERHAVE plane consentit, qui specificis lithontripti-

L. I. Obs. XIII.

Syll. Mem. Med. Cent. VIII. 73. 76. 1699. p. 133. 153. 1720. Apr. p. 443.

Ep. I. Craton. LVI. p. 560. Edit. 8.

Aphor. Pract. 1428.

cis hactenus nullam veram esse fidem, disertis adserit verbis. In hisce enim cumulandis eruditorum medicorum testimoniis ne nimii simus, insignis facit WEDELII ἐπίκρισις, quæ instar omnium cum sit, hic pariter repeti meretur: „Quicquid horum sit, pertinet hoc ad desiderata medica, saltem nota in hunc usque „diem id non præstitere. Si qui autem „arcanum hoc revera possident, æternam merebuntur famam, si id dignis „revelaverint, quod si non fecerint, nec „experimentis comprobari possit effectus, ne nominandi quidem fuerint.„

d. Calculi mechan. p. 38.

XXV.

Doloribus nephriticis cum arthriticis multum intercedit affinitatis, ab his vero haud quaquam facilius, quam ab istis liberantur miseri. Neque enim, si J. JACKSONI credimus, & quidni credamus id, quod quotidiano rerum usu abunde comprobatur, hoc in casu quicquam præstare, possibile erit, donec remedia nobiliora & magis exaltata, quam quæ hodie apud Galenicos & Chymicos artis filios vulgo prostant, nobis innotescant. Quod idem tum variis in locis, tum hisce, quæ sequuntur verbis; morbum ipse expertus THOMAS confirmat

Enchir. Med. p. 118.

ST-

SYDENHAMIUS: „ si quis objiciat, „multa esse remedia specifica ad podagram, ego me ea nescire, lubens fateor: & vereor, ne promissores isti perinde sint ignari, ac sum ego. Equidem plura inter alia præsidia, quorum catalogum hic nectere superfluum erit, moxa ex oriente allata multo cum strepitu decantata quondam fuit, sed hæc, cum judice Cl. SLEVOGTIO ultra vires blandorum cauteriorum, quorum usus antiquissimis temporibus notissimus extitit, non multum hactenus præstiterit, & insuper omne cauterium actuale jam diu personis delicatioribus nimis crudele apparuerit, ideoque hoc novum una cum antiquis apud nos dudum frequentari desiit. Quo eodem loco licet plures morbum hunc transplantandi rationes & varia specifica a J. C. ESAVIO laudentur, his tamen addendum arbitramur, quod ad finem prolusionis legitur viri doctissimi Decani & Præsidis judicium: " Nomina arcanorum, typis mandata," dissertationi inseri, facile toleravi, nec" magneticas curandi rationes expungere" volui, cum nihil quidem, quod reli-" gioni adversetur, continere videantur," sed per crebra tamen experimenta a su-" spicio-

Diss. Inaug. J. C. ESAU. d. Podagra ejusque Cura Magnet.

„ſpicione vanitatis otioſorumque inge-„niorum luſibus ſe vendicare debeant. Ac vereor, ne magneſia alba, ſaccharum lactis, ariſtolochiæ radix rotundæ, & ſi quæ ſunt alia aut artis aut naturæ effecta, indigena pariter atque exotica, id mereantur elogium, quod a ROSINO ipſis tribuitur LENTILIO: „Remedia nova, „quæ maximis encomiis in orbem ebuc-„cinantur, ætatem non ferunt, ſed pri-„us plerumque, quam ipſi buccinato-„res, intercidunt, & raro ſe magnificis „effectibus commendant: Id quod nec M. B. VALENTINI, ſtrenuus alias medicamentorum exoticorum & novitate ſe commendantium encomiaſtes diffiteri audet his, quæ ſequuntur verbis: „Cæterum, quæcunque tandem ſint, ſive „peregrina ſive domeſtica, quæ pro ſub-„levanda podagra inuruntur, tantiſper „quidem hunc dolorem palliant, qua-„tenus vel archeo terrorem incutere vel „lymphæ corroſivæ portionem exantla-„re apta nata ſunt: an vero radicalis af-„fectus deturbatio ita obtineri poſſit, „valde dubito. Ac videtur ſane J. J. WALDSMIDIUS rem acu tetigiſſe, quando auri ſacram famem remedia alia ex aliis & quæſiviſſe & commendaſſe ad podagram exi-

Eteodr. Med. Pr. p. 1284.

Diſſ. Epiſtol. p. 201. d. Moxa & podagra.

existimat: ita autem ille: „Arthritidis cu-„ratio non solum difficilis, sed & multa-„rum fraudum ferax, ut quotidie expe-„rimur. Est enim novus quidam acqui-„rendi opes modus: jactare curationem „podagræ; si vero Cl. PECHLINUM au- L. II. obs. XXVIII. dias, existimat ille, tot esse futura podagricorum remedia, quot sunt, qui ex hoc morbo ægrotant, individua, quod plerisque cum tempore tædium subrepit, & fortuitorum, quam excogitatorum major sit gloria. Nimirum plerorumque arthriticorum est etiamnum, quæ SENECÆ olim fuit querela, qui cum de inveteratæ sanatione arthritidis desperaret, sequentem in modum proprium declaravit desiderium: „Non perveni ad sa-" nitatem, nec perveniam quidem, deli-" nimenta magis, quam remedia poda-" græ meæ compono; contentus, si rarius" accedat & minus verminetur.„

XXVI.

Morbos demum mulierum atque infantum ne plane intactos prætermittamus, in illis partus occurrit difficilis, cui pro causarum diversitate his aut illis præsidiis occurrere solent medici pragmatici Quod si vero situs infantis perversus adsit, tum præter manualem operam de

omni reliquo auxilio deſperant pruden-
l. c. p. 1075. tiores. ROSINUS certe LENTILIUS a muliere rogatus gravida & partus difficultatem metuente, annon poſſet modus excogitari, quo mediante fœtus ſitum in utero debitum ſervare valeat? quæ in medici nullius poteſtate ſunt, a ſe quoque fruſtra poſtulari, appoſite reſpondit, opus, addens, eſſe hoc ſolius naturæ, nunquam artis, præter id, quod in partu laborioſo minus recte ſito peritæ obſtetrices digitorum ope efficere poſſunt. Harum vero culpa & imperitia cum tot ubivis caſus infauſtos & fœtus naſci mortuos
Act. Med. Berol. II. I. III. p. 86. contingat, mirum non eſt, MEDICOS BEROLINENSES, deſideria ſua ingeminando propalare verbis pone ſequentibus. „Quod tu tandem, bone Deus, per „illos, qui rerum publicarum guberna„cula tenent, remederi velis, ſupplex „exoramus.„ Accedit & illud, quod ceu deſideratum in muliebrium medela morborum non poſtremum cum doctiſſimo
L. I. Obſ. XXXIV. PECHLINO Clinici ad unum omnes obſervant, in illis nimirum obſtetricum & nutricularum ſemper majorem fuiſſe auctoritatem, quam medicorum, nec ante medicorum expeti conſilia, quam vulgarium uſum morbus ſpreverit; imo vero

tum

tum quoque etſi medici ſua opportune commendent, ægrosque habeant obnoxios, juxta cum illis muliebria atque empirica adhiberi, plerumque etiam eventus felicitatem hiſce magis, quam illis adſcribi. Qua vero certitudine cura nitatur morborum, quibus infantes vivunt obnoxii, vel uni lumbrici, qui illos familiariſſime exercere ſolent, documento ſunt. Horum quippe præſentium ſingula non raro indicia adeſſe, neque tamen propinatis ſelectiſſimis pharmacis ab alvo exire videmus. Ac licet Symptomata ante infeſta plerumque deinde remittant, & medicus ſuo potiatut ſcopo, non tamen propinqui, rem omnem rite fuiſſe peractam, facile perſvadentur, corpus niſi delicti oculis manibusque uſurpent. Expertus id eſt, quem modo laudavimus, PECHLINUS, qui fuſe & erudite recenſitis difficultatibus, quæ medicis in lumbricorum cura quodie occurrunt, id vero, inquit, nolim quisquam exiſtimet, ubi" vermes etiam poſt remediorum exquiſitorum uſum non prodeunt, nullos ibi" eſſe, cum, ut ante dixi, lento pituitæ viſco" ſe involvant, ut non niſi in ſpeciem" phlegmatis redacti pro illa texturæ fluiditate ab alvo ſecedant. Nemo ut ad-" L. I. Obſ. LXIV.

eoque, nisi qui nullos aut paucos infantes ex lumbricis ægrotantes vidit, verosimile esse, dubitaverit, id quod a Viro Summo G. W. WEDELIO traditum est, levem quidem rem videri vermium exterminium, sed sæpe tamen levi apparatu non posse debellari, & ipsos & inde producta symptomata horrenda, tonum viscerum læsum, aliaque inconvenientia. Phlebotomiam denique penes infantes in morbis gravissimis, acutis & chronicis a medicis Britannis, Italis atque Gallis, efflagitante necessitate toto celebrari die, ejusdem vero administrationem apud Germanos nostros hodieque desiderari, neminem fugit, sed scire licet, fieri istud non medicorum, quotquot cum BOHNIO ultra vulgus sapiunt, sed ægrotantium, quique illis adstant, culpa. Quod probe intelligentes MEDICI VRATISLAVIENSES plane ad rem sequentem disserunt in modum: Nos in tota Germania venæ sectionem penes infantes prorsus omittentes excusari non possemus, nisi contra vulgus & muliercularum opinionem aliquid facere esset contra torrentem navigare.

Amœnit. Mal. Med. p. 373.

P. P. ad Diss. Inaug. de Singultu M. E. Ettmüller. l. c. 1699. p. 21.

XXVII.

Quod reliquum est, non equidem fulmine tactos, eorumque medelam prolixius

lixius examinabimus, id quod ab J. VEH- d. Aſtro-
RIO & R. W. CRAUSIO factum, neque bolismo.
remedia contra inſomnia nimia & ter- d. Fulmi-
rifica excutiemus, de quibus judice R. ne tactis.
LENTILIO in practicorum libris nihil l. c. p. 1311.
reperitur, ſolus vero WEDELIUS hanc d. Inſom-
arenam aggreſſus eſt. Neque etiam mor- niis.
bos a viſis ſpectris quoad curam vide-
bimus latius, utpote quod cum eodem
WEDELIO FRIDERICUS præſtitit d. Spe-
HOFFMANNUS, quem nuper admo- ctris.
dum M. ALBERTI ſecutus eſt. Sed de Morbo Con-
nec rerum toto genere p. n. ab extra in vulſ. a vi-
corpus humanum illapſorum medicinam ſo Spe-
diſcutiemus, quemadmodum infarctum ctro. de Spectris.
tracheæ ab illapſa faba in tenero ægroto
LENTILIUS curavit fideliter, ſed om-
ni ſua ſollicitudine impedire non potuit,
quominus is ſub convulſivis cruciatibus
per quatuordecim dies ſuperſtes fatis
tandem cederet. Ut nec reliquos mor-
bos prætervilos atque omiſſos, a C. PISO- l. c. p.
NE & A. BOOTIO ſingulari opera per- 1085. &
tractatos, indagabimus fuſius. In hiſce p. 683.
enim, & ſi quæ ſuperſunt, ſuperſunt
autem plurima morborum genera, deſi-
derari longe maxima, maximique pon-
deris momenta, haud eſt obſcurum, ac
fieri de reliquis judicium ex ſupra dictis

haud difficulter poteſt. An vero opus aliquod de curationibus morborum inſanabilium, quorum nonnullos BRUNO enumeravit SEIDELIUS & B. ALBINUS, quod in deſideratis reponere non dubitavit VERULAMIUS, ut evocentur & excitentur medici aliqui egregii & magnanimi, qui huic operi, quantum largitur natura rerum, incumbant, quando hoc ipſum, iſtos morbos pronunciare inſanabiles, neglectum & injuriam velut lege ſanciat, & ignorantiam ab infamia eximat, optandum ſolum, an vero etiam ſperandum ſit, penes alios judicium eſto. Equidem G. A. MERCKLINUS hanc in ſententiam ſcripſit: Sunt „adhuc morbi incurabiles, vel curatu „admodum difficiles, quos, ſi quis no„vo demumque inveniendo remedio vel „certiori methodo perſanare doceret, „næ is magnam ab Aeſculapii filiis om„nibus ipſisque etiam infirmis iniret „gratiam, multumque perfectionis me„dicæ arti adjiceret. Adhuc enim ne„ſcit tollere nodoſam medicina poda„gram, adhuc neſcit eradicare cancrum, „adhuc neſcit addere, quæ a nativitate deficiunt. Nobis aliter videtur, ab HERMAN-

d. Morb. Incurabil. d. Atherapevſia morb.

de Transfuſ. ſangu. ortu & progr. p. 59.

l. c.

MANNO videlicet CONRINGIO, viro πολυμαθεστάτῳ, aliter edoctis, verbis ſupra jam citatis pone ſequentibus: " Ut „nihil tandem aliquando ſit, quod in „arte deſideres, haud ignoro, quæ eſt „nativa ingenii noſtri imbecillitas, pari„ter & rerum obſcuritas, fieri non poſſe. „Verum tantam perfectionem neque „ego, neque alius prudentior exigit; id „doleo, multa hactenus negligi, multa „neſciri de morbis humanum corpus in„feſtantibus, quæ tamen debita facta „attentione jam dudum potuiſſent ex„acte intelligi. „

XXVIII.

Inde adeo factum eſt, ut ſolet mortalium ingenium in re dubia, difficili & obſcura ad alia ex aliis delabi, aliam ut quærerent medendi rationem plurimi in morbis ejusmodi graviſſimis & incurabilibus, quando vulgaria remedia & methodum receptam iisdem curandis minus ſufficere viderunt. Curas hinc ſympatheticas & transplantationes morborum multi ingens pretium ſtatuunt, quas H. CONRINGIUS prorſus reprobavit, & ſolis imaginationis viribus adſcripſit, G. H. VELSCHIUS ceu ludibria ex arte medica releganda, A. KIRCHERUS Præf. obſ. P. Salmuth.

rogo

Cent. III. Hist. 66. rogo mulctanda voluit. T. BARTHOLINUS ex adverso nihil tanta poena dignum committi existimavit, quando naturalia adhibentur remedia, nulla concurrente superstitione; aut verbis aut characteribus aut gestibus, quanquam non semper manca mortalium mens rationem assequatur. Quicquid vero ejus rei sit, fatendum cum MEDICIS est VRATISLAVIENSIBUS, quod in morbis raro cura hæc ex voto succedat. Hinc arcana alii & secreta jactant remedia, alii specificis mirandos adscribunt in desperatorum cura morborum effectus. Sed ut de specificis deinceps dicetur uberius: ita arcana & secreta quod attinet medicamenta, multi equidem cum chemicorum plerisque, quos inter est J. A. STISSERUS, sunt persvasi, licet non omnibus æque pateant talia, nec propalare ea hactenus necessitas, multo minus chemicorum contemtus jubeat, idcirco tamen ad non entia ableganda non esse. Vendere, ajunt, Deum bona sua laboribus, & multa adhuc latere, quæ tandem ætate atque indefessa opera patefient, multa quoque jam pridem inventa extare, quæ licet paucis saltem nota sint, unus alterve autem ex inani taxandi genio & ignorantia de illis male judi-

1700. p. 196. L. I. obs. XL.

Act. Laborat. Chem. III. 8.

judicat, nullatenus tamen idcirco ex medicina proſcribenda, aut nullius prorſus momenti reputanda eſſe; alii ex adverſo cum J. PRIMEROSIO, multos ignaros valde aſtute ſua occultare, ne ſi aliis medicis innoteſcerent, riſum moverent, & fieri poſſe, ut vulgaria remedia & forſan inepta pro magnis ſecretis a multis prædicentur, quæ nemini revelare volunt, prudenti ſane conſilio, quia nihil habent, quod ſecretum dici debeat, exiſtimant. Nam, ut G. GORRIS apposite loquitur: hi" Thraſones ſua jactantia non ſolummodo" ignaris, ſed, quod maxime dolendum, ſæ-" pe gnaris imponunt, vulgaria pro abſtru-" ſis, abſurda pro convenientibus decan-" tantes. Secreta hæc nemini revelare vo-" lunt, & pro his non minus ſtrenue, quam" olim argenti fabri Epheſiorum pro par-" vis Dianæ templis certant, & orbi pro ma-" gno pretio fumos vendunt, & ex re vili" ſine ullo labore diteſcunt.,, Imo vero ſaniores medicorum ejusmodi arcana tantum abeſt ut deſiderent, & quovis oblato pretio redimant, ut rectam medendi methodum ſectati eorundem carentiam æquo animo ferant. HIERONYMUM certe CAPIVACCIUM de arcanis morborum auxiliis rogatum, reſpondere accepimus

de Error. vulgi in med. L. I, c. XII.

Med. Contempt. C. W. p. 47. 48.

L. I. Ep. 136.

pimus solitum: Disce meam methodum & habebis mea arcana. Quo cum paria facit „G. PATIN, quando bene medendi me- „thodum arcanum vocat artis maximum, „& secretum secretorum secretissimum, „sed paucis notum.„

XXIV.

Filum id vocant medicinale, quod ne amplius desideretur, prout desideratum a VERULAMIO offendimus, facit præclara J. G. BERGERI industria, utpote qui hoc ita occupavit argumentum, ut nihil in eo amplius desiderari videatur. Ab eodem vero pariter atque a G. W. WEDELIO, F. HOFFMANNO, & C. VATERO, summis Germaniæ Medicis, & Præceptoribus optime de studiis nostris meritis, causas & media ad vitam sanam & longam ac senectutis retardationem, ipsamque ἀθανασίαν ducentia, quæ singula a VERULAMIO ad desiderata referuntur habemus. Hi quippe fama meritisque celeberrimi viri id egerunt, ut sobrie philosophando viam ostenderent & modum, quo quilibet corporis sui gnarus, per remedia ubivis obvia, & victum inprimis convenientem, rectumque rerum, quas non naturales medici appellant, usum, vitam bene beateque ad seros usque annos traducere que-

l. c.
d. Filo medicin. de tu. valet. ex cognit. sui.
d. vita Longa.
d. vita Longa.
Medico sui ipsis.
Meth. ad vit. long.
d. vitæ, tu. prorogat.
d. Sanit. præsid. rite adhit.
l. c.

queat. Quamvis & in hisce, quid desideret, ELIAS invenerit CAMERARIUS, l. c. p. 382. verbis pone sequentibus: "Quotusquis-" "que suus poterit sibimet esse medicus?" "res magnæ molis ac difficultatis inenar-" "rabilis, si mores nostros, ingenia homi-" "num, & perversas voluntates libeat con-" "siderare.„ Et quoad senectutis retardationem, A. SEILERUS apposite ad J. BAUDISIUM sequentem scripsit in modum: Ep. I. Craton. L. III. p. 277. Utinam ars nostra & natura hoc præ-" "starent, ut senectus in adolescentiam" "commutaretur. Sed hæc non sunt artis" "nostræ, verum, ut affectiones, quas na-" "tura auxiliatrice pharmacia resarcire po-" "test, medicus solummodo subit, ita ad im-" "possibilia nemo obligatur.„ Hinc vero & quid de CARDINALIS MAZARINI L. I. Ep. p. 510. desiderio habendum sit haud obscure dilucescit, qui, ut G. PATIN autor est, gron-" "de ses medecins, & leur reproche, qu'ils" "n'ont point des secrets, pour l'empecher" "de mourir.„ Sunt vero & alii, chemiæ inprimis admiratores nimii, qui panaceas crepant, & talia medicamentorum genera, quorum ope vitam humanam ad seram usque senectutem sanam atque incolumem quam diutissime extendere liceat. Qua de re sententiam laturi inclyti ME-

DICI

1702. p. 114. DICI VRATISLAVIENSES ſequentem differunt in modum: "Non ignoramus, „Paracelſum olim jactaſſe a ſe inventum „tale medicamentum, quod omnia vitia „ſanguinis mutet & illum in optimam „convertat temperiem, ſed dolemus, „quod, ſi unquam tanti arcani conſcius „fuit, humanum genus ejus cognitione „privarit. Quantum ſibi obſtrinxiſſet „mortales Helmontius, ſi illos docuiſſet, „quodnam illud ſit, cujus ſubtiliſſimo & „penetrantiſſimo impulſu fermentativo „quodvis heterogeneum prompte a ſan„guine ſegregetur. Neque enim illis pol„licem preminus, qui dictatoria autori„tate decernunt, ejusmodi medicamen„tum his dotibus ex parte præditum nul„lum inveniri poſſe. Palma in medio po„ſita eſt. Hoc tamen aſſerimus, nullum „ad hunc usque diem remedium nobis „innotuiſſe, hiſce facultatibus inſtru„ctum, omniaque illa, quæ hic & alibi „venditata fuerunt, licet vires eorum ma„gnificis verbis deprædicarentur, tanti „nominis menſuram non impleviſſe.„ Eandem in ſententiam de hiſce panaceis

1718. Feb. p. 704. 1722. Oct. p. 451. in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS fuſe & erudite expoſitam cernimus. Omnes autem ejusmodi panacearum patro-

nos

nos, qui hactenus in iisdem collaudandis nimii fuerunt, ſcite redarguit BERGERUS de vita his, quæ ſequuntur, verbis: " Quo qui- " longa dem loco non poſſumus non deteſtari " XXXIV. imprudentiam dicam, an impudentiam " non agyrtarum modo & circumfora- " neorum, ſed pudet dicere, quorundam " etiam medicorum, qui uni lucro inhian- " tes ſuas panaceas vitamque ſanam diu- " tiſſime conſervantia venditare non ve- " rentur, conſtantia margaritis, fragmen- " tis lapidum pretioſorum, lapide bezoar, " ebore, oſſe de corde cervi, cornu mono- " cerotis, id eſt dente ceti Narhual, aloë, " croco, nitro, antimonio, cinabari, am- " bra, aromatibus, oleis æthereis. ſalibus " volatilibus, carne viperina, radice Nin- " ſi, argento, auroque, ſi diis placet, ipſo. " Sane horum familiari uſu remediorum " grave valetudini damnum inferri, non " nunc demum obſervari videas, ſed jam " olim a veteribus obſervatum. "

XXX.

Ex hiſce breviter ſtrictimque pro inſtituti ratione allatis, ſatis opinor manifeſtum eſt, Clinicem in artis formam redactam quare deſideratis adnumeraverit G. H. VELSCHIUS, vera autem l. c. dixiſſe J. N. PECHLINUM, quando XXXI.

Pærf. Epist. Obs. ad J. G. VOLCKAMERUM, immortalis virum memoriæ, ſequentem inter alia ſcripſit in modum: „Speciosa eſt noſtra, „& ad pompam inſtituta eruditio, cui, „ſi phaleras demas, quod reliquum eſt „corporis, macrum eſt, & valde ſtri„goſum, tandem etiam umbræ, quam corpori ſimilius. Enimero ne ad extremum nobis, quod ſpeciminis occaſione inauguralis publice objectum recordamur, & hoc objiciatur loco: defectus nos recenſere, & hiatus oſtendere, ſed de medela minus eſſe ſollicitos: morbos enumerare, ſed medelæ oblivifci, paucis de cauſis deſideratorum diſpiciemus practicorum atque remediis. Cauſas varii allegant varias, harum vero non poſtremam empiricorum ubivis locorum frequentiam eſſe, nullum nobis ſupereſt dubium. Faciunt enim hæ medicaſtrorum & lucripetarum ſordes ſæpenumero, ut viri erecti ingenii a cœpto pridem artem juvandi ſtudio deterreantur, querelas certe acerbas fundant, non aliunde, quam ex ejusmodi faſtidiis oriundas, quam in ſententiam l. c. PECHLINUM, virum ſummum, audire iterum juvabit: Ita autem ille: „Mul„ta ego & incredibilia propter medicinæ ſcien-

„ſcientiam paſſus ſum, patiorque et-
„iamnum, ob quæ fere tædium artis alias
„præſtantiſſimæ inceſſit. Quo cum pa-
ria faciunt hæc, quæ ſequuntur STAHLII d. Deo
„verba: Faciunt hæc talia artis medicæ Autor.
„fata & ſcandala, ut cum aliis multis ho- veræ
„neſtis & cordatis viris etiam me ſubinde med.
„artis ita proſtitutæ pœniteat, pigeat,
„imo pudeat, & ſæpe cogitatio animum
„ſubeat, annon honeſtius, certe tran-
„quillius & commodius rebus ita conſti-
„tutis penitus obnunciare & quamlibet
„aliam potius honeſtam vivendi ratio-
„nem, futurum eſſet. Sed nos hanc
quidem threnodiam a R. MINDERERO, Thre-
G. GORISIO, ſummisque ubivis terra- nod.
rum medicis decantatam non occinemus Med.
latius, præſertim, cum hujus eradica- Con-
tionem zizaniæ, & ſpem de ea conce- tempt.
ptam ad Rempublicam pertinere Platoni-
cam cum prudentioribus perſuaſi ſimus.
Hinc vero & nimiam remediorum abun-
dantiam accuſemus, oportet, utpote
qua non tantum non juvatur praxis
medica & promovetur, ſed & in dete-
rius labitur, fluctuantibus in tanta di-
verſitate, &, quid eligant, incertis me-
dicis. Hujus certe intuitu medicinam
non minus medela generoſiore ac chy-

mia chymiam vulgarem juxta BILLICHIUM indigere, quæ vitia & labes ejus tollat, proin non tantum addat, quod deficit, ſed demat quoque, quod abundat, ſeu exuperantias, quæ medentibus & medelam anhelantibns impedimento ſunt, diſcutiat, cum J. BOHNIO opinemur licet. GEORGIUM ſi quæras BAGLIVIUM, is, uti deſideratorum in praxi medica ſæpius meminit, ita quid de cauſis eorum ſentiat, hiſce declarat verbis: " Stet igitur, „quod diximus, ſola remedia ſanant, „inter deſiderata artis noſtræ reponenda demum erit hiſtoria remediorum, „quæ non amœna quædam aut libera ingenii peregrinatio, ſed durus labor, & longo itinere conſumtus patefecerit: ſintque conſtantia methodo „præſcribendi munita, cuilibet morbo „ſpecifice ac ferme infallibiliter reſpondentia.„ Secus ac viſnm eſt doctiſſimo viro J. N. PECHLINO, qui ne uni quidem morbo certum & minime decepturum remedium hactenus repertum eſſe affirmat; quin & ineptam vocat perſuaſionem, ſi exiſtimemus, ſpecifica dari medicamenta, quæ certo & ſingulari inſtinctu partium ſolidarum reſpiciunt ingeni-

de prophylaxi peſt. dubia. III.

l.c.p.247.

L.I. Obſ. XLII

L.I. Obſ. XL.

genium. Quæ eadem Cl. PISSINII videtur esse sententia ad hunc scribentis modum: "cordialia nuncupata medicamenta, aut nihil sunt, aut eadem" quoque & ocularia & splenetica, & ce-" phalica vel a quavis alia corporis parte" sumta denominatione poterunt appel-" lari; ut & T. SYDENAHMII, cujus" hæc sunt: Et, qui rem recte perpende-" rit, satis liquet, præcipuum medicinæ" faciendæ defectum non in eo verti," quod nesciamus, quo pacto huic aut illi" intentioni satisfacere debeamus: sed," quod non satis sciamus, quænam sit illa" intentio, cui satisfaciendum est. Cum" vel rudissimus quispiam pharmacopo-" læ servulus intra dimidium horæ qua-" drantem certum me faciet, quo me-" dicamento purgationem, vomitionem," vel sudores provocabo, vel refrigerabo" æstuantem; at vero in palæstra medi-" ca probe sit exercitatus oportet, qui" pari certitudine me docere queat, ubi" hoc vel illud remedii genus in usum re-" vocare debeam per omnem morborum" ac curationum circuitum.„

d. palpit. Cord. L. II. c. 3.

Tr. de Hydrope.

XXXI.

Singulare est BEROLINENSIUM desiderium MEDICORUM, quo & artis

Act. Med.

Berol. II. I. I. p. 48. existimationi, mortaliumque & vulgi inprimis saluti consultum cupiunt, hisce conceptum verbis: " Hem quanta in-„scitia tenet miseram plebem tenebra-„rum vinculis ligatam, ut æque præcones „publicos postularet, qui docerent igno-„rantes vitæ salubriter instituendæ vel „conservandæ rationem, ac qui consti-„tuti sunt ad instituendum homines „ad vitam cœlitus comparandam. Pro-„ut enim hi cives conscribunt ad au-„gendam Rempublicam nunquam ces-„saturi Imperantis: ita illi media „& remedia consulunt, quibus Respu-„blicæ in singulis suis individuis sartæ „tectæque conservantur, ne gratis conci-„dant ex sua vel aliorum culpa, sæpissime „præoccupato divinitus destinato termi-„no. Forte tum etiam melius edocta, & „medica discretione instructa plebs im-„pendentem epidemiam præspiciens, „præservationi tempestivæ invigilaret „sponte; & in aliorum minus acutorum „morborum medelis quærendis non tam „præcipitanter rueret in syrtes & scopu-„los cœcorum tentaminum tot diverso-„rum empiricorum.„ De hoc vero quid habendum desiderio, & an optandum solum, an vero etiam sperandum sit, cum medicorum ordinariorum & extraordinario-

nariorum, litteratorum pariter atque idiotarum, ſpuriorum inquam, ubivis terrarum, in urbibus, in oppidis, in vicis, in pagis, ingens conſpiciatur numerus, ut de copia, quam inopia eorundem opportunior ſit querela & multitudo medicorum multos hodieque perdat ægrotos, aliorum eſto judicium; niſi quidem hoc velint doctiſſimi Viri, genuini officium medici non in morborum ſolum curatione, ſed & vel maxime in ſanitatis conſervatione conſiſtere, hanc verum partem medicinæ, quæ ὑγιεινὴ vocatur, a plerisque medicorum filiis inſuper haberi, vel ſaltem non pari cum parte θεραπευτικῇ cura & ſollicitudine a vulgo medicorum exerceri, ſeu, quod illa non æque ut hæc lucroſa illis videatur, ſeu, quod a ſanis hominibus ad conſervandam eorum valetudinem minime vacillantem rariſſime vocentur, eoque nomine hunc ipſum defectum in deſideratis practicis locum quempiam jure meritoque tueri.

XXXII.

Sed quicquid ejus rei ſit nobis, ſalvo aliorum judicio, omnem mali fundum ut inter hujus initta partis ad mentem TULPII monuimus, in obſervationum defectu radicatam, neque medelam aliunde,

quam ab earundem emendatione petendam atque expectandam esse videtur, non quod observationum laboremus defectu, sed quod, ut verba PECHLINI huc iterum mutuemus, in illa observatorum hominumque elegantium copia mirum videatur, tam pauca in commentarios referri &, quæ referuntur, non eodem studio & crisi selecta esse. - - A qua supinitate, quod addit, aut vitio me quoque immunem esse, ineptus sim, si existimem; id tamen videre me puto, si curiosos oculos, si manus, si sensus denique omnes, & quæ plurimis idoneos nos reddit, diligentiam adhiberemus, utique in singulis & obviis quotidie morbis occurrerent, quæ animum exercere, inque speciem singularis nec quotidiani observati verti possent. De rarissimis vero etiam, quibus colligendis tam sollicite nonnulli occupantur, hoc quoque monere habeo, ad usum ea minus accommodata esse, & satis esse, si naturæ quandam excitent admirationem." Quæ vero eodem loco de integris collegiis, & amplarum actis urbium monentur, eas a MEDICIS quidem VRATISLAVIENSIBUS præ cæteris egregie adimpletas partes novimus. Sed hi do-

Obf. præfat. Epistol.

ctrina

ctrina artisque usu præstantissimi viri, quo majori sedulitate observationibus, artisque hiatus supplendi & veritatis studio incumbunt, eo plura & majora & ubivis, quæ desiderent, offendunt. Quod ut ex supra dictis satis constare cuivis potest, ita, quod ipsas attinet observationes, quæque in iisdem desiderent, sequentibus exponunt verbis : " Et optandum " quidem esset, ut viri docti ex observatio- " nibus ab illustribus Societatibus & Aca- " demiis per multorum annorum decur- " sum cum orbe erudito communicatis, " aggrederentur formare propositiones " universales, ita enim scientiarum pomœ- " ria extenderentur, & quæ per multa si- " nuosa volumina jam diffusa sunt, brevi " admodum libro comprehendi possent. " Etsi quis seculi offensam metueret, quod " mire sibi placet, & ferre alios non po- " test, nisi hyperbolicos sui adulatores, " posset vires suas experiri in iis, quæ ad " posteritatem transmissa sunt a Benive- " nio, Dodonæo, Amato Lusitano, Vale- " riola, Wiero, Costero, Foresto, Schen- " ckio, Donato, Platero, Hochstettero, " Ballonio, Epiphanio Ferdinando, C. Pi- " sone, F. Hildano, G. Horstio, H. ab Heer, " Z. Lusitano, N. Tulpio, R. Solenandro, "

Tr. de Exper. p. 34.

„J. P. Lotichio, P. Salmutho & aliis.„ Quibus cum paria facit, in urbe ſigillatim Pariſienſi, quod deſideravit quondam T. BARTHOLINUS, vir πολυμαθέστατος, „ita vero ille: optarem certe plures in urbe „Pariſienſi Ballonios, qui in civitate fre- „quentiſſima & noſocomiis inſtructiſſi- „ma debita diligentia per dierum ſeriem „conſignaſſent & raros morborum even- „tus, & remediorum ſucceſſus, & obſer- „vata in morbidorum diſſectione. Hu- „jusmodi diaria & obſervationes centum „anthropologiis præferrem & quovis ære „redimerem.„ Idem vero G. C. SCHELHAMEEI, doctiſſimi viri, fuit deſiderium, utpote qui incremento artis medicæ proficuum maxime fore judicat, ſi viri exercitati & cordati, qui in curandis morbis conſeneſcunt, quid experientia ſua confirmatum viderint eorum, quæ ab Autoribus nobis commendantur, remediorum, nobis impertiant, quidque expectationem fefellerit. Satis enim ſuperque nobis eſt medicamentorum, ita ut laboremus ubertate, ſelectioni itaque ſtudendum, non ſimplici collectioni. Hoc enim pacto futurum eſt, ut illa, quæ memorata nobis eſt, per experientiam curandi ratio unice excolatur, adeoque habituri ſimus

Defens. Dub. de Lact. Thorac. contra Riol. c. 2.

Not. ad H. Conr. Intr. in Art. Med.

ſimus mox utramque viam expolitam & a ſentibus & offendiculis repurgatam. Quæ cum ita ſint, omnes, qui artis medicæ defectus ſupplendi flagrant deſiderio, ſibi dictum putabunt, id quod ad obſervationum calcem anatomicarum, facta ſimul therapevticarum, & chymicarum obſervationum ſpe, nunquam, quod conſtat, adimpletum omnibus artis filiis THEODORUS commendavit KERCKRINGIUS: "Vale, & ſi placet, etiam" talentum tibi ab altiſſimo creditum in" artem medicam augendam impende," patet ingens induſtriæ tuæ & omnium" area: nusquam utilius, quam in tuenda" mortalium ſalute mortalium vita im-" penditur, nec aliunde certiora" ſperanda immortalitatis" ſunt præmia.„ l. c. p. 201.



V.
DESIDERATA IN MATERIA MEDICA.

I.

DE materia nunc porro medica quando, ordine jubente, dicendum est, per tria, quæ vocantur, regna ut paulisper excurramus, &, quid in vegetabili, quid in minerali, quid denique in animali regno hodieque desideretur, ut sigillatim strictimque ostendamus, necesse erit, quo, & in hac artis parte non pauca dari desiderata, hiulca ac nondum satis explorata, plus quam imperiti credant, reddatur manifestum. Ac vegetabile quod audit regnum, alias uno Botanices nomine venit. In eo vero haud pauca quondam fuisse desiderata, vel inde judicemus licet, quod a temporibus GALENI & DIOSCORIDIS ad seculum usque proxime elapsum nullam fere Botanices factam fuisse accessionem, una cum J. B. HELMONTIO cordati quondam omnes conquesti sint.
Q. B. p. 618. Nam & S. PAULI in hoc studiorum genere

nere egregie verſatus, plures inter plantarum deſcriptiones ſatis accuratas de ſenna, notiſſima hodie planta, Græcis quondam nota, an Arabum potius ſtudio vires illius exploratæ fuerint, in medio relinquit, quamvis eorum potiores concedat eſſe partes, qui poſterius defendunt, cum MONARDO ratus, parum referre, ſcire, quo nomine a veteribus ſit nuncupata, modo ejus vires non ignoremus, quæ certe nobiles ſunt & efficaces. Ac Scorzoneram, lippis hodie p. 532.
& tonſoribus perſpectam cum radice plantam veterum cuiquam notam fuiſſe, ut ſint, qui defendant, & vel ad chondrillæ & tragopogi genera referant, vel cantabricam faciant, alios tamen rectius forſan ſentientes contrarium defendere exiſtimat, & primum, Mauro quodam autore, inclaruiſſe. Pinpinellam p. 478.
vero quo nomine veteres inſigniverint, incertum omnino eſſe, haud ſecus ac cum MATTHIOLO ingenue fatetur, p. 446.
pycnocomon Dioſcoridis inter herbas omnibus adhuc hodie incompertas referendum eſſe. Pyrethrum vero antimonium quoque appellari, nemo forte divinaverit, niſi ex Anonymi Commentario in DODONAEUM idem illud S.

PAULI

p. 497. PAULI memoriæ prodidiſſet, ſed hic, quis ſit ille autor, qui pyrethrum antimonium appellat, doceri ab Anonymo iſto cupit. Similiter & quando alyſſo egregias quondam adverſus morſus animalium venenatos vires adſcripſere veteres, dolendum merito cum M. B. VALENTINI, difficile eſſe diſcernere, quænam hodie planta alyſſon veteribus dicta ſit. Gummi quoque guttæ, notiſſimum hodie draſticum catharticum, alias gutta Jemou, & gutta gamandra dictum, ſi M. ETTMÜLLERUM audias, veteribus fuit incognitum, hodieque planta & fructus, unde derivetur certo ignoratur. Imprimis omni ſeculorum memoria a DIOSCORIDE, GALENO, aliisque, laudatiſſima ad panaritium, reduviam, ſeu paronychiam fuit herba, ob hoc ipſum adepta nomen paronychiæ, ſed quaſi invideretur tantum remedium, diſſenſus tot auctorum, quæ & qualis illa ſit, dubium reddit. Ut enim alias plures taceamus autorum hypotheſes, a MATTHIOLO pro ea exhibetur adianthum & paronychia altera, a DODONAEO paronychia alſine folio, & altera minor crenata, folio rutaceo, a LONICERO, MTFF, GESNERO, lunaria italica, ab hoc etiam lunaria

Prax. Chirurg. p. 897.

Comm. Schröder. Op. Ed. noviſſ. To. I. p. 639.

naria arthritica, cui contra MATTHIOLUM, utrique potius folia peplii attribuit. GLANDORPIUS & S. PAULI interim alſine folium DODONAEI & LOBELII ab experientia commendant, quam vero litem, hæc talia referens J. DOLÆUS, Encydop. Chir. fol. 745.
Botanicis dirimendam relinquit. Thea ipſa Chinenſis notiſſima hodie ſummæ & infimæ ſortis hominibus eſt planta, quamvis variæ ejus ſpecies thee bing, thee phiial, &c. nonæque notæ ſint, minusque conſtet, an, quæ hodie, præ vulgari & viridi, multis arridet, thee boet, & thee buuh dictæ, ab iſta, & qua ratione differat, & an ſponte ſua ita, ut ad nos adfertur, proveniat, an rebus variis aliis, extracto ſennæ, ſucco roſarum, violarum & ſimilibus, ad mentem nonnullorum præparata ſi non adulterata colorem & odorem haud ingratum referat, an vero ex foliis tenerrimæ ætatis, ex trienni frutice, velut omnium ætatum præſtantiſſimo, in fundo nobiliori ſuccreſcente colligatur, quemadmodum E. KAEMPFERUS fidem facit. Amœnit. Exot. Faſc. III. p. 614. Ignotus ante ipſum ejus uſus, qui fit attritu foliorum prævio, per univerſam Iaponiam uſitatus. p. 625. Magis vero ignotum, quod eodem autore doctiſſimo viri, & teſte αὐτόπτι theæ folia recentia ha-

habeant inebriandi ſive ſpiritus animales turbandi facultatem, quæ vis uſtione lenta & aſſidua expelli debeat, idque decem pluriumque menſium mora. Id quod licet multis incredibile ſit, non tamen impoſſibile, multo minus cachinno excipiendum videtur, cum & chamæleagnus ſeu myrtus brabantica, quæ a PAULI pro ipſa thea chinenſi venditatur, maniſeſta ejusmodi facultate inebriante polleat. De ſuccedaneis vero theæ cum alii aliter ſentiant, & veronica aliis, aliis teucrium, betonica, aut ſalvia, betula, roſa ſylveſtris, vitis idæa, aliis alia arrideant, ſiugulare eſt
p. 626. deſiderium laudati modo KAEMPFERI, hiſce conceptum verbis: "Non eſt ulla „planta mortalibus hactenus cognita, cu„jus infuſum vel decoctum tanta aſſum„ptum cipia ventriculum minus gravet, „æque facile ſecedat, & conſopitos ſpiri„tus tam celeriter excitare & recreare „valeat. Minus fortaſſe operam luſerit, „qui in plantis ob malignas qualitates „male nobis audientibus ſimile quid quæ„ſiverit, ſed rite prius corrigendis caſti„gandisque: cujus vero modum neſciunt „Europæi; quibus ejus genii ſtirpes adeo „ſunt inviſæ, ut, audito ſaltem nomine, „manum de tabula! infamen honori ſuo

pari-

parituri notam veneficii, si ad abstrusas"
talium vires curam impenderint. No-"
runt modum ingeniosi Brahmenes, qui"
daturam, qui papaver, & consimiles sui"
cœli plantas earumque partes narcoti-"
cas præparare, corrigere, ad inducendam"
oblivionem, discutiendam tristitiam,"
exhilarandum, & quaslibet ideas in ho-"
mine excitandas aptare, longa experien-"
tia edocti sunt, ,,

II.

Et quando ὁ πάνυ WEDELIUS præter alia plura divini plane ingenii documenta, de Moly Homeri, de Cirsio Dioscoridis, de Pane Dyrrhachino Julii Cæsaris, de Herbis Germanis Ovidii, de Oenanthe Theophrasti Eresii, de Holoconitide Hippocratis, de Resina Ægyptia Plauti, de Minio Lunari, de Sabina Scripturæ, deque Lignis Thyinis Apocalypseos selecta dedit lemmata, de Theseo vero Theophrasti Eresii, de Bulbo veterum, deque Thyo Homeri ita disputavit, ut postremo Sabinam, primo Rhabarbarum, atque Arum Maximum Ægyptiacum medio indigitari haud infeliciter adseruerit, non alium in finem id factum esse, opinemur licet, quam ut vir iste in omni eruditionis ambitu, in arte ac materia medica versatissi- Exercit. Med. Philol.

Y mus

mus palam faceret, quanti hic quoque adſint hiatus, quot quantique defectus, ſimul & viam ut præiret, quam in eruendis atque illuſtrandis his & ſimilibus ſimplicibus ſequi poſteritas deberet. Sacharum ipſum noſtras an veteribus innotuerit, & an idem ſit cum veterum Zuccaro, & melliformi in cannis concreto, poſt
d. Acidul. Op. P. II. p. 661. d. Sachar. §. 2. acres MANARDI, & VAL. CORDI, SALMASII item & VORSTII contentiones, ſi J. J. WALDSMIDIO & F. HOFFMANNO credimus, nondum conſtat ſatis. De Manna, & ipſa SALMASIO laudata, multum inter ſe diſcrepant eruditi, manifeſto documento, nondum rem omnem confectam, aut extra dubitationis poſitam eſſe aleam. Plura ejus dantur genera, quæ inter Perſica Granulata,
Itiuer. RAUWOLFIO autore ſemen coriandri referre, adeoque Iſraëlitarum eſſe manna creditur. Roris quidam productum eſſe
Obſ. Curioſ. volunt, alii cum SYLVIO BOCCONE noxias & virulentas eidem adſcribunt vires, cui ſi de recenti, pura & minus adulterata ſermo ſit, experientia reclamat, niſi
L. I. Ep. p. 256. 551. ſi C. PATINO adſerenti: eam, quæ ex Italia affertur, nihil aliud eſſe, quam ſacharum, mel & nonnihil ſcammonei, quæ vero Brigantio oriunda eſt, ſuccum tithymali &

& lathyris esse, adeoque exclamanti: il y a de la fourberie par tout; fidem habeamus. Sic & Ladanum quid sit, non novimus, nisi istud, quod a cysto & hirci caprarum lanis extrahi dicitur. Theophrasti vero Ladanum, quod e metallis extraxisse dicitur, nomen forsan fuit fictitium, cujus vires dum multum prædicat, tacet errores, quos in eo exhibendo commisit, quemadmodum ARAGOSUS ad CRATONEM perscripsit. Qui & ipse trium Imperatorum Archiater, quando Ambram, ad marina sigillatim referendam, sibi ab Augusta divi Maximiliani II. Conjuge, Maria, Caroli V. filia, dono datam, non sine demisso munificentiæ imperialis encomio refert, ejusdem quidem vires & proprietates valde extollit, sed talem vulgo non vendi, id vero est, desiderari, proh dolor! superaddit. Asphaltum vero in valle Sidon prope Babylon quondam repertum atque antiquis pluribus usibus impensum huc usque vix notum fuit, quod pice adulteretur, donec nostris temporibus in Ducatu Neocomensi repertum, & tanquam cæmentum naturale optimum commendatum est ab ERINI d'HETRINIS. Ac Succus Cyrenaicus, medicamentum, si MARTINO credimus

L.IV.Ep. p. 237. Edit. 8.

L.IV.Ep. p. 370.

Gen. VI. 14. XI. 3. diss. Gall. exc. in

Nov. Liter. Lipſ. KXVII. p. 651. mus LISTERO, diu deperditum eſt, & opoponax & ſagapenum, & quibusdam aſa fœtida illi ſuccedanea ſunt. Quin &, Comm. Med. Stat. Sanctor. p. 38. ſi MATTHIOLUM audias, ſtatuit is, opium vulgare nihil aliud eſſe, quam Dioſcoridis & Galeni Meconium, opium ergo veterum album læve deſiderari, hinc Ep. L. V. d. Somn. §. XLVI. plus quam ſit manifeſtum, ſicut J. TAPPIUS opportune advertit. Compoſitum ipſum exoticum, quod terræ Japonicæ ſeu catechu nomine in officinis proſtat, ex immaturo nucum areccæ ſucco conſtare creditur; Sed ipſas nuces maturas in ſubſtantia, quemadmodum in India Orientali uſu venit, huic compoſito longe præferendas eſſe exiſtimat, & ut areccæ arboris nuces in officinis, ſicut nuces moſchatæ, Annal. Phyſ. Med. 1719. Oct. p. 456. proſtarent, optat J. G. SIEGESBECK. Quin & Balſamum ipſum verum, alias opobalſamum dictum, an adhuc haberi queat, atque in noſtris myropoliis extet, non immerito quæritur. Negativam enim quondam Romæ in ſe ſuſcipiebat tota Societas Aromatariorum, ut ab Antonio Manfredo atque Vincentio Panutio elaboratam Theriacam, ob admixtum d. Ther. p. 31. ſpurium opobalſamum, rejiceret T. BARTHOLINUS, loco veri balſami non niſi Peruvianum relictum eſſe ſcribens;

M.

M. ETTMüLLERUS vero iſtud ideo non amplius in noſtris regionibus extare cenſet, quia in loco natali adeo rarum eſt, ut manibus ſaltem magnatum volvatur, & non amplius pondus ejus in loco natali ad duplum argenti vendatur, ut Dioſcoridis tempore fiebat, ſed potius teſte Cluſio uncia una modo decem, modo viginti ducatis redimi debeat. Sed, ut J. G. VOLCKAMERO teſte, Aromatariis a CASTELLO & VESLINGIO, quos ipſi arbitros, ad dirimendam cum Manfredo atque Panutio agitatam controverſiam elegerant, ſufficienter reſponſum & exiſtentia veri opobalſami oſtenſa eſt; ita nec raritas nec caritas hujus medicamenti obſtat, quominus hodie ejus participes fiamus; ſicut optime advertit Cl. SLEVOGTIUS, quo eodem judice, id quod vulgo Opobalſamum ſiccum in officinis audit, non ex Iudæa aut Arabia felici, ut liquidum, ſed ex India Orientali venit, & reſolutione præterea teſte, factitium quid eſt ex benzoë, therebintina, vel potius pice communi cum oleo aliquo deſtillato comparatum. Videlicet magnam philologiæ & artis criticæ in nominibus materiæ medicæ eſſe utilitatem, eandem vero in pleriſque deſiderari, in aprico eſt,

Not. Schröd.

in Moſio nard. p. 103.

Exam. opobalſ.

d. Opobalſ. p. 5.

p. 7.

ipſo vero opere revera id demonſtrarunt JULIUS CAESAR SCALIGER, BODAEUS a STAPEL, JOANNES LANGIUS, CASPAR HOFFMANNUS, GEORGIUS WOLFFGANGUS WEIDELIUS & CLAUDIUS inprimis SALMASIUS, qui quanta latinorum circa herbarum ſcientiam a Græcis aceptam negligentia fuerit, vel ex eorum antiquis grammaticis colligi poſſe putat, qui in illorum expoſitione eam ubique inſcitiam produnt, ut omnia miſceant, & indiſcreta habeant. Quod præcipue faciunt, cum græca nomina florum per latina, quæ reſpondeant, interpretari conantur, aut, cum in Græcia quærunt vocabula, quibus latinæ appellationes conveniunt, & talia infinita, prodentia inſcitiam temporum illorum circa rem herbariam, pro ſynonymis plerumque habent, quæ homonyma ſunt, & pro homonymis ſynonyma paſſim proponunt.

Comm. in Theophraſt. de Plantis. Epiſtol. Med. Var. Lect. & d. Medic. officinal. l. c. Homon. Hyles. Iatr.

prolegom. p. 16.

III.

A nominibus autem ad rem ipſam propius paulo accedentes, deprehendimus non paucos, qui Botanicam ad ſummam fere ἀκμὴν evectam eſſe perhibent, poſteaquam noſtro & ſuperiori ævo, incredibili virorum eruditiſſimorum ſtudio om-

omnes plantarum ſpecies ad certa genera claſſesque redactæ, & peculiares ſingulis characteres aſſignatæ ſunt. At enimvero, ut eo nomine J. RAIUM, R. MORISONEM, J. P. TOURNEFORTIUM, J. G. VOLCKAMERUM, P. HERMANNUM, P. AMMANNUM, A. Q. RIVINUM, alios, minime ſugillandos, ſed digno quemvis elogio, omnino ornandum eſſe, arbitramur; ita non deſunt, qui cum B. ALBINO rem botanicam merum apparatum, qui multum commoditatis, utilitatis parum dedit, appellare non erubeſcunt: cui, qui herbas per totum terrarum orbem diſperſas per mille pericula & labores conquirunt, earum characteres inveſtigant, & juxta eos in claſſes diſtribuunt, homini, cujus ſumma ſapientia eſſet legere & ſcribere, &, qui in palatium, per cujus omnes angulos ſine ordine diſperſa decem mille volumina omnis eruditionis & litteraturæ jacerent, introduceretur, illique id negotium daretur, ut libros in ordinem redigeret, comparandi videntur. Qui, ſi conquiſitis omnibus, theologicos a juridicis, utrosque a medicis, omnes a philoſophis diſtingueret, ſi ſingulas claſſes in alias vel per ſectas, vel per materiæ affinita-

tes ex inſpectis titulis divideret, certe operæ pretium feciſſet, Bibliothecam ad uſus optime ordinaſſet, ut libros quoscunque in ordine reperire, & novos ſuo loco reponere poſſet, ignoraret tamen, quid in libris contineretur, qui boni, qui mali, qui eruditi, qui triobolares eſſent, nec ipſe vel hilum doctior evaſiſſet. Sed quæſo in ordinandis decem mille herbis numquid aliud præſtitum eſt? externos plantarum characteres novimus virtutum ignari, ſed hæ ſunt, quibus non ſolum opus habemus, ſed egemus. Non me fugit, pergit ille, ex characteribus ad virtutum cognitionem regulas generales botanicos formare, ſed, quæ in charactere conveniunt, viribus ſæpe differunt. Quo poſtremo in argumento cum elegantis ingenii Medicum F. J. CAMERARIUM occupatum fuiſſe, conſtet, laudandos patet eſſe viri præſtantiſſimi optimos conatus, in quibus plura etiam, & tot fere deſiderantur capita, quot in ſignaturis herbarum, & virtutibus inde ad mentem CROLLII, CARRICHTERI aliorumque eruendis, atque æſtimandis offenduntur. Vera ut dixerit J. M. LANGIUS, ſequentem locutus in modum: „ Ambitioſi diſcurſus ex Hiſtoria

Or. d. Incr & Statu A. M. Sec. XVII. p. 51. 52. Et Annal. phyſ. Med. 1618 Feb. p 723. de Conven. plant in fructif. & flor.

Inſtit. Paſtoral. præfat.

ria Naturali, nomina ex plantarum ca-"
talogis, ſigna ex florum & ſeminum ex-"
ternis differentiis, obſervationes ex col-"
legiis curioſis & ſimilia elegantiora ſtu-"
dia non faciunt bonum Medicum, ſed"
eruditum de re medica philoſophum."

IV.

Sed miſſo vegetabili, ad minerale accedamus regnum, ordo jubet. Quid vero mirabimur, minerale univerſum fere, utpote telluris ſuæ viſceribus immerſum tenebriſque abſconditum, ignorari pene, cujus & formæ ſunt incertæ, & inſtabiles, ſeminia vero ipſa ita plane inenarrabilia, ut &, qui per ignem philoſophi audiunt, præter quaſdam caliginoſas loquendi formulas parum nobis liquidi ſincerique propinarint. Longe itaque hic eſt operoſior naturæ inveſtigatio, quam in partibus reliquis. Longe & magis neceſſarium, ut opinionibus placitiſque doctorum relictis ad naturam ipſam nos convertamus, quemadmodum in ACTIS LITTERARIIS SUECIAE appoſite ſcriptum deprehendimus. In hujus limine mox Cinnabarin offendimus, quæ, ut nemine contradicente ad mineralium ſpectat familiam, ita CLAUDIO autore SALMASIO aliud

1720. Tri. IX. p. 1.

 fuit

fuit veterum Cinnabari, quod & ipsum nomen circa varias res fluctuavit; ad mentem enim nonnullorum, gummi fuit arboris peregrinæ, quidam minium vocarunt. Ac Theophrasti κιννάβαρι sil est Atticum, quod Pictoribus magno fuit usui, & magno pretio emptum. Quæ cum ita sint, ad desiderata, ad deperdita referendum esse hoc veterum Cinnabari, nullum videtur superesse dubium. Sed salva res est, cum ex DIOSCORIDE & PLINIO constet, non nisi sanguinem draconis, rem hodie notissimam simul & utilissimam, hoc ipso vocabulo indigitari. Nitrum veterum cum a nostrati natura viribusque multum fuerit diversum, ad res deperditas, & quas multi hactenus sed frustra desiderarunt, ὁμοθυμαδὸν relatum est .donec novissimis temporibus summi in arte duumviri, G. C. SCHELHAMERUS, & J. G. BERGERUS contrarium, & nitrum istud veterum hodieque dari reapse, ille quidem Aleppi, Smyrnæ, Alexandriæ, Aegypti; hic vero præter Asiam & in EUROPA, ipsaque Germania, ac variis Boiemiæ & Saxoniæ locis, in thermis inprimis Carolinis, inque cellis ædium suarum, & nusquam quidem non, sed copia alibi majori,

l. c. c. CV. p. 173.

d. Nitro p. 63.

d. Therm. Carol. p. 38.

majori, alibi minori, hic magis, ibi minus purum, fixum pariter & volatile cum intra terram, tum extra eam, in rupibus, parietibus, campis & convallibus, antris item & cellis, locisque aliis nasci, præclare admodum demonstrarunt. Nitrum vero vulgare nostras, regno minerali conmuniter, nec abs re adscribi videas. Sed idem ex animali pariter & vegetabili parari posse, autoritate non minus quam rerum usu edoctus egregie ostendit J. W. CREUDERUS. Diss. d. Nitro. Duisb. 1723. Idem & factitium nonnullis audit, & nativo isti natales debet, & secundum alios totum est igneum, sulphure saltem copioso gaudet, & nihilominus insigni pollet refrigerandi virtute. Ad hoc vero deducto sermone, SCHELHAMERUS p. 162. modum istum, quo hæc refrigerandi vis in natura succedat, eique impertiatur, cum & sal pelluceat, & tamen potius calefaciat, aperte satis dici atque explicari non posse existimat, sed in ipsa illa temperatura & occulta lege, qua summus Architectus omnia producit, abscondita ipsi videtur. "Quod in-" p. 163. genue, inquit, fateri, & modeste quædam" ignorare malo, quam hodiernorum ple-" rorumque more incertis conjecturis mi-" hi aliisq; imponere, & cum ratione insa-"

nire.

„nire. Scilicet hæc ſunt iſta arcana, quæ „nos latere voluit Divinum Numen, nec „cuiquam intima rerum penetralia adire, „ipſiusque eſſentiæ conſtituendæ ratio- „nem introſpicere fecit poteſtatem, quo „& in iis, quæ perſpicimus, ſapientiam „ejus, & quæ attingere non poſſumus, no- „ſtram imbecillitatem agnoſcamus. „

V.

Huc & Chryſocolla pertinet veterum, quæ Arabibus tincar, vel tincal, barbare borax ab Arabico baurac, ſive borac, quod eſt nitrum, nuncupatur: quippe, ſi BERGERUM audias, hoc idem illud nitrum eſt foſſile, a partibus viſcoſis arte perpurgatum, atque in cryſtallos redactum puriores. Nativum vero iſtud ſal cum ad rariora, adeoque ad deſiderata plerumque referendum videatur, id, quod vulgo in officinis proſtat, factitium eſt, quod licet juxta E. KÖNIGIUM ex urina puerorum cum nitro mixta, ROSINO vero LENTILIO autore ex lacte vaccino & melle deſpumato cum nitro permixtis componi atque elaborari credatur; longe tamen diverſa a G. E. STAHLIO docemur, quippe qui borracem ex croco antimonii paratum publico communicavit, juſta ut ſit ſuſpicio, borracis confectionem non magis

l. c. p. 30.

Regn. Mineral. p. 328.

E. G. D. N. A. 3. p. 513.

Spec. Becher. p. 203.

magis certam esse atque apertam, ac qua ratione sal paretur ammoniacum, & utriusque elaborationem tum alibi locorum, tum Venetiis inprimis in arcanis servari. Hoc enimvero sal maxime polychrestum ex urina, fuligine & sale communi vulgo parari existimatur. CAROLUS vero MUSITANUS sanguini humano & bovino cum aqua simplici mixto originem id atque natales debere, adserit. Nativum vero sal ammoniacum a PLINIO descriptum hodie in officinis desideratur, copiose quamvis reperiatur in Aetnæ & Vesuvii montis confiniis & collibus Leucogris prope Puteolos in Italia. Nam & CAROLUS FRACASSATUS, philosophum quendam per agrum Neapolitanum iter facientem sal ammoniacum reperisse, & ad serenissimi Magni Ducis Hetruriæ aulam attulisse, ubi ipso coram præsente, institutis experimentis, omnibus omnino requisitis satisfecerit, autor est, sicut a F. HOFFMANNO relatum accepimus. De Bolo Würtenbergico quod subortum est dubium R. LENTILIO & desideratum, leve quamvis appareat, non tamen prætermittendum videtur. Hujus enim licet penes plerosque materiæ scriptores medicæ

d. Luc ven. p. 115.

Not. ad Poter. p. 535.

Eteodr. Med. Pr. p. 970.

dicæ mentio fiat, ex qua tamen provincia Ducatus illa eruatur, altum ubique est silentium, imo hodie illam ubicunque erutam Francofurtum vehi, nemini per somnium notum. Necesse tamen existimat, id olim factum esse, tractuque temporis, fortasse bellorum injuria, venisse in desvetudinem. Auripigmentum vero, pro arsenico citrino hactenus habitum, adeoque venenorum in classem relatum, ab hoc crimine FRIDERICUS absolvit HOFFMANNUS, & factitium esse, ostendit.

Med. Consult. p. I. Dec. V. Cas. VI p. 250.

VI.

In metallorum sigillatim classe aurichalcum non venit prætermittendum, utpote aliquando, licet rarius, usibus medicis impensum. Hoc licet PLINIUS alicubi scriptum reliquerit, sua ætate non amplius reperiri solitum, & jam pridem defecisse, tamen & posteriores PLINIO autores, ut SALMASIUS observat, aurichalcum nominarunt, ac de eo locuti sunt tanquam de re, quæ etiam extaret, & in usu versaretur suo ævo. Quod & PLAUTUS testatur, de re admodum cara passim scribens, eam orichalco contra caram esse, & majus orichalco pretium statuens, quam talento auri.

l. c. p. 230.

Hodie

Hodie quod extat, orichalcum, omne fere facticium & artificiosum est, ex ære constat, cadmia fossili tincto, ob quam colorem illum aureum consequitur. Ac licet VIRGILIUS albi orichalci mentionem faciat: ipse dehinc auro squallen-,, tem,alboque orichalco; non tamen nisi,, respectu auri, majori flavedine splendentis, vel æris in se considerati,vel additæ tutiæ, quæ juxta FALLOPIUM quandoque candicat, alias vero in luteo albescens est, cum J. TALENTONO factum esse, existimemus licet. Qui & ipse, nativum & fossile orichalcum etiam alicubi reperiri, arbitratur, quo impulsi fuerint homines, cum diligenti ratione, ut aliquod & simile cogitarent, cujusmodi est illud facticium. Sed a G. PANCIROLLO & aurichalcum nativum, quod ex ære constat, & auro est simile, simul & æs Corinthiacum, ingentis pariter pretii, ac ferri quoddam genus, quod Azzalum & Indicum appellabatur, & omnium erat nobilissimum, ad deperdita pridem, id vero est, desiderata, relatum est.

L. 12. Æneid.

Recondit. Rer. L.I. C. X.

de Reb. deperd Tit. VIII. XXXIV. XIII.

VII.

Regnum denique Animale quod attinet, hujus occasione vires simul & facultates medicamentorum una atque eadem opera explorare licebit, utpote in nullo

nullo reguo fabularum pene anilium, dubiorum desideratorum major offenditur copia, frequentior visitur abusus. Ad hoc communiter referuntur, & insectorum in classe collocantur Cochinilia, quamvis originem & quidditatem eorundem valde adhuc dubiam & obscuram esse a
Diff. de C. J. LANGIO & in ANNALIBUS
Cohinili PHYSICO-MEDICIS, variis eam in rem
1722. Jun. argumentis & experimentis in medium
p. 638.
1724. Jan. productis, præclare admodum ostensum
p. 86. sit. Eodemq; loco vera spermatis ceti originem hactenus satis obscuram in aprico positam offendimus. Moschi vero quod attinet ortum, eum variis ex fontibus ut varii derivent, non desunt tamen, qui cum
Lex. Med J. P. BRUNONE in re dubia ἐπέχειν am-
p. 608. plecti satius ducunt. Sic Cervus, forsan ob longævitatem, & quod herbis vescitur balsamicis, halituque suo serpentes e latibulis protrahere creditur, totus dicitur alexipharmacus, cujus tamen dicterii va-
P. P. de nitatem Cl. STAHLIUS egregie demon-
Criter. stravit. De partibus vero animalium, quibus in corpore humano magna passim
Censur. vis adscribitur, doctissimum RIVINUM
Medt. audire juvabit, sequentem in modum,
officinal, quid sentiat, exponentem: Si ventriculus ventriculum sanat, si jecur comestum in mor-

morbis hepatis, si quid pulmones va-" lent in affectibus pectoris, satius erit," præparare illos in culina, quam offici-" na.,, Ita ungula alcis ob virtutem laudatur epilepticam, eo quod animal simili morbo laborans ungulam auri ingruente paroxysmo immittere, seque adeo ab eodem præservare creditur. Ast vana esse omnia & superstitiosa, hæc, quæ ANDREAS DUDITHIUS ad PETRUM scripsit MONAVIUM, satis in aprico ponunt: " Dedit mihi Sigismundus Augustus, Rex Poloniæ, integrum pedem" posteriorem dextrum animantis illius" a se cæsi eo ipso tempore, quo dextram" aurem ungue pedis illius scalperet, quod" quidem tempus fuit inter duos divæ vir-" ginis Mariæ festos dies immediate se" consequentes interjectum. Nam hæc" omnia religiose observanda dicunt, si" unguis ille, quod creditur vulgo, effi-" cere debet. Totum in multa frusta" concisum distribui amicis, nemo ta-" men unquam adjutus est; expertus ego" sum in aliquot comitialibus frustra," quæsivi ex infinitis, fabulas esse, com-" peri. Quæ ratio igitur est, ut tantum" morbum tam leviusculo amuleto profli-" gari credamus? Idem ipse de lapide"

ep. Craton. L. VI. p. 573.

Ætite poſtquam narraſſet, uxoris parturientis utrique femori alligatum eſſe feliciter, equidem, pergit, „non magnam „hujusmodi medicinis fidem adjungere „ſoleo multis de cauſis, tum experientia „ipſa etiam adductus, etſi non neſcio, eos „quoque, qui plenam hujus generis reme„diis fidem habent, eandem experienti„am jactitare, quibus ego idem, quod „Aſtrologis reſpondeo: ſi ab experientia „teſtimonium ſit petendum, cauſa eos ca„dere. Uni enim alicui experimento, „quod ex illorum ſententia forte ceſſit, „mille alia opponere poſſum, in quibus „ſpe inani, nullo fructu conſequente, ho„mines ſuperſtitioſi eluduntur. De cor„de leporis idem fere judico, quod de „multis, quæ ab occulta proprietate mi„rabilia quædam in certis morbis paſſim „efficere affirmantur, quæ ipſa quoque ſi „quis diligenter obſervet, majore ex par„te commentitia experietur. Quod ve„ro addis de numero ternario, ſi quid „effectum eſt, id equidem nulli numero, „ſed potius aliis tribuendum cenſeo.
l. c. L. V. p. 300. „Quid, obſecro, in numeris virium in„eſſe poteſt per ſe, quod efficacitatem ha„beat? ortum id eſt totum ex Pythagori-

ca

ca illa ſuperſtitione, & ad noſtram usque"
ætatem propagatum. „

VIII.

Ac quod ad bezoar lapidem attinet, eum Brutus ajebat Luſitanus apud Indos in maſcularum caprarum non ſtomachis aut cordibus, aut oculis, contra quam alii volunt, ſed veſiculis fellis naſci. Sed cur, quærit idem ille doctiſſimus Vir, cur inquam, tam parva quantitate medicamentum hoc corroborans ac alexipharmacum, & quaſi trepidanter ſumitur, omnibus ſuis facultatibus, ut putatur, innocuum. An vero Luſitano illi Medico accedendum putas, qui in India aliquot annos degit, & a Regulis ipſis ibi lapidis hujus drachmam unam ad expurgandam inferne bilem atram ſumi aſſerit? Hæc, inquam, ſi corollarii vice ſuperioribus addimus, apparebit liquido, quam iſti non univerſi tantum inter ſe, ſed ſinguli etiam ſecum reipſa diſſideant. Quid vero ego mecum, dum iſta audivi, diſcedo incertior, quam prior, ut Terentianus ille ajebat. Ut taceamus, id quod ibidem ab l.c.p.292. ipſo CRATONE relatum legitur, ut am- p. 237. bram veram, ita & bezoar verum vulgo non vendi, & ingentem eſſe ſuſpicionem mangonii, ſi rariorem ejus proventum,

& frequentiſſimum vel ſaltem longe lateque patentem uſum conſideremus, omnesque eidem adſcriptas vires a vilioribus & ubivis obviis toto die obſervari, G. H. BOEHME opportune id advertente. Videlicet his & ſimilibus pretioſis, auro, gemmis & margaritis ſuum aſſignatum eſſe pretium, diu ante, quam de uſu interno cogitare quisquam cœpit, æque eſt certum, ac per experientiam de iis conſtat, nihilo plus in medendo prodeſſe, quam viliſſima quævis, & ad pompam tantum & vanam artis oſtentationem comparata eſſe. Fertur opulentioris ruſtici filius patri ſuo ægrotanti paſſerculum canarienſem, qui ad fiſtulæ imitationem cantare didicerat, duodecim Ungaris emtum ad manducandum appoſuiſſe recreationis ergo. Hic vero deguſtans rariſſimam aviculam, cum nullam hinc ſentit virium inſtaurationem, ah, inquit, mi fili, deceptus es, ſi quæ virtus in pretio eſt, cur non aureos nummos dediſti ad devorandum, continuare namque illorum uſum potuisſem, quousque libuerit. Sed nec aurum, credo, & ſi quæ adhuc pretioſiora ſunt, quicquam juvant, alias nullus moreretur Princeps, nemo in orbe novo, ubi aurum & argentum, gemmæ & margaritæ tam vul-

Diſſ. d. error. circa med. §. 25. Duisb. 1709.

vulgares esse dicuntur, quam apud nos silices fluviatiles in ripa, optime ut judicat A. Q. RIVINUS, inque eo multos præter alios H. HEINRICI ὁμόψηφον per omnia habet.

l. c. C. V. §. 4. d. Sinistro Morb. Eventu p. 32.

IX.

Nam & exotica ista & peregrina auxilia, in quibus sollicite ex omnibus orbis angulis conquirendis nimii sunt non pauci, judice SALMASIO, operosiorem faciunt, difficiliorem, quæstuosiorem, " atque etiam, ut ita dicam, pompatio-" rem, non tamen aliam medendi artem." Hæc vero & ipsa magna ex parte nobis ignota sunt, ut R. LENTILIUS ingenue fatetur. "Quo eodem autore, remedia" nova, quæ maximis encomiis in orbem" ebuccinantur, ætatem non ferunt, sed" prius plerumque quam ipsi buccinató-" res intercidunt, & raro se magnificis ef-" fectibus commendant. „ Elegans sane circa hæc & similia JO. BARCLAII est desiderium cum hac combinatum querela: Permulta in solo nostro nata negligimus," quæ, si portentosa servaret Ægyptus, aut" Græcia miraculorum ferax, singula jam" dudum lustrassemus, longinquiorum ni-" mis curiosi. „ Quæ eadem mens fuit J. BEVEROVICII, J. C. DEREBECQVE, T. BAR-

l. c. prolegom. p. 14.

l. c. p. 866.

p. 1284.

Euph. Satyr. p. V. p. 311.

Αυτάρκεια Bataviæ

Med. Helvet. Prodr. Med. Danor. Domest. de usu Plant. Indigeno d præstantia medt. domest.

THOLINI, O. BORRICHII, & F. HOFFMANNI; simplicem atque indigenam, inemptam domesticamque medicinam civibus suis, Batavis, Helvetis, Danis, Germanis commendantium, & exoticis longissime præferentium, ea in re, veram gentis cujusvis ἀυτάρκειαν positam esse, rati. Sed vero hæc quoque CATONIS fuit medicina, qua se & conjugem usque ad longam senectutem perduxerat, professus, & commentarium sibi esse, quo medebatur filio, servis, familiaribus, simplicem intelligens medendi rationem, quæ herbis ubique nascentibus & ad manum paratis usa, præsidia sanitati conciliabat, quam privatus quisque propriis olim experimentis aut alienis edoctus sibi faciebat & suis, ut a SALMASIO iterum memoriæ est proditum. "Simplicissimus enimvero medicamentorum usus, autore J. CRATONE, est rectissimus, & legimus apud scientiæ nostræ magistrum præclarum, scelus esse, uti compositis, cum simplicia satis adjumenti adferre possunt." Quo quidem loco opportune J. LANGII recordamur, qui, quid de medicamentis simplicioribus, quid de magis compositis sentiat, quidque circa eadem desideret, verbis, quæ se-

l. c. p. 13.

Conf. II. L. II. p. 15.

L. I. Ep. 76.

ſequuntur, elegantiſſimis prodidit: No-"
ſtri doctorculi, pharmacopæi, nulla ra-"
rione, nulla denique indicationum me-"
thodo coacervatis ſcrupulatim omni-"
um electuariorum, quæ obſcurum illud"
luminare majus continet, pulviſculis,"
ad oſtentationem pharmaca cujusvis ge-"
neris componunt; unde remediorum"
bonitas & præſtantia non ab artificio"
compoſitionis, & medicamentorum vi-"
ribus, ſed ſaltem a numero ſimplicium"
æſtimatur: & quo quis plura, ut arena"
ſine calce, cohærentia, in unum phar-"
macum vel deeoctum congeſſerit, tanto"
ſibi ipſi doctior eſſe videtur: quum pro-"
tritum teſtetur adagium, eos graviter"
delinquere, ego vero dico, deſipere, qui"
pluribus aliquid expediunt, quod pau-"
cioribus tranſigi poſſet.„ Imo vero hoc
deſideratum in materia medica eſſe pal-
marium, qua illa Augiæ ſtabulo æquipa-
ratur, quod nimio apparatu, & copioſa
nimis farragine laborat, adeoque refor- Pharma-
matione & expurgatione indiget, haud copol. &
obſcurum amplius illis eſſe poteſt, qui J. B. Diſpen-
HELMONTII, D. LUDOVICI, & A. Q. RI- ſat. Mod.
VINI labores vel e longinquo ſalutavit, Pharmac.
eorumque querelas, ſuſpiria & deſideria mod. ſe-
vel fando accepit, vel æqua judicii trutina cul. appl.
examinavit. Cenſura Medt. officinal.

X.

Venena demum quod attinet, quæ & ipſa ad materiam referuntur medicam, non, ut auxilium inde petamus, ſed, ut indole eorum cognita mederi iisdem poſſimus, ab iis quidem plane vocantur in dubium, qui perſuaſum ſibi habent, venena eſſe corpora naturalia, in ſe quidem & a Natura incontaminata & innoxia, imo in uſus hominum ſalutares a Deo condita, qualitatibus tamen maxime operoſis prædita, eoque nomine, quando ſcilicet quantitate & modo minus decente uſurpantur, animalibus homini que infeſta: rectius tamen forſan cum aliis affirmabimus, conceptu quodam generali omnibusque univoce competente venena exprimere velle, rem eſſe ferme impoſſibilem, ſaltim difficilem, tum ob unius ejusdemque veneni variam operandi rationem, tum etiam ob inſignem venenorum varietatem. Tam infinitam vero venenorum tota natura diſcrepantium varietatem, dum repetita vice oculis noſtris ſiſtimus, non poſſumus ſatis mirari illorum vel audaciam, qui præſervans quoddam univerſale deſiderant, vel credulitatem, qui ejusmodi in rerum univerſitate inveniri poſſe, ſibi

aliis-

aliisque persuadent. Horum in numero tum omnes isti, qui peculiares laudant antidotos, ac bezoardicis atque alexipharmacis ingens & nimium fere pretium statuunt, tum Mithridates inprimis fuit, quippe qui inter regias felicitates, quibus frui videbatur, perpetuis angebatur curis, ne venenatum poculum mortem adferret. Erat is enim, si A. GELLIO habenda fides, Ponti & Bithyniæ Rex potentissimus, qui duas & viginti gentes sub ditione habebat, bello plerasque devictas. Harum itaque invidiam & internecinum metuens odium, assiduo medelarum, quæ veneno resistunt, usu a clandestinis epularum insidiis cavit, eoque ipso effecit, ut non solum ab aliorum poculis venenatis manserit tutus, sed & sciens quoque ultro & ostentandi gratia venenum rapidum & velox sine noxa hauserit. Sed dolendum summopere, quod adhuc dum nesciamus, qualis sigillatim illa medicina fuerit, cujus quotidiano & frequenti usu Mithridatis temperamentum habitusque & constitutio reddita fuerit alexipharmaca, omnibusque venenis, etiam potentissimis illis, quibus filiæ Regis enectæ sunt, contraria & inimica. Nimirum, ut medici-

nam dari univerſalem, omnes omnino morbos ſanantem, ipſis Naturæ regulis repugnat; ſic pariter, quod ab omni præſervaret veneno medicamentum, in easdem impingeret, illisque contrarietur, eſt neceſſarium. Atque adeo exulat Mithridatium, æque ac ſuppar ejus Theriaca, quippe quæ præterea, quod ſudores moveant, & propter opium, quod recipiunt, vigilias atque dolores ſedent, parum vel nihil præſtant ac efficiunt, inconcinnæ cæteroquin, prout nunc diſpenſantur formulæ, ex ingenti ſimplicium, quæ HOFFMANNO judice numeravit, non penſitavit autor, ſæpe directe invicem pugnantium ſylva congeſtæ. Accedit & illud, quod ſimplicia, quibus Theriacæ & Mithridatii inventores in compoſitionibus iſtis uſi ſunt, ex parte hodie ignorantur, ex parte vero reperiri non poſſunt, quemadmodum poſt H. CONRINGIUM in vera theriacæ confectione quinque deſiderantem momenta, J. H. HEUCHERUS præclare animadvertit. Utrumque nempe medicamentorum genus ex ipſa antiquitate ad noſtra usque tempora derivatum in officinis licet conſervetur, & magno non raro apparatu diſpenſetur, non magis tamen de vera Mithridatis, ſi unquam

Intr. A. M. XI. 8. Mithrid. II. IV. XII. XXXVII.

extitit, conſtat antidoto, quam cujus fuerit generis, indolis atque naturæ medicamentum Alexandro Magno a PHILIPPO Medico propinatum, & magna ipſius fiducia, ringente quamlibet invidia hauſtum, atque ad catharticorum an diaphoreticorum claſſem referri debeat, quod cæteroquin argumentum AUGUSTINUS THONERUS, Medicus Auguſtanus, utramque in partem erudite diſceptavit. L. VI. Ep. VII. XI.

XI.

Nam & ELIA judice CAMERARIO, multa bezoardica dicuntur, quæ non ſunt, multa ſunt & non dicuntur. Horum vero ſimul & reliquorum modum operandi medicamentorum haud felicius exactiusve ad mentem ipſius determinaveris, ſive primas, ſive ſecundas, aut mechanicas in ſubſidium vocaveris qualitates: nam & multum debemus microſcopio, plus igni chymico, multa innotuerunt per variorum connubia liquorum, maxime ſalinorum, multum cognitioni virium medicamentorum inde acceſſit lucis, ſed minima tamen illa alba caligine merſa manent, poſt omnia microſcopia ac tentamina chymicorum. Tria inprimis ſunt, dixit G. FALLOPIUS, quæ valde turbant mentem meam, primum magnes, ſecun- Syſt. Cautel. Med. p. 438. p. 427.

cundum medicamentum expurgans, tertium hydrargyrum, in quo obſervo miracula Naturæ. Ac quod purgantia ſigillatim attinet, eorum efficacia & operandi ratio ab acrimonia vulgo ſalina ut derivetur, plura tamen majori acredine prædita nulla gaudere virtute cathartica, conſtat, juſtam ut habuerit cauſam doctiſſimus STAHLIUS, determinatam illam in canalem inteſtinorum energiam, quæ in purgantibus ipſaque viſitur dyſenteria, ἄῤῥητόν τι appellandi. PAULUS vero AMMANNUS ingenue, ut ſolet, quæſtionem de modo operandi purgantium, ut & aliorum medicamentorum indeterminabilem pronunciat.

d. dyſenter.

Paræneſ. ad Diſc. p. 329.

XII.

De modo vero ut ſit, & operandi ratione, hiſce fortaſſis absque ſingulari careremus incommodo, modo de re ipſa conſtaret, & medicamenta adeſſent certa, quæ capiti, quæ pectori, quæ ſingulis demum membris languentibus haud dubiam ſponderent opem & re ipſa præſtarent. Sed, quemadmodum GALENUS, ſuo jam tempore quoſdam riſiſſe topica medicamenta ſcribit, quærentes, „utrum præſes quidam iis imperet, ut in „tragœdia: abi tu quidem flumina ipſa „ad Inachi, Thebas ad age tu pergito Cadmeas;

de Comp. Medt. J. G. L. I.

meas; ſic in his: tu ad hepatis portas"
aut ad veſicam vel renes proficiſcere,ita"
nec noſtris temporibus vanas patet eſſe
cogitationes & deſiderata A. Q. RIVINI, l. c. & d.
F. HOFFMANNI, & M. ALBERTI, id Medt.
exoptantium, ut præſidia iſta, quæ in dubio
libris ſtupendos promittunt effectus, & effectu
mirum in morbis omnibus a capite ad d. Medt.
calcem uſque pollicentur auxilium, id Inſecur.
quod promittunt, revera effectui darent, Dubia
neque ſpem medentum atque languen- Vexata
tium adeo frequenter fallerent, utinam Mat.
non plura in iisdem eſſent aliena, ſordi- Med.
da, ſpuria, ſuperſtitioſa, minus ſecura,
infida, medicamenta? Sed quot hic de-
prehendimus defectus, quantos hiatus,
quot dubia, quot deſiderata, tot certe,
ut ſi eadem juſtò ordine recenſere aggre-
deremur, charta nos citius tempusque,
quam dicendi deficeret materies: In-
genioſus ut Gallicorum Comicus, MO- Malad.
LIERE, quem Medico-Maſtigen non- Imag. p.
nulli appellant, hæc talia ſalſe riſerit, & 90.
fabulis Romanenſibus æquiparare non
dubitaverit, quæcunque de viribus medi-
camentorum magna vulgo fiducia in me-
dium proferuntur. Adeo parum certi
de viribus conſtat ſimplicium, nedum
compoſitorum, veris genuinis, & neuti-
quam

quam fictis, ut alii quidem de illarum in-
1. c.X.36. vestigatione ferme desperent cum H. CONRINGIO ita scribente: "Verum „enim vero hactenus sane ad eam perfe- „ctionem Ars Medica nondum pervenit. „Plurimarum enim, imo infinitarum stir- „pium facultates hactenus quidem nos „latent; quin imo illa artis perfectio hu- „mani ingenii viribus nunquam videtur „impetranda;„ alii ex adverso nunc de- mum huic studio incumbendum majori, 1719. Mart. p. 347. & viribus simplicium eruendis invigilandum esse, eorumque ad mentem & normam NATURAE CURIOSORUM, 1720. Jan. p. 111. ANNALIUM item PHYSICO-MEDICARUM, 1722. Novembr. p. 580. instituenda esse examina, svadeant, exoptent, desiderent.

XIII.

Nemini ut mirum videatur, quare præter alia, Historiam nempe zoophytorum, Historiam plantarum exoticarum, theatrum plantarum universale, ostracographiam absolutam, phytemphyta, seu Historiam viscorum systema petfectum materiæ medicæ in desideratorum serie collocaverit G. H. VELSCHIUS, XVI. XVIII. XIX. XXV. XXVII. XLIX. LEONHARDUS vero CAPUANUS Italus, de medicamentorum incertitudine singularem instituerit discursum, cujus rei causas alter LEONHAR-

DUS,

DUS, FUCHSIUS nempe, ſatis reddidit apertas, his quæ ſequuntur verbis: "etſi medicinæ, arti omnium pulcherrimæ, utiliſſimæ ac maxime neceſſariæ, paucis admodum annis plurimum de priſtino ſuo nitore acceſſit, hæcque multum veteris ſplendoris recuperavit, tamen omnibus conſtat, eam partem, quæ de medicamentis tum ſimplicibus, tum compoſitis agit, nondum plane eſſe expolitam, ſuisque mendis prorſus repurgatam, neque id ſane temere. Nam obſtat inprimis rei difficultas & magnitudo, cur ea celeritate, qua cæteræ hujus artis partes, ſuum ſplendorem nanciſci nequeat --- præſertim cum hanc tarditatem non parum Medicorum noſtræ ætatis ignavia juvet. -- Quare cum univerſum fere materiæ medicæ negotium hodie ſit in mercatorum, muliercularum, & imperitorum ſeplaſiariorum manibus, non eſt, cur de priſtino ejus nitore nobis aliquid polliceamur -- niſi primum doctiſſimorum hominum induſtria & aſſiduis laboribus a ſuis erroribus, qui vitio temporum & medicorum negligentia in illam irrepſerunt, perinde ut olim Augiæ ſtabulum ab immenſa fimi copia fuerit repur-

Neap. 1689. 4. dedicat. op. Nic. Myrepſ.

Pharmacopol. offic.

„purgata.„ Idem fere G. RONDELETII eſt deſiderium hiſce conceptum verbis: „Has ob cauſas toti Reipublicæ utile fore „putavi, ſi officinam methodicam parare „breviſſime indicarem, in qua neque va„ſcula aurea, neque pyxides pictæ videren„tur, ſed ex qua remedia, ex non adulte„ratis, ſed optimis quibusdam rebus com„poſita, parvo ære comparare quisque „poſſet, plus in receſſu habitura, quam in „fronte promittit, quod longe aliter hoc „tempore in officinis ſolet fieri. Nam „qui officinam pharmacopolæ parant, in „hoc tantum incumbunt, ut vaſcula au„rea & picta ſibi habeant, quæ plus ad „oſtentationem faciunt, quam ad neceſſi„tatem, ut vulgus illas officinas admiretur. „Quod ſi illam ſuperfluam & inutilem „impenſam in componendis optimis me„dicamentis inſumerent, & ſibi & ægro„tis longe melius conſultum eſſet. Sed „ea eſt fere omnium communis inſania, „ut malint videri, quam eſſe. Hujus in„ſaniæ fautores ſunt Magiſtratus, qui in „hos impoſtores deberent animadverte„re. Item artium Profeſſores, quibus a „Principibus demandata eſt provincia, ut „eorum officinas inviſant & inſpiciant, ſi „bene inſtructæ ſint rebus omnibus, & „ſi quæ parentur auxilia ad morbos pro-

pul-

pulſandos, talia ſint, qualia eſſe debent." Qui autem hanc commiſſam provinciam vel ob quæſtum vel ob amorem contemnunt, graviter peccant in Rempublicam, digni ſane, qui ſumma cum ignominia a bonorum conſvetudine expellantur. „ A quibus proxime abeſſe patet illorum cogitationes, qui Rempublicam officinis pharmacevticis talibus, quales hodie ſunt, commode carere poſſe, exiſtimant, poſtea quam D. LUDOVICI ſatis demonſtravit, quod pharmacopolia illa inſtructiora infinita ſupervacaneorum & inutilium, immenſa incommoda, labores & expenſas pharmacopolis ipſis, confuſionem medicis & expenſas ægrotis cauſantium, copia exundent, & quidem citra ullum reale commodum, aut ullam urgentem neceſſitatem. Hi vero tunc demum medicos iterum fore felices, ſi, pharmacopæis ad antiquam miniſtrorum aut ſeplaſiariorum conditionem redactis, ipſimet medicamenta ſua component, & compoſita pro arbitrio diſpenſent, cum A. O. GOELICKE augurantur. Quæſiti, quando illuceſcent tandem illa felicia tempora, forſitan ad calendas græcas? reſpondent: nequaquam, ſed audent promittere, cras vel perendie

Diſſ. de Mutilo Med. Corp. per Pharm. & Chir. reſarc.

illud eventurum, dummodo ipſimet medici ſalutaribus conſiliis aures auſcultatrices præbere, jure ſuo uti, & manum operi admovere non dubitaverint; re tamen omni curatius expenſa lubentes fatentur, in ea, qua vivimus, morum & hominum corruptione, felicia iſta tempora vix eſſe ſperanda, quibus fauſtos horum conſiliorum ſola etiam ſimplicitate ſeſe commendantium ſucceſſus videamus. Hæc ſunt eruditorum medicorum & noſtra circa rem & materiam medicam deſiderata. Utinam medelam pararent, qui poſſunt, Principes & Magiſtratus, ac Medici quoque cordati omnes! Utinam & hoc in paſſu ſalutem curarent publicam ſtatumque pharmacopoliorum ſumme depravatum tandem aliquando corrigerent, & ſerio reformarent, id nobiſcum optant omnes boni, haud facile ſperant.



VI.

VI.
DESIDERATA PHYSICO-CHEMICA.

I.

DOctrinam de Materia Medica communiter excipit illa, quæ de præparatione ejusdem, & ſalutaribus inde parandis auxiliis exponit. Hoc vero cum modo quodam ſelectiori chemia nos doceat, in illa vero non pauca occurrant deſiderata, lubet eadem per ſumma luſtrare capita, ita tamen, ut de iis, quæ in ſcientia naturali deſiderantur, ceu media inter utramque parte, verba ſimul faciamus, illos imitati autores, qui diſſertationes, obſervationes phyſico-chemico-medicas publico dederunt. In naturali nimirum ſcientia, cujus deſiderio omnes vel inviti trahimur, ad ſummum fere perfectionis apicem deducenda, utut multum hactenus laboraverint non tam viri huic negotio maxime idonei & præſtantiſſimi, quam integra per Europam paſſim adornata collegia, integræ ſocietates, quarum hoc eſt inſtitutum, ut per experimenta certa-

tim & magno numero instituta animum a præjudiciis, disciplinam vero ipsam ab incertitudine & barbarie scholastica liberarent; non tamen id licuit impetrare, ut non passim audiantur querelæ, esse non pauca doctrinæ naturalis capita, quorum rationes aut plane non, aut non nisi conjecturales, id vero est, valde incertas, quæsiti reddere valeamus. Id quod probe intelligens Vir Doctissimus, JACOBUS THOMASIUS, sequentem scripsit in modum: „Hoc certum habeo, esse in physicis vortices quosdam, quos circumnavigare possis, perrumpere non possis. Atque hos quidem prudenti consilio statuisse videtur Creator, ut ex Naturæ mysteriis æstimare discerent mortales arcana divinitatis, abjicerentque vesanum propositum, nihil credendi in sacris, nisi quod emetiri posset ratio, cum in rebus etiam naturalibus multorum effectuum causæ, multarum veritatum modi, nos lateant.

Præf. phys.

II.

Et scientia quidem naturalis, quæ de corpore naturali ejusdemque principiis & affectionibus exponit eum in finem, ut si non omnium, plerorumque φαινομένων rationes congruas exquirat, Historiam

Na-

Naturalem eodem ſupponit jure, quo Civilem Hiſtoriam Juris, & Publici præſertim ſcientia pro fundamento rerum variarum, de quarum conditione juſta an injuſta, recta an iniqua in hiſce tractatur diſciplinis, allegare ſolet. Ac quemadmodum nec Jureconſultus, nec Politicus facti alicujus, quod memoriæ proditum accepit, valorem, æquitatem, cauſasque politicas, & an cum legibus congruant, an vero cum iisdem pugnent, temere ſibi examinanda ſumit, antequam de fide ejus conſtet hiſtorica; ita & in naturali diſciplina fruſtra de cauſis atque origine rerum ejusmodi laboratur, quæ, an unquam in hoc univerſo extiterint, vel tali, quo narrantur, modo extiterint, non immerito dubitatur. Aſt, quantos hic, in Hiſtoria inquam naturali, mox initio deprehendimus defectus, qualia & quanta diſcrimina, quot deſiderata! „ Eſt enim rerum naturalium idem quod civilium" factum, ut ipſi fingamus libenter por-" tentoſas hiſtorias, ac ſuavibus fabulis" lubenter nobis imponi patiamur," quæ ſunt verba doctiſſimi MORHOFII. De quo ſi quis amplius dubitet, quod communem eruditorum calculum dudum promeruit, adeo ut de Hiſtoria Natura- li

de parod. ſenſ. c. 2.

li a fabulis repurganda, multi cum Cl.
P. P. Vitemb. 1706. Tr. Vratisl. d. Exper. HEUCHERO solliciti fuerint, is quæso ARISTOTELIS, PLINII, ÆLIANI, SOLINI, ULYSSIS ALDROVANDI, ejusque epitomatoris JONSTONI, aliorumque Historias evolvat Naturales, &, mirum dictu, miracula eos & portenta pangere observabit, quos nudam rei historiam conscribere putaverat, nec sine caussa historiam Annalium Aldrovandina contractiorem & Jonstoniana auctiorem, ideam pinacothecæ physico-medicæ systema metallurgiæ, alia inter desideratorum numero ab immortali VELSCHIO inserta esse, deprehendet, VERULAMIUM fere æquissimum hac de re tulisse judicium, quando facto inter Historiam Naturalem Narrativam & Inductivam, & porro inter Historiam Generationum, Prætergenerationum seu Monstrorum, & artium mechanicarum discrimine, posteriora utriusque divisionis capita in desideratis numeravit, quibus MORHOFIUS Historiam falsationum, quibus uti solent tum artifices, tum Mercatores, Historiam errorum popularium & Historiam Museorum addenda existimat, ita tamen ut isti a T. BROWNE, J. PRIMEROSIO & M. CASAUBONO, huic vero a

XVII. XXVI. XXX.

Pol. L. II. P. II. c. 1. p. 128. sq.

Pseudodox. Epid. d. er-

J. D.

J. D. MAJORE & M. VALENTINI, addimus D. G. MOLLERO, magna ex parte satisfactum esse desiderio lubens fateatur. Quo eodem judice VERULAMIUS vero quam viam aliis monstravit, ipse calcavit, & Historiæ Naturalis inductivæ, quam maxime desideravit, rudimenta aliquot exemplis in Historia Ventorum & in Historia Vitæ & Mortis magna cum cura proposuit, unde certe, qui tot hodie libros implent, quam plurimum hausere suarum cogitationum, & quid de reliquis sentiat capitibus hisce declaravit verbis: Harum prima (Historia nempe Generationum) mediocriter habetur exculta: sequentes duæ ita tenuiter & inutiliter tractantur, ut in desideratorum classe reponendæ sint. Neque enim reperias satis instructam & locupletem collectionem operum naturæ eorum, quæ a cursu ordinario generationum, productionum & motuum aberrarunt & deflexerunt: sive sint illa fœtus certarum regionum aut locorum singulares: sive temporum eventus insoliti, sive casuum, ut ait ille, ingenia: sive proprietatum abditarum effectus: sive monadicæ naturæ in sua specie. Non negaverim, inveniri libros nimio plures,

ror. vulgi d. fide reb nat. civil. & div. hab. vel non. von Kunst- u. Material. Kammern. Mus. Museor. de Technophysiot. Alt. 1704. l. c. p. 124.

L. II. de Augm. Scient. c. II.

„fabulosis experimentis, commentitiis „secretis, & frivolis imposturis ad voluptatem & novitatem refertos: cæterum „narrationem gravem & severam de heteroclitis & mirabilibus naturæ diligenter examinatam ac fideliter descriptam „non, inquam, invenio: præsertim cum „debita rejectione, & publica tanquam „proscriptione mendaciorum & fabularum, quæ invaluerunt.„ Qui si nostra attigisset tempora, vehementer procul dubio laudasset ANNALIUM PHYSICO-MEDICORUM, & huic, & multis aliis desideratis pro virili obviam ire annitentium, institutum.

III.

Neque vero arduum foret negotium, extantiores ejusmodi errores, quos penes Naturæ Historiographos deprehendimus, id quod alios inter a T. BROWNE pridem præstitum est, sigillatim hic enumerare, siquidem instituti ratio prolixitatem ejusmodi aut ferret, aut postularet. Unicum tamen haud videtur prætermittendum, idque haud postremum Historiæ Naturalis Fabularis caput, id quod de Pluvia agit sanguinea. Neque enim guttas tantummodo rubicundas, sed imbrem non raro purpureum conspectum

l. c. A. E. L. Suppl. I. Sect. VI. p. 279.

ctum atque observatum esse, plures inter alios a LIVIO, POLYDORO VERGILIO, PAULO OROSIO & CORNELIO GEMMA relatum accepimus, quin nec nostris forsan temporibus desunt, qui aut portenta ejusmodi & miracula naturæ ipsimet fingunt, aut ab aliis conficta & nuspiam visa aut observata sub rationis incudem vocare satagunt, & nescio quæ omina aut futurorum præsagia inde eruere allaborant. Nobilis certe PEIRESCIUS id sedulo Naturæ studio & circumspecta præstitit industria, ut anilibus hisce fabulis nemo, cui sanum est sinciput, hodie amplius auscultare soleat. Ipsi utpote GASSENDO, harum rerum ad ἀκμὴν perito, & fido narratori nihil magis toto placuit anno, quam iste, quod observavit & philosophatus est circa pluviam sanguineam, quando inventam quandam chrysalin, magnitudine formaque insignem, pyxide concluserat. Ejus cum amplius non meminisset, excitari bombum inaudiit intra pyxidem, eaque adaperta deprehendit chrysalin, deposito spolio, factam ex eruca papilionem pulcherrimum, qui statim avolaverit, & reliquerit in fundo guttam rubeam amplitudine solidi vulgaris, quod quidem phænomenon ad temporis at-

Vit. Peiresc. L. II. p. 117.

que loci, in quo pluvia ejusmodi ſanguinea cecidiſſe videbatur, rationes applicatum, ſatis monſtravit, non niſi hanc germanam eſſe pluviæ ſanguineæ putatitiæ cauſam, quando nempe ſub Julii menſis initium plures ejusmodi papiliones, depoſitis ſpoliis, & demiſſis hinc illinc guttis rubicundis, in liberum aëra evolarunt. Idem omnino phænomenon una cum ſingulis rei momentis nuper in muſeo obſervavit J. H. LYNCKE, Pharmacopæus Lipſienſium dexterrimus & artis ſuæ peritiſſimus, & qua pollet ſagacitate, ad figuras varias & characteres atros & rubicundos in Polonia pridem viſos, eorumque cauſam reddendam adplicavit, multoque felicius in eodem verſatus eſt argumento, quam qui vel ab ira divina, vel a vaporibus e rubra terra in ſublime elevatis, vel a dæmonum maleficio, ſtrigumve, a quibus fuiſſent interfecti innocentes infantuli, vel cum WESTPHALO ex ſulphure & mercurio, cinnabaris inſtar in aëre ſublimatis, portentoſa hæc meteora, eorumque colorem rubicundum derivandum eſſe exiſtimarunt. Ac penes intelligentes tantum invenit applauſum Peireſciana de pluviæ ſanguineæ geneſi conjectura, ad

Annal. Phyſ. Med. 1718 M. Maj. Art. 3.

ad alia ſimilis farinæ phœnomena facili negotio applicanda, ut hac & non alia ratione omnem Hiſtoriæ Naturalis ambitum defœcatum exoptent & maximopere deſiderent.

IV.

Colorum, Sonorum & Saporum Hiſtoria ut non parum a viris eruditiſſimis, R. BOYLE, A. KIRCHERO, G. W. WEDELIO alios inter eſt illuſtrata, quamvis ROHAULTIUS impoſſibilia eum tentare dixerit, qui de quibusvis ſaporibus particularem determinare texturam ſuſcipiat: ita particularem & abſolutam Hiſtoriam de odoribus in Scientia adhuc Naturali deſiderari, B. RAMAZINI & D. G. MORHOFIUS obſervant. Quamvis enim PETRUS SERVIUS plenius quidem hoc argumentum aliis tractet, recentiorum tamen principiis non eſt imbutus, quæ qui non deguſtavit, MORHOFII judicio, in odorum ſcrutinio non ſatis emunctæ naris eſt. Ac licet RAMAZINI pleniorem ejusmodi de odoribus & re unguentaria veterum tractationem promiſerit, non auſus tamen eſt fidem ſuam pro tali molimine, quod plus temporis atque olei plus expoſceret, oppignorare; neque etiam, quod conſtet, fidem datam, morte

Hiſt. Color. Phonurgia. Theor. Sap. Med. Phyſ. p. m. 163.

d. Morb. Artif. p. 121.

L. de odor. 1641. 8.

l. c. p. 449.

te

te nimirum præventus abſolvit. Reliqua quod attinet Hiſtoriæ Naturalis ſpecialia capita, in iis haud poſtremo occurrit loco avium nonnullarum, ut ciconiarum, hirundinum abitus, qui tempore fit autumnali, & vernali tempore contingens reditus. Quamvis enim laudanda omnino veniat induſtria ad veras hujus rei circumſtantias detegendas, an nimirum & quo tendant, & unde redeant, in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS, ut eſt a ſolertiſſimis Naturæ indagatoribus impenſa, memoriæ prodita, ſi tamen fateri lubeat, quod res eſt, nondum talia inſtituta ſunt experimenta, quæ nunquam aut raro ſcientiæ venatorem fefellerint, qualis olim erat DEMOCRITUS, qui teſte VITRUVIO in commentariis ſuis annulo utebatur, ceraque notabat, quæ eſſet expertus: qualia ſi quamplurima de rebus ſingularibus nacti fuerimus, tum demum principiis recte formandis nos propiores fore, Vir Doctiſſimus, J. D. MAJOR, haud vane auguratur. Imo vero ſi conſilium, quod ad remotiores terras peregrinantibus dedit J. H. LINCKE, aut quod de Hiſtoria Naturali cujusvis regionis conſignanda per ſumma conſignavit R. BOYLE, ſequerentur plures, ut revera

17 9. Mart. p. 321. April. p. 457.

L. IX. Arcit. c. 3.

Annal. Vratisl. 1724. p. 85.

Act. Phil. Angl. 1666. p. 140.

vera secuti sunt O. BORRICHIUS Galliæ inferioris, BARTHOLINUS Insularum Ferroënsium, J. L. SCHEUCHZERUS Helvetiæ, R. SIBBALDUS Scotiæ, G. RZAZINSKY Poloniæ, ANONYMUS Saxoniæ, N. HENELIUS & C. SWENCKFELD Silesiæ, C. LEIGH Lancastriæ, J. W. VALVASOR Carniolæ, BOHUSLAUS BALBINUS, SLOANE Jamaicæ, G. MARGGRAFIUS Brasiliæ, & totius fere Europæ Historiam Naturalem JO. BARCLAJUS, publico dederunt, haud spreto simul, Viri summi, EZECHIELIS SPANHEMII, consilio, quod de numismatum antiquorum ad Historiam Naturalem in specie Animalium tum veram tum fabularem usu dedit; tum equidem spes est fore, ut tandem aliquando querelæ isti, quam a VERULAMIO profectam per pleraque Historiæ Naturalis capita repetere in hunc fere diem tenemur, nullus amplius locus futurus sit; ita enim ille: Satis scimus, haberi Historiam Naturalem mole amplam, varietate gratam, " diligentia curiosam. Attamen, si quis " ex ea fabulas & antiquitatum & autorum citationes, & inanes controversias, " philologiam denique & ornamenta eximat, quæ ad convivales sermones, ho- "
mi-

Act. Medic Hafn. 1677. 74. 1671. 49.

MSt. in Histor. Morb. Vratisl. 1702. p. 138. Theriotroph. & Catal. Stirp. & Fossil. Siles. Glor. Ducat. Carniol. Miscell. Regni Boie. Ic. Anim. s. Euph. Satyr. P. IV. Diss. de præst. & usu Numism. antiqu 45. A. E. L. 1707. p. 49. l. c. L. II. c. 3.

„minumque doctorum noctes potius, „quam ad instituendam philosophiam „sunt accommodata, ad nil magni res re- „cidet. „

V.

Hinc vero & ex Historiæ Naturalis defectu ac minus sufficiente phænomenorum enumeratione tot reliqua in physicis desiderata, & occultas inprimis variarum rerum qualitates hodieque existere, quid impedit, quo minus audacter adseramus? Licet enim nomen istud, occultæ inquam qualitatis, plerique hodie fastidiant, cum H. ab HEER ad hunc scribente modum: „Dicent aliqui, ad occultas hoc vel illud „referendum proprietates. At quid in- „terest, ad hoc ignorantiæ asylum con- „fugere? nonne malim me hominem, „hoc est, plurimarum rerum inscium fa- „teri? revera enim, etiam qui docti ha- „bentur, potius sunt extra ignorantiam, „quam cum solida scientia; „ non tamen apparet, an & qua ratione quæstiones varias propositas melius rectiusve extricare valeant. Quod ut eo evidentius constet, de quo nemo sanæ mentis dubitabit, non equidem ejus rei in documentum Animam Mundi post PLATONEM, ab H. CARDANO, T. CAMPANELLA, H.

Obs. Med. Oppido rar. p. 136.

MORO

MORO multisque aliis in ſcenam productam examinabimus, aut ſympathias & antipathias corporum, neque futurorum præſagia aut ſpectra, aut alia innumera, ex Magia vulgo dicta Naturali depromta, exempli loco allegare neceſſe eſt. *Nam & in Magia Naturali multi ſunt Thyrſigeri, pauci Bacchi. Superſtitioſæ enim obſervationes de ſympathiis & Antipathiis rerum, atque de occultis & ſpecificis proprietatibus, & frivola ut plurimum experimenta, potius occultandi artificio & larva, quam re ipſa, admiranda, ut loquitur VERULAMIUS, non abſolvunt ſplendidum Magiæ nomen, eidemque tantum diſtare videntur a vera Magiæ ſcientia, quam libri rerum geſtarum Arthuri ex Britannia, & hujusmodi heroum umbratilium a Commentariis Julii Cæſaris. Et, ſi MORHOFIUM audias, terminus ille „occultarum qualitatum, cum multis ali-„is ejusdem farinæ, magnetismis, antipa-„thiis, ſympathiis, modeſtum eſt igno-„rantiæ obvelamentum. Quod cum di-„co, pergit, ſaltem eos reprehendo, qui „pro cauſis hos terminos allegant, illos „vero plane non reprehendo, qui ineſſe „ajunt corporibus qualitates, quas perfe-„cte cognoſcere non poſſumus, atque

l. c.

l. c. p. 303.

ideo

„ideo revera occultas, quas negare velle „ſummæ eſſet impudentiæ & arrogantiæ. „Et ego quidem hunc magiſtrum viderim, qui omnium cauſas manifeſtas dare ſe poſſe confidat. „

VI.

Unus enim vero Magnes & ſolus ſuo, quæ diximus, exemplo abunde probat, cujus adeo mira & ſtupenda ſunt phænomena, ut in iis enodandis multum operæ ſtudiique inſumſerint omnis ævi philoſophi. Neque vero J. C. SCALIGER mirum quantum ſubtilis adeo acutum cernit, ut veram virium magneticarum cauſam nos docere poſſit; neque poſt tot aliorum GUILIELMI GILBERTI, ROGERII BACONIS, NICOLAI CABAEI, NICOLAI ZUCHII, JACOBI GRANDAMICI, ATHANASII KIRCHERI, aliorumque labores ſatis inquiſita fuit magnetis
l.c.p.410. natura, quin judice iterum MORHOFIO, obſcura relicta fuerint, earum operationum principia. Ad duo autem ſigillatim capita referri poteſt, quicquid in magnete deprehendimus ſingulare, quod nimirum altero ſuo polo ſeptentrionalem plagam nunquam non reſpiciat, & quod ferro proxime admotum eidem, vel pulſione, vel attractione mediante promtiſſime jun-

jungatur. Utrumque veteres ad occultas retulerunt qualitates, causam ejus se ignorare, ingenue fassi. Et recte quidem ignorantiam suam profitebantur in re admiranda & abscondita, cujus latifundium post tot a viris undique doctissimis instituta examina, experimenta & ratiocinia nondum exhaurire licet. Magnetem martialis esse prosapiæ, unanimis hodie eruditorum est sententia, sed quid inde liceat concludere, non apparet. Nonne & Lapis hæmatitis martialem originem agnoscit, sed anne idcirco ferrum attrahit, aut ad ferrum appellitur? Numne aurum ad aurum, vel aurum ad argentum, aliudve metallum, quorum ibi maxima, hic postrema est affinitas, eadem accedit ratione, qua magnes ad ferrum? Qui effluvia ex magnete prodire, & atmosphæram ejus cingere contendunt, nihil equidem dicunt, quod a vero abhorreat, sed nec illud inficias ibunt, plurima, si non omnia, corpora naturalia effluviis ejusmodi gaudere, in quibus tamen similis effectus non deprehenditur. Ac licet eousque progressa sit Philosophorum industria, ut & modum & ordinem, quin & figuram materiæ e magnete emanantis definire, præeunte inprimis CARTESIO

fuerint conati, nec diffitendum ſit, hypotheſin iſtam, qua aut pennata aut cochlearis per magnetis poros ferri ſtatuitur materia, ingenioſiſſimam eſſe & phænomenis optime ſatisfacere, nec quidquam vero propius huc usque ab ullo excogitatum fuiſſe; neque tamen illud diſſimu-
L. II. landum venit, id quod a J. CLERICO
Phyſ.c.6. opportune eſt monitum: "eſſe in utra„que, quin & reliquis omnibus hypothe„ſibus difficultates pene innumerabiles. A qua quidem cenſura nec illam theori-
1718.Jun. am eſſe immunem, quæ, ut eſt in ANNA-
p. 1267. LIBUS PHYSICO-MEDICIS relatum, terram ex cometa, deflagratione continuata a ſole magis magisque remotam, tandem in extremo vorticis ſolis collocatam, factam eſſe planetam, & initio pultis inſtar mollem, ſenſim duriorem redditam materiæ æthereæ tranſitum per ductus conicos conceſſiſſe, idque juxta tractum lineæ ad verticem ſolis tendentis & ſimiles qualitates omnibus terræ partibus, præſertim vero magneti, impreſſas cerni, tradit, ſatis intelligenti patet. In phyſi-
l. c. L. V. cis nimirum ſyntagmatibus, ut illa CLERICI verba iterum noſtra faciamus: „utramque paginam faciunt plerumque „conjecturæ, quas ſi inanes dicere noli-

mus,

mus, at incertas esse, oportet, fatea-"
mur."

VII.

De Gravitate corporum naturalium, ejusque causa vera investiganda viri docti diu multumque fuerunt solliciti, quemadmodum præ cæteris penes J. C. STURMIUM & P. CASTEL videre est. Sed veram ejusdem, & mechanicam causam nondum inventam esse, tum HERMANNUS evictum dedit, tum ex ingenti isto pretio, quod Academia Parisiensis primo ejus inventori promisit, haud difficulter colligitur. Eadem prorsus ratione cum æstu & reciprocatione, ut eleganter CURTIO vocatur, seu fluxu & refluxu maris comparatum esse, liquet. Hujus enim plane peculiaris & reciproci motus, quo aqua marina in certis locis quotidie, & singulis sex horis vehementer affluit, atque ad littora intumescit, totidemque horis rursus refluit, causam JSAACUS quidem VOSSIUS a radiis solaribus, CARTESIUS una cum Recentioribus reliquis plerisque a pressione lunæ derivandam putant. Et utramque quidem, maxime autem posteriorem sententiam non omnino de nihilo esse, sed maxima gaudere verisimilitudine, neutram vero

Phil. Eccl. p. II. Diss. 4. traité de physique sur le pesanteur universell. des Corps. Paris 1724. 12. Ex Francof. Subsec. To. I. Sect. I. 4. IX. 9.

ro rem omnem conficere, & extra dubitationis aleam ponere, ipſimet hypotheſium conditores non diffitentur: Atque, ut alia taceamus, cur mare tantum Britannicum, Gallicum & Danicum usque ad maris Balthici fauces, nunquam vero æſtuent mare Balthicum, Caſpium, Pontus Euxinus, ſinus Tirrhenus, & Liguſticus Oceani, nuſpiam demonſtratum aut rationibus adſertum offendimus? Sic & cantum galli nocturnum occultioribus ejusmodi cauſis adſcribendum eſſe, ex VOSSIO & BOCHARTO, HEINRICUS MÜLLERUS, Theologus celeberrimus, haud ſine ratione adſeruit. Vera ut rurſus dixerit MORHOFIUS, ſequentem locutus in modum: "Relinquenda eſt „multo maxima pars phænomenorum „phyſicorum occultioribus quibusdam „cauſis, quæ ab humano ingenio ſatis de„prehendi non poſſunt.„

Jeſ. Pat. p. 133.

d. Parad. Senſ.

VIII.

Nam & ventum, quotidianum & obvium omnibus phænomenon, effectu, id vero eſt, flatu, neminem fugere, originem vero ejus & progreſſum, ſeu unde veniat, & quo tendat, in abſconditis delitescere, ipſius Salvatoris ſanctiſſima veriſſimaque vox eſt. A cujus equidem tem-

temporibus mortalium induſtria neutiquam fatigata eſt, quo indolem atque naturam aëris, cujus iſte motus quidam ſeu fluxus eſt, variis eam in rem inſtitutis experimentis expiſcarent, eoque id conſecuti ſunt, ut de natura aëris atque ventorum in communi, non ſine maxima veri ſpecie diſſerere, tum vero naturam atque proprietates eorundem, quatenus ex his vel illis mundi plagis ad oppoſitas ſpirant atque moventur, ſigillatim, docente quotidiano rerum uſu, enarrare valeant. Ventum enim nihil aliud eſſe, præter fluxum aëris & vaporum, quos ſecum fert, ſatis notum eſt, ſed plurima ſunt ventorum phænomena, quorum cauſæ & ratio non ſunt faciles inventu, difficillimum item, cauſam & originem eorum deſcribere. Et quamvis tantum quidem faſtigium ventorum doctrina ſit conſecuta, ut ventorum conſtantium & periodicorum, qui ex E. HALLEY obſervatione in ampliſſimis maribus & prope æquatorem deprehenduntur, rationes ſatis probabiles nunc reddere liceat; variabilium tamen ventorum, qui in noſtris aliisque regionibus hinc inde oberrare obſervantur, rationes & cauſas peculiares nobis eſſe ignotas, fatendum omnino erit cum J. CLERICO. L. III. c. 5.

„Ex cujus doctissimi viri sententia exorti „sunt viri æterna memoria digni, qui a „conjecturis nos sapienter revocarunt, ut „totos ad experimenta converterent, quæ „innumera cum sint, nondum tamen sat „multa sunt, ut ex iis certa physices prin- „cipia colligere possimus, neque unquam „forte sat multa erunt -- ex quo satis li- „quet, nondum potuisse inveniri hypo- „theses, quibus positis, proprietatum „omnium rerum corporearum ratio red- „deretur, & hanc disciplinam scatere in- „certissimis conjecturis, quamvis multa „præclara dudum inventa sint, & quoti- „die inveniantur.„

L. V.

IX.

Lucis vera solidaque explicatio, ut saniorum judicio ultra humanum ingenium est, & in natura lucis exploranda vel omnes Argi & Lyncei cæci sunt, ita de igne, quem elaterem Naturæ universalem Vir Clarissimus, J. T. HENSING, nuper adseruit, exponunt Physici, non tanquam de elemento, utpote e quorum numero dudum est communi intelligentium calculo eliminatus, sed tanquam effectu admodum mirabili, atque stupendo naturæ, sive eundem producendi, sive conservandi aut propagandi varios conside-

P. P. Giess. 1721.

ſideremus modos. Sed hoc quoque loco non pauca reperiamus licet, quæ non alibi quam in deſideratorum, aut, ſi mavis, deperditorum claſſe reponenda veniunt. Præterquam enim, quod nondum ſatis conſtet, an, quod non ſine ratione doctiſſimus ſuſpicatur BERGERUS, ignis veterum ſepulchralis perpetuus atque arcanus nil niſi modernorum phoſphorus, hic vero, quem plerique pro recenti habent invento, veteribus cognitus fuerit? quomodo ſe Caligulæ machina fulminans habuerit, qua cœli tonitrubus, ut apud CAMERARIUM eſt legere, obſtrepebat, non magis aut certius nobis conſtat, quam, quale iſtud fuerit artificium, quo OLAO RUDBECKIO, vel alio quovis autore præſumitur exſtrui poſſe fornaces ſub terra, quarum beneficio vegetantes orientis calores æmulatione quadam ad nivoſos borealis climatis horrores trahere liceat; & germinationem exoticarum ſtirpium, etiam ex ipſis ſeminibus, deſperatam huc usque promovere, dignum alias, judice J. D. MAIORE, Hortis Regum & Principum, dignum Annalibus Pyronomicis inventum. Sic & S. PAULI telam portentoſam Norwegiæ, quæ ſuperiori vere aut æſta-

d. Therm Carol. p. 55.

Hor. Subceſ. Cent. II. c. 28. p. 167.

l. c. C. XI.

æſtate aliquot jugera in ea obduxiſſe obſervata eſt, telam Cambraycenſem, aut potius papyrum Chiniticam repræſentantem, accenſam refert ſulphure abundantiſſimo nares fauceſque proprias male mulctaſſe, de cauſis ejus nihil aliud in medium proferri poſſe exiſtimat, quam illud:
l.c.p.616. Quam multa neſcimus, & , quod illa, quæ ſcimus, ne quidem milleſima pars eorum ſit, quæ adhuc ignoramus, ipſe τὸ ἐπέχειν amplexus.

X.

Longum foret, ſi ligna aut fila incombuſtibilia, ſpecula cauſtica, aliaque admiranda artis vel naturæ ope per ignem, & eo mediante producta phænomena fuſius & pro rei cujusvis dignitate animus eſſet recenſere, licet paſſim, quæ deſideres, tum quoad eorundem hiſtoriam, tum, quando cauſæ evidentes reddendæ ſunt, haud difficulter invenias. De tonitru & fulmine multum inter ſe hactenus eruditi, deque utriusque geneſi diſceptarunt, in eo tamen convenientes, quod in nubibus, modo altiorem modo inferiorem cœli regionem occupantibus, horrenda ejusmodi meteora nunquam non generentur; noſtro vero ſeculo, quod

quod idcirco paradoxon ὁ πάνυ WEDELIUS appellare ſolitus eſt, fulminis generatio in ipſa terra fieri, idemque in locis ſubterraneis accendi, & in ſublime ferri, ſecus ac vulgaris habet ſententia, creditur, idque occaſione flammæ cum ſono vehementi in exploratione fontis Nonantolenſis accenſi & in ſublime initio ſine, mox cum ſono vehementi elatæ, hinc vero & aliis phænomenis & experimentis inductus primus ſtatuit SCIPIO MAFFEI, ſicut in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS fuſius relatum legitur. 1721. Jan. p. 57. Hinc vero & de fulminum natalibus ex terra, data, quod ajunt, opera ſermonem inſtituit G. F. RICHTER, eidemque opinioni, ut eſt in ACTIS ERUDITORUM 1725. p. 235. obſervatum, PLINIUS, SENECA, GASSENDUS, NEVVTON non parum favere videntur, quibus Cl. BERGERUM, ex l. c. pyrite fumante non thermas modo & acidulas, ſed terræ quoque motus, montium ignivomorum incendia, tonitrua & fulmina derivantem addere licet. Hanc vero ut nemo temere inficiabitur per omnia ſententiam, phænomenis non unis pro illa militantibus, ita in medio rerum nondum ſatis exploratarum merito relinquitur.

XI.

Thermarum accuratam descriptionem adeo nondum ab ullo conceptam esse,
l. c. c. 7. existimavit vastissimi vir ingenii, J. D. MAJOR, ut non injuria universalis quædam thermographia a præclaro seculi superioris Polyhistore, G. H. VELSCHIO, inter Medicinæ desiderata sit tantisper reposita.
LVI. Quod ut de historica omnium in quibusvis terræ locis thermarum enumeratione haud omnino negaverimus, locum invenire summorum desiderium virorum; ita nemo hodie adsertum temere ibit, post LISTERI, BERGERI,
l. c. p. 261. l. c. p. 133. atque HOFFMANNI egregios cedroque dignissimos labores nihil omnino in doctrina de thermis & aquis mineralibus reliquis præstitum esse. Artem vero imitandi balnea naturalia in desideratis numeravit VERULAMIUS, quam tamen impossibilem judicat esse BERGERUS, nec unquam sperandam, his, quæ sequuntur verbis: „Qui thermas effecerit „similes vel superiores naturalibus, ne„que ætas nostra vidit usque hunc quen„quam, neque, credo, posteri temporis „visura est. In eandem fere sententiam
Cent. IV. Ep. XXXVIII. XXXIX. OLAUS BORRICHIUS ad THOMAM perscripsit BARTHOLINUM: „Incidi

nu-

nudius tertius in libellum quendam Fri-„ zimelicæ de balneis artificio parandis,„ „quæ thermis veris respondeant; liber „prodiit non ita pridem ex posthumis D. „Rhodii membranis. Non pauca in eo „laudanda, sed, quod intendit, vix ad- „sequitur, nam salem & sulphur, & alia „perfunctorie admiscere aquis, rem non „confecerint, utcunque diu excoquan- „tur, atque ut adsint cætera, salem ta- „men thermis convenientem ægre inve- „niet nisi in thermis naturalibus. Similiter & Acidulas quod attinet, observationes practicas inter desiderata circa easdem referunt ACTA MEDICORUM BEROLINENSIUM, cum nemo unquam ex tot Medicis, qui ab immemorabili tempore fontium medicatorum effectibus practicis ubique adstiterunt, scriptis notaverit, quibus terminis efficacia singulorum sit circumscripta, ut exteri inde rescire possent, quousque in consiliis dandis sit progrediendum.

XII.

Ab inferioribus & terrenis hisce quando ad cœlestia & superiora animum & cogitationes cum Naturæ consultis transferre lubet, fatendum cum sanioribus erit, nec solis nec lunæ essentiam atque natu-

naturam ita expeditam esse, ut nihil in iisdem desiderari queat. Solem alii cum
Dec. II. vol. VI. p. 18. HONORATO FABRI instar globi aurei politi, alii instar essentiæ bullientis & fundentis cum VILLEMONTIO, cum NEVVTONO alii instar corporis motu incalescentis & lucidi, alii alia ratione sibi concipiunt, maculis inprimis solaribus inducti, quas pro exhalationibus fuliginosis ab atmosphæra solari condensatis habent. Sed longe diversum sibi de hisce maculis conceptum formant illi, qui
Annal. Vr. 1719. Mart. p. 305. seq. ad mentem C. L. ROSTII, Astronomi Norimbergensis, maculas hasce solares certa & distincta esse phænomena, ex certo eorundem motu, instituto eum in finem diario macularum & facularum solarium, colligunt. Et ipsam solis, lunæ, cæterorumque planetarum atmosphæram communi hactenus Astronomorum calculo probatum SEBASTIANUS ALISCHER, MEDICUS Silesiensis, variis, nec levis
1722. Maj. p. 480. sq. ponderis argumentis destruere conatus est, ita tamen, ut non defecerit J. G. SIEGESBECK, Medicus Magdeburgensis, qui pro atmosphæra solis & planetarum, neque ipse levis momenti ratiociniis instructus, pugnaverit. Et lunam, quam pro
1722. Nov. p. 510. seq. planeta, id est corpore opaco & solido omnes agnoscunt, perforatam, FRIDE-

RI-

RICUS LIEFMMANNUS, Medicus Lusatus, rarissimis observationibus deprehendit. De quorum omnium fide ambigere, & argumentorum discrepantium momenta invicem ponderare cum non liceat, istud nec ipsi harum observationum & hypothesium conditores ibunt inficias, plura etiamnum ad singulorum complementum desiderari, &, si ullibi, hic certe valere illa MORHOFII verba: Quanquam etiam peccare forte imbe-" cillitas intellectus nostri potest, cum" oculis lynceis rerum viscera nos pene-" traturos confidimus, specialissimas il-" las causas indagaturi. Nos certe enim" circa particulam aliquam & portiuncu-" lam philosophi sumus, & exiguis animi" nostri cancellis non includimus univer-" sum illud, nec penetrare possumus inge-" nii acie, quod tot vasta corpora inter se" cohæreant, annon quædam eorum inter" se sit conciliatio, mutuaque operatio," quæ in occultis se exerat aliquando, non-" numquam in secula extendatur.„

Pol. II. II. l. XI. p. 211.

XIII.

Nec dum satis constat, an sol circa terram, an hæc una cum reliquis planetis circa solem moveatur? sive enim prius ad normam systematis Ptolemaici aut

aut Tychonici admittamus; ſive poſterius juxta Copernicana & Carteſiana placita magis arrideat, utrobique difficultates occurrent pene inſuperabiles. Illic enim natura & leges motus, & analogia reliquorum planetarum plura inter alia; hic vero ſola codicis ſacri obſtare videtur auctoritas, quam licet in ſui partes trahere conati ſint nonnulli, cum J. B. WIDEBURGIO demonſtraturi, ſacras paginas huic ſententiæ non eſſe adverſas, aut cum ZIMMERMANNO ſcripturam ſacram Copernizantem ſibi aliisque perſuaſuri, aliud tamen, G. KLAUSINGIO, aliisque, pridem evictum demonſtratumque eſt: juſtus ut adſit metus, quin iſta omni ævo magno ſtrepitu agitata controverſia non niſi cum hujus ſeculi fine terminum ſit conſecutura, neminique mirum videri debeat, Aſtronomum quendam Saxonem contra ſingulas hypotheſes Pariſiis demonſtrationes inſtituiſſe, ſicut Novellæ publicæ fidem fecere. Sane ſi uſpiam, hic locum habere putem illud SCALIGERIANUM: Laus maxima, ſcire, quæ ſciri poſſunt, ſed haud poſtrema ſapientia, quædam ignorare velle. Quando vero R. BOYLE in motibus corporum cœleſtium nimium nos eſſe cre-

Jenæ 1726.

de S. Sa Non Coperniz. Lipſ. 1721.

M. Jun. 1726.

L. d. Coſm. Qual.

du-

dulos, & rectiorem nobis ordinem atque accuratiorem imaginari, quam is revera eſt, diſertis adſerit verbis, iſta quidem ſagacioribus examinanda jure meritoque relinquimus.

XIV.

Siderum in hæc inferiora influxus tantum abeſt, ut extra dubium ſit collocatus, ut potius eruditorum judicio & circumſpecta teſtante experientia, etiam poſt inſignem a COCKIO, SLUTERO & STAHLIO factam reformationem, haud poſtremam deſideratorum in phyſicis partem conſtituat. Licet enim ſolis & fortaſſis etiam lunæ in corpora terreſtria adeo manifeſta ſit efficacia, ut negari plane non poſſit; de ſtellis tamen fixis & planetis reliquis, quæ non corporibus tantum noſtris, & quæ nos ambiunt, aërique inprimis varias inducere mutationes, ſed & ipſis imperare mentibus immortalibus, easdemque fortes, ſapientes, audaces, timidas, fortunatas, divites, pro re nata reddere nonnullis creduntur, multa adhuc maximique momenti adſunt rerum teſtimonia, quæ ſi non contrarium docent, animum tamen ultra vulgus ſapientem dubium atque incertum reddunt. Quod ſi vero quis, ut

fieri

fieri consuevit, ex dubio atque incerto siderum in hæc inferiora influxu mox inferret, aut nullum esse tot vastissimorum atque elegantissimorum corporum finem & usum, aut alium demum monstrandum, declarandumque esse, ei cum J. C. STURMIO respondere non dubitamus: „id vero nos ignorare cum ignarissimis, si diceremus, nihil ab homine alienum, nihil etiam homine erudito diceremus indignum, quin arrogantissimum potius hominem, imo conditionis humanæ oblitum eum rectius judicaremus, qui tantorum operum opificis infiniti, sapientissimi, potentissimi nutu & consilio existentium omnium finem, scopum & usum sibi perspectum temere crederet. Quid enim? an usum & finem rerum omnium, & cui bono tot tamque mirabili varietate discrepantia insecta, tot animalia bruta, terrestria pariter & aquatilia, tot omnis generis plantas, & vegetabilia alia, quæ non modo nullum auxilium, sed & venenum homini aliisque animalibus suggerunt, a sapientissimo summoque opifice sint condita, nobis esse cognitum atque perspectum existimemus? Neminem credamus, futurum, quin hæc serio contem-

Phil. Eclect. P. I. p. 663.

tem-

templatus cum Iobo immenſa Deum opera facere, & incomprehenſibilia & mirabilia, quorum non ſit numerus, concludat.

XV.

De incolis vero planetarum, & ſigillatim lunæ, eorumque moribus, artibus & rebus geſtis, ipſiusque planetæ fluminibus, montibus, & partibus variis qui certiores nos reddere cum J. BRUNO, J. HEVELIO, C. HUGENIO, A. KIRCHERO, & B. de FONTENELLE audaci ſatis conjectura conati ſunt, aut ad mentem R. CARTESII teleſcopium inveniri poſſe jactarunt, quo mediante lunæ incolæ detegi poſſent; de illis pridem obſervarunt eruditi, quod, ſi pro conjecturis certas veritates ſiſterent, res novitate prorſus admirabiles detexiſſe, merito cenſendi ſint. Sic & cometarum natura non magis in aprico eſt, quam præſagia ex eorundem apparitione a vulgo, & qui prudentiores videri volunt, formata, dum nonnulli ſidera hæc eſſe mundo coæva, & certis tantum ſtatisque temporibus apparentia, alii caput ſaltem, caudamve eorum ex effluviis planetarum de novo ſemper generari, cum HEVELIO inprimis & PETITO, utrisque non ſine magna veri ſpecie,

d. Mundo & univerſ. Selenographia. κοσμοθεώρος. iter. Ecſtat. dial. de pluralit. mundor.

cie, & rationibus ex ipſo rerum uſu, & accurata phænomenorum obſervatione inſtructis affirmant, lite nondum deciſa, ſed unica illa nobis ſpe reliqua, quam ſuo jam tempore fovit SENECA: "fore nempe, „qui demonſtret aliquando, in quibus „cometæ partibus errent, cur tam ſeduli „a cæteris eant, quanti qualesque ſint.„ Id enimvero, quod res eſt, ingenue, ut ſolet, fatetur Naturæ conſultiſſimus STURMIUS, nondum equidem plenam nos & abſolutam habere rei cometicæ ſcientiam, at multo propius tamen abeſſe a vero, quam fuere majores noſtri.

Nat. Quæſt. L. VII. c. 26.

l. c. p. II. p. 191.

XVI.

Sed deſcendendum rurſus paucis adhuc ad hæc inferiora nobis eſt, videndumque, quid in tribus Naturæ Regnis, ulterius inveſtigandum rimandumque ſuperſit. Et bruta quidem animantia an mere ſint machinæ, non ratione modo, ſed ſenſu carentia, ad mentem A. le GRAND: an vero anima quadam brutorum propria, ut vult WILLISIUS, gaudeant, lis eſt nondum deciſa; præſertim cum poſteriori ſententiæ addicti prioris fautoribus multas dubitandi rationes ab actionibus brutorum ſatis interdum ingenioſis opponant, quemadmodum alios inter penes

d. Carent. Senſ. in Brut.

d. Anima Brutor.

SCHEL-

SCHELHAMERUM pluribus videre eſt, d. Nat.
luculentum vero ejus rei exemplum in ſibi & Medicis
ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS vind.
relatum legitur. Stupendum vero ge- 1722. Oct.
nerationis negotium in vegetabili & ani- p. 420.
mali regno, uti latiſſime ſeſe & ad omnia
extendit ſingularia, ita vel ſolum docere
poterit, quantum ubique deſideretur.
Hujus enim vero occaſione doctrinæ,
quam ex inſtituto perſecutus eſt I. T. d. Admir.
HENSING, fuſius hactenus & per omnes Gener. Rer. Na-
ſui partes accurate examinatæ, idem, tural.
quocum ſupra locuti ſumus, STURMIUS, l.c.p. 321.
tantum autumat abeſſe, ut arcana na-“
turæ jam detecta habeamus & in nu-“
merato quaſi pleraque omnia, ut in ple-“
risque non niſi meras conjecturas nos“
ſectari fatendum, imo ne ſperandum“
quidem ſit, ab ullis porro ſeculis plenam“
rei veritatem vel in paucioribus un-“
quam detectum iri: ſiquidem opera in-“
finitæ potentiæ & ſapientiæ non vide-“
rentur eſſe infinitæ ſapientiæ opera, ſi a“
mente humana valde finita & limi-“
tata perveſtigari penitus & exhauriri“
poſſent. Nec tamen ideo ceſſandum de-“
ſperabundo deſiderio noſtro, ſed adni-“
tendum eo magis, ut a veritate, quam“
plenam attingere nunquam dabitur, ab-“
ſimus, quoad ejus fieri poteſt, quam pro-“

„xime.„ Nec enim philoſophia poſſeſſio eſt, ſed amor ſtudiumque veritatis & l. c. c. 31. ſapientiæ. " Nam & natura, cum SENECA „iterum loquimur, ſacra ſua non ſimul „tradit. Eleuſis eſt, quæ ſervat, quod „oſtendat reviſentibus. Nec arcana ejus „promiſcue patent: reducta & in inte„riore ſacrario clauſa ſunt.„ Hunc pariter in cenſum veniunt conchulæ omnis generis in muſeis hinc inde admirabili varietate oculis blandientes, & variis iconibus atque figuris ipſisque muſicis lineis adeo affabre pictæ, ut, an artis an naturæ ſint productum, non immerito hæſites. Etcodr. Med. Pract. p. 606. Hic ſi ROSINUM quæras LENTILIUM, is nil unquam vidit curioſius, in quo ingenia ſemet exercere poſſint. Nam, quæ de luſibus naturæ dicuntur, ipſi revera ſunt luſus ingenii. Natura nihil ſine fine, cui vero fini formet ejusmodi conchulas, tanto numero, numeris omnibus perfectiſſimas & abſolutiſſimas? Hæc talia vero & naturæ, & artis ſimul ope non raro effici, teſſeræ teſtantur Badenſes, 1721. Dec. p. 610. utriusque beneficio productæ, ut in ANNALIBUS PHTSICO-MEDICIS memoriæ proditum eſt.

XVII.

In vegetabili regno fungorum inter alia origo

origo eo magis est obscura, quod fungi, quorum magna est varietas, avtopsia teste, & saniorum judicio semine omnes & radice destituantur. Licet enim C. F. GARMANNUS adserere non dubitet, fungorum plurimos e terris erumpentes semen habere, si curiose examinentur, forma quamvis minori, alceæ Ægyptiacæ semen fere exprimente, & R. J. CAMERARIUS fungum caliciformem seminiferum producat, & ipse tamen & alii recte judicarunt, granula ista seminiformia in calice neutiquam pro vero semine habenda esse, quod nullus inde fungus enascatur. Hinc vero multi cum A. KIRCHERO ex variis seu stirpium seu animalium vita defunctorum seminalis virtutis profluviis fungos oriri existimant, plerique vero originem eorundem cum F. BAYLE & E. KÖNIGIO spiritui fermentativo in lignis putridis ab humiditate nitrosa, tonitruali & pluviosa excitato, certam percolationem instituenti in acceptis ferant, quod tempestate ejusmodi præsente copiosus præ cæteris fungorum proventus observetur, quæ tamen omnia, cum non detur generatio æquivoca, valde esse incerta, dubia, adeoque, dum dies diem docet, & certiora de fungorum proventu innotescunt,

M. N. C. Dec. I. VI. VII. obs. 174. p. 234.

Dec. II. A. VII. Obs. 156. p. 303.

Mund. Subterr. To. II. L. II. S. IV. c. 7.

Reg. veget. P. II. p. 212.

Annal. Vratisl. 1719. Sept. p. 346.

ſcunt, in deſideratorum ſerie tantiſper merito ſunt collocanda. Vitia inter plantarum & morbos ros mellis qui vocatur, non poſtremum obtinet locum, utpote qui corroſiva non raro qualitate præditus, adeoque foliis ſtirpium & herbarum infenſus noxiusque eſſe creditur: hujus vero geneſis ut valde pariter eſt obſcura, neque ſatis conſtat, unde virulentæ & noxiæ ejusmodi qualitates rori imprimantur, attenta ex adverſo & circumſpecta docet obſervatio, vitia, quæ a rore ejusmodi virulento vulgo derivantur, coloris nempe viridis foliorum in fuſcum & flaveſcentem commutatio, tandemque plenaria contabeſcentia, ab aliis ſubinde cauſis proficiſci, ſicut ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS plenius relatum extat.

1722. Sept. p. 297.

XVIII.

Ad minerale porro regnum quando accedimus, eo ipſo ad deſiderata chemica tacite quaſi devolvimur. Chemia enim cum nullibi magis, quam in abſconditis terræ theſauris & ſolvendis & coagulandis, aliaque ratione examinandis occupetur, nullibi quoque deſiderantur, quæ deſideres. Ex quorum ampliſſimo numero principia vulgo dicta chemica,

ſal

ſal inquam, ſulphur, & mercurium primo loco paucisque delibare juvabit, utpote quæ Peripateticorum Elementis horum inſufficientiam animadvertentes ſubſtituerunt chemici, quorum nonnulli ad duo ea reduxere capita, Acidum nempe & Alcali: ut vero illorum incertudinem Nobilis Anglus, R. BOYLE egregie demonſtravit; ita nec poſteriora phænomenis omnibus ſatisfacere, J. BOHNIUS data, quod ajunt, opera oſtendit. Et quod ſal ſigillatim attinet, ut quis integre ac experimentaliter hanc materiam ad palatum præſentis ſeculi pertractandam ſuſceperit, hoc videlicet eſt, quod a J. D. MAIORE admodum deſideratur, ad cujus mentem; quam utilis etiam labor is profecto futurus ſit, ſpeciales quosdam Annales de potentiſſima iſthac rerum clave compingere, & ſub certo obſervationum fide dignarum contextu exponere; quid proprie demum in Natura & Arte habendum ſit pro peculiari Principio Hypoſtatico, ab Igne, Aere, Aqua, Terra, Sulphure, Mercurio corporum (ita ſaltem tantiſper vocemus) ſpiritu rerum ſyn-antipathico, aut a quibusvis concretilium texturarum Elementis vel Principiis, conſtitutivis, aliis,

Chymiſt. Scept.

Ep. ad J. Langel-lot. d. Acid. & Alcal. inſuffic.

l. c. c. 9.

exacte distincto, quod canonice adeo vo-
l.c.p.270. catur sal? idem fere MORHOFII circa hæc talia fuit judicium, idem desiderium, hisce conceptum verbis: „ Longe plures „sunt qualitates nobis incognitæ, quæ „non magis e principiis chemicis, quam „e quatuor elementis deducuntur. Un„de non est absurdum, nova illis principia „adijcere. Fortassis etiam in quatuor ele„mentis, vel tribus principiis chemico„rum, velut in capsulis quibusdam la„tent illa corporum semina, quæ huma„na industria tota investigari nequeunt. „Ideoque cum omnia tentavimus, & plu„ra nostro ingenio in lucem dedimus, „semper nobis supererunt aliqua, in qui„bus necessario nobis hærendum est, de„ficiente in nobis sensu, & fallente, ac „quasi oculis nostris se subducente, quæ „in latibulis suis delitescere amat natura.

XIX.

Hoc vero loco, auri inprimis, & nobilissimi & ponderosissimi metalli splendor, ut plures alios, ita & nos in sui vocat contemplationem. Hujus enimvero natales in profundis terræ visceribus juxta cum aliis metallis reperiri, neminem fugit, sed quando ramenta ejus in aëre, in aquis, in nive, in sale & ubi

non!

non! cum BALDUINO aliisque venantur non pauci, nullibi facile fidem atque assensum reperirent, nisi experimentis sensibus obviis muniti, quando in uvis, in frumento, in excelsis turrium cuprearum tectis, ipsisque animalibus brutis, & eorum interraneis verum aliquando aurum visum esse, historiarum monumentis fide haud indignis edoceamur, ut alios inter a J. D. MAIORE præclare expositum legitur. Ast quando rationes horum reddendæ veniunt phænomenorum, non nisi pansperniam quandam universalem, spiritum catholicum, aut seminalia mixtorum contagia & verba similia, ita ut res ipsa est, obscurissima allegari audias. Et quando miras aurim C. H. vires sibi imaginati non pauci solutionem ejus meditantur, inque potabilem illud formam redigere allaborant, post Mosaicam & Burrhianam auri extinctionem, plures equidem auri potabilis processus modosque excogitarunt, in quibus tamen fusius recensendis eo laborabimus minus, quod satis id ab aliis, inque primis a J. D. MAIORE sit præstitum, & saniorum judicio hodie constet, id quod J. G. BERGERUS opportune monuit, verum aurum potabile, raram quidem,

Aur. Auræ. l.c. 17. 18. l. c. c. 20. seq. d. Auro Potab. XXV.

dem, ſed magnam omnino, neque tamen abſolutam eſſe medicinam, & non niſi quæ per tritum fit continuatum, molæ inprimis ope philoſophicæ ad eum modum, quem O. BORRICHIUS, & J. LANGELLOTTUS monſtrant, veram & radicalem auri ſolutionem eſſe. Hoc enim motu recte continuato & aptis adjuto clavibus, partes auri compactas valde & firmo cohærentes nexu ita extenuari & dividi comminuique poſſe, ut eas interfluens ſubtilis ætherea materia in motu & receſſu a ſe invicem ſingulas conſervet, eoque aurum ſolidum in corpus fluidum & liquorem abeat, manus non madefacientem & ponderoſum, qui deinde porro idoneo junctus vehiculo commode ore capi, atque ad ſanguinem deferri, & pares ſuo ponderi vires edere poſſit, exiſtimat BERGERUS; MAIOR vero in toto negotio liberum unicuique relinquit refragium & eventui committit, quid egregii ſit cum ſimili auri tritura effecturus BORRICHIUS. Quid vero eſt, ſi hoc non eſt, in numero verum potabile aurum deſideratorum reponere.

L. II. d. Hermet. Ægyt. c. 2. Ep. ad Nat. Cut. & præf. ad exp. Tilem. circa veras auri ſolut.

I. c. 27.

XX.

Ulterius quando progreditur auri ſacra fames, & ex ignobilioribus metallis au-

aurum secretiori methodo, ope tincturæ alicujus universalis, quam lapidem vocant philosophorum, parare student, istud sane desideratorum chemico-physicorum omnium primum atque potissimum esse, in aprico est. Non, quod transmutatio illa metallorum, cui lapis ille vulgo destinari solet, plane neganda sit, sed quod pauci vel nulli obtineant id, quod exoptant infiniti. Quam in sententiam plane nobiscum facit Cl. M. B. VALENTINI in Historia Lapidum occupatus inter alia quærens: „ Ast ubi lapis philosophicus, cui tantopere inhiare so-" lent chemici secretiores, adeptos se vo-" cantes? multa etenim musea vidi, mul-" ta legi, multa collegi, nuspiam vero," quod sincere fateor, nuspiam lapidem" hunc philosophicum reperi, licet in eo" conquirendo & opes & ingenium dilapi-" dent plures. „ Scite hanc in rem jocatur G. H. VELSCHIUS, quando occasione anthomaniæ quærenti, quid de asphodelis actum dispertis, quos Menippus apud Lucianum commemorabat? respondit, poscentibus chemiæ deditis omnes eruti, alisque utilioribus & pulchrioribus permutati sunt, ut si quandoque illos speratus auri proventus deficeret, decoctis

Intr. Regn. Min.

l. c. p. 10.

patri-

patrimoniis haberent, unde viverent, & fruſtraneos labores ſolarentur. Neque multum nos falli, opinamur, ſi mirabilem Mercurii Germinationem & Ramum Aureum Virgilii, BORRICHII, WEDELIIque elogiis notum huc pariter retulerimus, utpote cujus praxin ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ λόγον, ejusdem vero cauſas & rationes ὑπὲρ πᾶσαν τὴν διάνοιαν eſſe, merito judicat vir in hiſce peritiſſimus, J. T. HENSINGIUS. Menſtruum vero quoddam univerſale, alcaheſt alias dictum, quod omnia ſine diſtinctione corpora ſolvat, uti cum PARACELSO, HELMONTIO, GLAUBERO, chemici ad unum fere omnes anxie huc usque deſiderarunt, ita nemo, quod conſtet, adſecutus eſt. Quamvis enim noſtris temporibus J. G. AGRICOLA, Medicus Ratiſponenſis, menſtruum ejusmodi univerſale venditaverit, & revera ſe poſſidere, non ſine ſtrepitu gloriatus ſit, in quo talcum, adamantem, aurum, argentum, ferrum cuprum, mercurium vivum, ſublimatum, lapides vulgares, calcem, nitrum, & trecenta in univerſum objecta ſolvere poteſt, liquore pellucido, & claro perſiſtente, neque ulla præcipitatione inſecuta; ſatis tamen mature ab aliis eſt animadverſum, corroſionem

de ort. & Progr. Chem. Exerc. Med. Philoſ.

de Metal. Germ. Artificial

nem tantum, non veram esse solutionem, quæ per additamenta fit, quibus corpora solvenda impinguntur, minus autem a fecibus liberantur; parumque abest, quin pro thrasonica habeatur jactantia, & cum admiranda arborum multiplicatione, quam idem ille autor promisit hactenus, sed nunquam præstitit, paria facere credatur, quemadmodum in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS copiosius relatum legitur. Et quod HELMONTIUM attinet, a quo tantis laudibus decantatus est liquor alcahest, MORHOFIUS exadverso, nemini mortalium, qui cognitus quidem sit, fuisse ostensum, imo ne ipsi quidem filio, FRANCISCO MERCURIO HELMONTIO, ut ab ipso in Anglia accepit, autor est, idque tanto miratur magis urgetque contra ejus existentiam argumentum, quod sint tamen non pauci, qui ipsum magnum philosophorum lapidem non semel viderint. HERMANNI vero CONRINGII judicio res ipsa est vana, atque inepta. Experientia sane convincit illum errorem. Neque enim hoc seculum, quo maxime laboratum in chemicis est, talem liquorem hactenus vidit. Ut sicco prætereamus pede, quæ ex ipsa menstruorum natura, quæ ob infinitam re-

1719. Mart. p. 364.

l.c.p. 201. d. Transmut. Metallor.

d. Hermet. Med. L. II. c. 8.

rerum ſolvendarum ratione ſtructuræ partium varietatem non niſi in certa agunt corpora, ut & ex vaſculi excipientis nullitate, quod omnia, ideoque & vas, in quo continetur, ſolveret, adverſus ejusmodi menſtrui catholici patronos adferri, nec ſine ratione, a ſanioribus ſolent argumenta. Imo vero optandum, fallor, an ſperandum, ut ejusmodi nobis innoteſcerent ſolutionis inſtrumenta, quibus & ſolidiſſima valde compacta recludere corpora, atque ex antimonio, coralliis, & ſuccino veras elicere tincturas liceret.

XXI.

Hæc vero menſtrua dum monſtrabuntur apertius, clariusque innoteſcant, vera antimonii tinctura, cum, quæ vulgo paratur, neque ipſa laude ſua defraudanda, ab additis potius ſalibus, quam ab antimonii particulis colorem, atque effectum viresque nanciſcatur, ut plura mittamus alia, quæ circa antimonium, illam metallorum anticameram, deſiderari poſſent, hucusque deſideratur. Ac, quod mira ſolertia ex antimonio ſulphur eliciunt ſpagyrici, cujus in laudes poſt GLAUBERUM & CONERDINGIUS, ETTMÜLLERUS, HOFFMANNUS, STISSERUS, nec ſine ratione fortaſſis

ex-

excurrunt, an a communi multum differat sulphure, multum BOHNIUS dubitat, dubitandi rationibus instructus. Qui & ipse chemicus præstantissimus, coralliorum, quæ circumferuntur tincturas, neutiquam esse veras, veras autem desiderari, unico isto, sed omni exceptione majore evicit argumento, quod ex albis æque ac rubicundis coralliis similis educatur, & rubiniformis tinctura, manifesto documento, eandem a salibus pariter additis, nequaquam autem ab ipsa ejus substantia in minimas redacta particulas, proficisci. Ac licet J. LANGELOTTUS hanc veram existimaverit coralliorum tincturam, quam non sine multo labore & diuturno studio mediante oleo anisi, annua digestione coralliorum ramentis in mucilaginem rubiniformem redactis, affuso deinde vini spiritu paravit, aliud tamen prudentioribus visum est, ut alios inter C. VATERUS præclare ostendit. Quid quod non plane nulli, an, si vera etiam coralliorum tinctura facile haberetur, tantas, quas accipit, laudes, per se cum J. D. MAIORE dubii hæsitent, ortum inprimis, conditionem & vias abjecti & fixissimi illius succi lapidescentis curæ cordique habentes, quo

de Medt. Gal. & Chym. XLII. LXII.

Ep. ad Nat. Cur.

d. Corall. P. 10.

l. c. c. 23.

quo ad cadavera paſſim arbuſcularum & fruticum, imo vaſtiſſimorum circa Madagaſcar nemorum, & ſcopulos, teſtas poroſas, oſſa carioſa temere projecta, aut alia corallifice ſub mari, tanquam ſpongiam aqua inebriari, ac demum indurari, vel ſemi-indurari experientia notum eſt. Hanc enimvero veram eſſe coralliorum geneſin atque originem, ut mollis tactuique cedens ad ipſa præſertim cacumina eorum textura, & preſſa lacteum fundat ſuccum, temporis demum tractu in firmiorem ſubſtantiam induranda, in coralliorum piſcatura exercitatus prodidit PEIRESCIUS, id quod a GASSENDO relatum legitur. Similiter & ſuccinum, de cujus natura atque origine tot olim tamque diſcrepantes eruditorum viguere ſententiæ, nihil aliud eſſe, clare hodie conſtat, quam reſinam vel bitumen aliquod, petroleo maxime analogon, tractuque temporis in elegantiſſimam ejusmodi & varietate maxime gratam, duramque evadere maſſam, ſicut præ cæteris præclare OLAUS demonſtravit BORRICHIUS. Quam dum variis adhibitis clavibus in liquidam reducere formam pro faciliori uſu allaborant chemici, alius quidem alio feliciori beatur ſucceſſu, cum vel ſolo

l.c p. 214.

Diſſ. Acad.

ſolo vini ſpiritu in alcohol redacto, vel eodem ſalibus acuato, & non adeo dephlegmato, vel aliis demum menſtruis, cum vel ſine ignis opera utuntur. Hæc vero utut ſe habeant, KERCKRINGIANA illa ſuccini Pruſſici tractabilitas, ut videlicet hoc citra ullam ſuæ jacturam transparentiæ ac ſine empyrevmate contracto magnatum exuviis circumfundi, & in perpetuum harum ſepulchrum, auro nitidius, mumiisque quibusvis facile pretioſius converti queat, cum in effectum illam eſſe deductam nondum conſtet, judice MAJORE, hucusque deſideratur. Videlicet in omnibus chemicorum ſolutionibus certa, & rebus ſolvendis congrua deſiderantur menſtrua, quæ in hæc & non alia agunt corpora, horum vero, mirabilium non raro, phænomenorum ſi certas & indubias requiras cauſas, æthiopem lavabis, ac poſt diuturnam ſollicitamque adhibitam operam, nihil hic certius ſecuriusve fieri deprehendes, quam PYTHAGORICUM illud antiquum: ἐπέχειν, id quod ſolutionis occaſione plumbi mediante ſpiritu ſigillatim nitri non vero alio, quamvis & ipſo acido perficienda, in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS ſcite demonſtratum eſt.

l. c. c. 11.

1672. Mart. p. 293.

XXII.

In vitriolo, viliori alias concreto minerali, generosiorum remediorum adversus contumacissimos morbos latitare copiam, una est chemicorum sagaciorum sententia, quam qui in dubium vocare audebit, audebit autem nemo, nisi rerum omnium ignarus, a Chemico præstantissimo, J. A. STISSERO, abunde convincetur. Quod vero ex eodem parare student jactantque nonnulli sulphur aut laudanum anodynum, de ejus realitate non parum alii dubitant, ut eodem nos facile carere posse, LUDOVICI & BARBETTE, BERGERUS vero in aëre piscari, qui sulphur ejusmodi in vitriolo quærunt, judicaverint. Eandem mereri limam, quæ de Primo Veneris Ente, Lapide Buttleri, Aroph Paracelsi, & aliis medicamentis non omnino contemnendis magnifice nonnulli declamant, nisi multum fallimur, credamus licet. Hæc nimirum & similia ad postulata chemicorum, cum chemico summo, G. W. WEDELIO, haud inepte retulerimus, qui & QuintasRerum Essentias, & παλιγγενεσίαν plantarum, & Mercurium corporum, & panaceas in eandem reponit classem, deque iisdem prudenter judicat, quod quædam

Act. Labor. Chem. Spec. II. c. 1.

Epit. Chim. p. 207.

dam falſa omnino, quædam dubia, quæ-"
dam autem vera, ſed non niſi ænigmati-"
ce deſcripta ſint.„ De panaceis ſeorſim nonnulla in deſideratis practicis eſſe monita, recordamur; has vero poſteaquam in minerali regno, & arcanis abditisque præſidiis multi diu ſed fruſtra, alii ex adverſo in rebus quotidianis obviis, & nulli non notis quæſiverunt, quemadmodum haud ita pridem aquam ſimplicem univerſalem eſſe Medicinam ſingulari opera F. HOFFMANNUS præclare oſtendit. d. Aqua Med. univerſal.

Qua de re commode inprimis, ut factum ab Autore doctiſſimo eſſe cernimus, explicata ut nemo dubitat, ita altioris res eſt indaginis, & deſideratis noſtris merito annumeratur, quando JACOBUS TODARUS, Panormitanus, Presbyter, Medico-Phyſicus, Theologus & Magnæ Conſoritatis S. Mariæ a Raccommandata Capellanus electus, Aquæ Frigidæ & Nivis vires arcanas etiam in Morbis, in quibus Autor Anonymus Hydroſtaticæ Medicæ eas relegat, & rationibus explanare & firmis experimentis comprobare contendit, additis obſervationibus viginti, quibus variolas, apoplexiam, cachexiam ictericiam cum hecticæ vel hydropis metu, febrem malignam, cephalalgiam

Aqu. frig. Vindiciæ ſ. Aqu. frig. vires ad omnes morbos recta lance libr. Panorm. 1722. 4.

inveteratam, diarrhœam, dyſenteriam, malum hypochondriacum, ventriculi debilitatem, febrem lentam, contuſionem, ſcrotum putrefactum, ſterilitatem, tumorem pedum doloroſum, vertiginem, aſthma, melancholiam, aqua frigida curatam, & gravidam abortum non ſolum præcaviſſe, ſed & cum parere non poſſet, partum promoviſſe, frigida epota, & nivibus in manu retentis teſtatur. Quæ certe vires ſi in uno aliquo præſidio certo & ſemper deprehenduntur, eidem nemo forſan panaceæ elogium denegabit. Dolendum ſaltem id, quod in ACTIS ERU- (1724.)
(p. 512.) DITORUM LIPSIENSIBUS opportune eſt monitum, adhibendi modum, & cautelas neceſſarias, & reliquas circumſtantias ab autore promiſſas equidem, ſed nondum publicatas eſſe, ſed huc usque deſiderari.

XXIII.

Hiſtoriam denique chemiæ ad ſcientiam & uſum, & Acta Laboratoriorum in
LI. deſideratis numerat G. H. VELSCHIUS.
(de ortu & Progr. Chemiæ.) Ut vero priori O. BORICHIUS; ita poſteriori capiti J. A. STISSERUS ſi non
(Acta Laborat. Chem.) ſatisfecit, viam ſaltem aliis præivit, quam reliqui, quibus otium & occaſio non deeſt, calcare debeant Chemici. In univer-

versum, & quod medicamenta attinet, chemiæ ope elaborata, " ingrati prorsus animi esset, non libenter agnoscere" id emolumenti, quod chemiæ debemus" acceptum, eo quod utilia nonnulla me-" dicamenta, & indicationibus satisfa-" ciendis perquam accommoda nobis sup-" peditaverit; atque eam ob causam si" intra pharmacopoeæ limites contineat-" tur ars, est satis laudabilis, attamen" nec illi culpa, aut saltem errore vacant," qui cerebrum sibi eo usque calefaciunt," ac torquent, ut tandem arbitrentur," artem medicam in hoc præsertim defi-" cere, quod remediis magnis atque effi-" cacibus a sola chemicorum præparatio-" ne atque opera nobis subministrandis" indigeat, „ quæ sunt THOMÆ verba SYDENHAMII. Op. p. 621. Experimenta vero chemica, de quibus rite instituendis satis multæ sunt a viris egregiis passim suppeditatæ cautelæ, aut minus recte interdum adornari, aut perversam eorum fieri applicationem, F. HOFFMANNUS & DEHN ROTFELSERUS præclare ostenderunt. d. Exper. Chem. Diss. Hallens. Erford. Ac si Cl. CHEYNE audias, destituimur præterea demonstrationibus mechanicis operationum chemicarum, & varii generis præparationum, qui defectus ipsi Spec. de Incr. Theor. Medic.

 sat

Diff. phys. chem. Ætiol. & obs. phys. chem. Med. & Spec. Becher. Prælect. Chem. Rariocin. Chem. l. c. præfat. Obs. & parad. Chem.

sat magnus videtur; Cui doctissimo Britanno aut BOHNII STAHLIIque labores non innotuerunt, aut non satis mechanici sunt visi. An vero defectus hic a cive ejus, J. FREIND, & J. C. BARCHUSIO ad desiderium ejusdem suppletus atque emendatus per omnia sit, penes ipsum judicium esto. Nobis ingenua placet confessio J. BOHNII, summi puta & peritissimi chemici, per dicta satis confirmata: " Chemica desiderata numerum & molem inventorum longe superant, itemque BILLICHII, qui chemiam, id est puri ab impuri secretionem, nullibi fere magis, quam in chemia desiderari, exclamat. Hæc enimvero satis, opinor, evincunt, veritati maxime esse conformia hæc a B. MEISNERO prolata verba: " Maximum eorum, quæ scimus, est minimum eorum, quæ ignoramus; omnis enim nostra scientia, quando ad summum pervenit fastigigium, est verbum defectivum, cujus clausula est: cætera desiderantur.

Conc. XXVII. d. Noviss.



VII.

VII.
DESIDERATA
CHIRURGICA.

I.

ARtis Medicæ ut variæ a variis constituuntur partes; ita eandem in Clinicam & Chirurgiam, ſeu, quod idem eſt, internam & externam hodienum haud inepte diſpeſci, ita, ut iſtam qui amplectuntur, Phyſici ſeu Medici Clinici, hujus vero ſectatores Chirurgi appellentur, ſicut ab H. MERCURIALI eſt obſervatum, una eſt intelligentium ſententia. Has inter Chirurgiam eſſe antiquiſſimam medicinæ partem, tum aliunde conſtat, tum Cl. SALMASIUS ediſſerit his, quæ ſequuntur, verbis: "Vetus Medicina in opere tantum conſiſtebat, & manu ſola agebat: „unde & χειρυργικὴ omnium antiquiſſima medendi ratio. Herbas legere, ſuccum ex his parare, ægro propinare, vulnera deligare, ſanguinem ſiſtere herbis impoſitis, urere, ſecare, & quæcunque alia manu fiunt, munus olim Medici unius fuit, artem ſuam non lingua exercen-

Var. Lect. L. III. c. 22.

l. c.

„ercentis, ſed opere. Vulnerati enim „primitus vel alio modo, læſi coacti quaſi „& impulſi fuerunt, ut ab herbarum ap„plicatione ſibi quærerent remedia, unde „chirurgia pars medicinæ antiquiſſima, MACHAONEM, PODALIRIUM, aliosque nobilitavit, ut eſt a G. W. WEDELIO memoriæ proditum. Neque vero hi tantum, ſed & iſtorum Parens AESCULAPIUS, & qui ex ejus prodiit familia HIPPOCRATES, GALENUS, CELSUS, CHIRON CENTAURUS, aliique ſummi & antiquiſſimi artis ſtatores chirurgiæ inprimis laude inclyti fuere. Nam & HOMERUS chirurgum καт' ἐξοχὴν ἰατρὸν paſſim appellat. Ac Romæ quondam combinata interdum fuiſſe Medici Clinici & Chirurgi officia, ex unica iſta MERULÆ inſcriptione, quæ penes H. MERCURIALEM, ut ſupra innuimus, occurit, conſtat. HERMANNUS certe CONRINGIUS & CASPAR HOFFMANNUS, teſtes omni exceptione majores, indiſtincta quondam fuiſſe Clinici & Chirurgi nomina, extra dubium dudum poſuerunt. Ac juxta CONRINGIUM ab Arabum temporibus chirurgiæ ſtudium a medica arte proprie dicta ſeparatum fuit & diviſum; ſi vero CELSUM audias, is poſt HIPPOCRATEM COUM, DIODEM CARYSTIUM, deinde PRAXAGO-

Spec. Exp. Chim. Nov de Sale vol. Plant. p. 1.

l. c. Intr. A. M. p. 12.

RAM

RAM & CHRYSIPPUM, tum HEROPHILUM & ERASISTRATUM ſic artem exercuiſſe refert, ut in diverſas curandi vias proceſſerint; iisdemque temporibus in tres partes medicinam diductam eſſe, ut una eſſet, quæ victu, altera, quæ medicamentis, tertia, quæ manu mederetur, primamque διαιτητικὴν, ſecundum φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν a Græcis nominatam eſſe. Quod ipſum fatalis diviſionis genus Medicos quoque Ægyptios ſecutos eſſe, accepimus. Nam præter GALENUM, HERODOTUS quoque auctor eſt, ſua ætate diverſas in partes medicam artem fuiſſe diſcerptam. Neque vero hujus rationes divortii longe ſunt petendæ, ſi præter negotiorum cumulum, faſtum atque ſuperbiam, ſupinam item negligentiam atque oſcitantiam medicorum plerorumque conſideraveris; quo factum, ut nonnulli infra artis dignitatem exiſtimaverint, manum operi admovere, alii vero negotiorum multitudine obruti id ſervis & paraſtatis ſuis peragendum demandaverint, quod ipſis ob penuriam temporis præſtare non licebat. Mutilum ut hodie medicinæ corpus, poſt tot ſeculorum inveteratam in foro medico conſvetudinem, jure meritoque ſit appel-

landum, in quo per chirurgiam ſimul & pharmaciam, de qua ſupra, poſtliminio revocandam reſarciendo, una cum A. O. GOELICKE Viri clariſſimi & genuini artis filii certatim elaborandum & deſudandum exiſtiment.

II.

Id vero ipſum deſideratorum chirurgicorum, in quibus nunc porro exponendis noſtrum vertitur ſtudium, primum & palmarium eſſe, nemo non animadvertit, niſi forte quem fugit, juſtiſſimam hodieque eſſe geminam Viri ſummi, H. CONRINGII, querelam, quarum altera illos, qui medici titulo laudantur, & artem cum dignitate faciunt, rarius dolet chirurgica didiciſſe, ſed potius ea ſæpenumero deſpicere, hisque præmisſis pergit: Quicquid vero ſit, & quicquid nobis hac in parte alii contradicant, revera ille, qui artem medicam profitetur, quique adeo perfectus eſſe medicus cupit, neceſſum habet, omnes ejus partes tenere: chirurgiæ itaque peritia omnino in eo requiritur, quamvis non ſit opus, ut ipſe manum ſuam admoveat, cum hoc per alios æque poſſit præſtare; & porro: chirurgia per ſummam injuriam a medicina ſejuncta eſt, optimorum itaque ſcriptorum chirurgi-

I. c.

c. XII.

gicorum notitiam habere debent illi, qui elegantiam medici aſſequi volunt: altera vero eos, qui chirurgiam hodie exercent, utplurimum nulla reliquarum artis partium peritia, nulla doctrina elegantiore inſtructos exiſtere, ingemiſcit, quam eandem fuiſſe querelam novimus R. MINDERERI, J. LANGII, VINCENTII ALSARII a S. CRUCE, EUSTACHII RUDII, & P. UFFENBACHII. Chirurgia certe ars non modo in ſe nobiliſſima, & ad varios vitæ humanæ caſus maxime eſt neceſſaria, ſed & medicinam internam omnem ob evidentiam & certitudinem maxime antecellit. Eſt enim chirurgiæ effectus inter omnes medicinæ partes evidentiſſimus. Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademq; ſæpe ſalutaria ſæpe vana ſint; poteſt dubitari, ſecunda valetudo medicinæ an corporis beneficio contigerit. At in ea parte, quæ manu curat, evidens eſt; omnem profectum, ut aliquid ab aliis juvetur, hinc tamen plurimum trahere, ut eſt ab A. C. CELSO opportune monitum, quibus hæc autoris cujusdam anonymi Galli plane congruunt verba: la Medecine ſe rapporte a trois parties: la diete eſt la premiere & la plus commune, la pharmacie eſt la plus utile, & la chirurgie la plus neceſſaire, la principale & la plus evidente. „

præf. ad Fieni chir.

Threnod. Med L. II. Ep. 47.

Quæſ. per Ep. p. 150.

Art. Med. Dedic.

Theſ. chir. præf.

L. VII. Med. præf.

Operat. Chir. C. I.

III.

III.

Maxima autem ut ſit chirurgiæ evidentia & certitudo, multos tamen magnosque in ea, ut in reliquis artis partibus, offendimus hiatus atque defectus.
Op. chir. fol. præf. Quorum plures THEOPHRASTUS indicat PARACELSUS, eosdemque G. H. VELSCHIUS generatim tantum innuiſſe videtur, quando Apotelesma Chirurgiæ veteris & recentioris ad deſiderata
L. II. Medicinæ retulit; plenius vero & graphice magis delineata dedit JOBUS
Chir. Barbett. 4. p. 448. a MEKEREN verbis pone ſequentibus: „Nunquam perfecta ſatis chirurgiæ & „medicinæ navigatio, in qua juxta medicorum peritiſſimos ad proximorum „ſalutem tanquam piſciculi noſtris cymbis & naviculis fluctibus innatamus, dum „in profunditate ſua multas variasque incognitas rupes atque inſulas quaſi nebulis obtectas habet, ſcopuli profecto „ſubinde ejusmodi reperiuntur, quos „non tantum ſine alliſione non prænavigamus, ſed quibus tanquam ignari „& ſuperbi firmiter adhæremus: & ipſos „licet forte fortuna ſuperemus, negligentiæ noſtræ culpa evenit, quod deinde „tali cognitione non imbuamur, qua „eosdem evitare valeamus. Ad occul-

tas

tas hasce insulas quod attinet, quæ ad"
omnium nostrorum honorem tanquam"
in crepusculo adhuc latent, & se ad æ-"
grorum salutem subinde produnt, a qui-"
busdam, qui ultra id, quod sciunt, ni-"
hil scire desiderant, data opera & con-"
tumeliose præternavigantur, quasi ars"
ad perfectionem nihil amplius exigeret,"
quod sane contrarium est aureæ isti re-"
gulæ, quam quotidie optimus & bo-"
nus ille senex, Guido, in ore habebat,"
nempe artem crebra additione suppleri."
Si forte contingat, artis amantem ocu-"
los in salutem & commune omnibus"
bonum intentos habere, & ipsum sum-"
ma ope niti, ut has occultas insulas de-"
tegat, & mundo aliquid certi verive"
demonstret, omnis ejus labor ludibrio,"
progressus contemtui, veraque ejus in-"
tentio pro falsa haberetur. Hi igitur"
defectus, quando per partes nunc porro
& potiora capita ostendendi veniunt, non
equidem crassam chirurgorum ignoran-
tiam, aut errores eorundem graves &
subinde capitales atro notare lapillo ani-
mus est, utpote in quo argumento viri
dudum doctissimi, J. J. WALDSMIDIUS, Chirurg. Cartes.
G. C. SCHELHAMERUS, J. H. HEUCHE- L. de
RUS, alios inter occupati fuerunt, quam Tumor.
in præfr.

Chirurg. Insont. Et. Med. Pr. p. 533. in rem R. LENTILIUS ſcite admodum: chirurgi præſertim juniores omnia tenent, ſaltim ubi eſt Rhodus, ibi ſaltare non poſſunt; ſed ea tantum breviter ſtrictimque notabimus, quæ nec ſummis & peritiſſimis chirurgis in hunc usque diem innotuere. Ipſa vero chirurgia cum in generalem & ſpecialem vulgo diſpeſcatur, quarum hæc manu atque inſtrumentis congruis; iſta vero medicamentis potiſſimum externis omnis generis affectionibus in habitu & ſuperficie corporis obviis mederi docet, in utraque occurrunt non pauca, quæ copioſum ſatis differendi argumentum ſuggerent. In generali chirurgia, quam & medicam appellant, occurrunt tumores, ulcera, luxationes & fracturæ, pentateuchi chirurgici nomine inſignitæ ab H. HIERONYMO FABRITIO ab AQUAPENDENTE. Ex ſingulis unum atque alterum allegabimus paradigma, unde de reliquis fieri poſſit judicium.

IV.

Tumores dari non paucos rebelles, imo incurabiles, tum quotidiano rerum uſu docemur, tum ſcirrhi, ſcrophulæ, ſtrumæ, ganglia & nodi articulorum, tum fungi præſertim cerebri, in vulneribus ejus-

ejusdem apertis, minus vero cœcis naſcentes, utpote quorum hiſtoria, ut eſt in ACTIS MEDICORUM BEROLINENSIUM ſcite animadverſum, non pro merito in inſtitutionibus & ſcriptis chirurgorum tacta vel tractata obſervatur, tum vero & herniæ ſuo confirmant exemplo. Harum cum variæ ſint ſpecies, a locis affectis & gradibus diverſis diverſam ſortitæ appellationem, ſingulis varia imo infinita opponuntur præſidia. In quibus plura ſunt empirica, magnetica, anilia, ſuperſtitioſa, plura etiam in arcanorum numero habita, quæ, poſtquam innotuerunt, magnificam de ſe conceptam ſpem adeo non impleverunt, ut de irrito eorundem effectu hernioſi acerbas non raro in hunc usque diem querelas fundant. Sic anno ſeculi elapſi octuageſimo ſexto juſſu Galliarum Regis publicatum fuit arcanum, quale pridem J. HARTMANNUS ad externos commendaverat uſus, quo circumforaneus & operator Gallus plures hernioſos curaſſe fertur, eſtque nihil aliud, quam ſpiritus ſalis rectificatus, pro ætatis ratione ad guttas duas & plures ſucceſſive langventibus cum vino per viginti circiter dies ex ordine propinandus, ſicut a M. B. VALENTINI, & N. BLEGNY pluribus expoſitum eſt. Sed quid ab hoc auxi-

II. I. IV. p. 105.

Prax. Chimiatr. p. 66.

Polychr. exot. diſſ. VI. Zod. Gall. An. I. App.

auxilii genere expectandum ſit, tum ex-
1701. p. perientia loquitur, tum in HISTORIA
258. MORBORUM VRATISLAVIENSIUM,
pulchre his, quæ ſequuntur, verbis declaratur: "Dehortamur ab uſu famoſi remedii juſſu regis Galliarum orbi communicati, ſcilicet ſpiritu ſalis, quem Abbas per viginti dies in vino rubro dedit, gradatim aſcendendo a ſcrupulo uno usque ad enormem drachmarum duarum doſin, quam ſumme ægris noxiam eſſe, noverint ii, qui ſpiritum hunc absque interruptione per aliquot tempus ægrotis dederunt." Hujus itaque inſufficientiam & plerorumque reliquorum auxiliorum pharmacevticorum videntes chirurgi ad manualem operationem animum applicuere, ferro atque igne ſanaturi ea, quæ medicamenta non ſanant. Quo quidem in re ut HIPPOCHRATEM ſequuntur ducem, ita neutiquam vituperandi ſunt. Sed uſus deinde docuit, & ægri clamitant, in enterocele ſeu hernia inteſtinali vix absque caſtratione, ſeu alterutrius teſticuli amiſſione ſectionem administrari.
L. I. d. off. Med. C. XXII. p. 523. Quamvis enim Cl. I. BOHNIUS caſtrationem in herniotomia minime neceſſariam eſſe, ex fundamentis

anato-

anatomicis a C. E. CLAUDERO latius d. Morb. expoſitis ſolide demonſtraverit; com- Acut. P.S. muniter tamen eandem ſimul cauſari, Wedel. Corollar. nulla indiget demonſtratione, cum rerum teſtimonia adſint. Enimvero non defuerunt, qui ad evitandum iſtud incommodum punctum aureum, ſeu virgulam ſimilem in ſubſidium vocarunt, cujus quidem primus inventor incertus eſt, res ipſa autem & operandi modus deſcribitur ab A. O. GOELIKE. Sic & F. WIDEMANNUS, Chirurgus Fridbergenſis, her- Hiſt. Chirurg. p. 255. niotomiam absque caſtratione inſtituendam publico dedit. Sed dum conſtet, an revera in praxin deduxerit methodum, quam ingenioſe ſatis in theoria excogitavit autor, ut non ſine ratione tale de eo judicium fertur in ANNALIBUS 1719. Aug. PHYSICO-MEDICIS, ad evitan- p. 266. da majora omnium, quæ hactenus innotuerunt, methodorum incommoda ſanioribus arridet ſalutare viri doctiſſimi, L. HEISTERI conſilium, qui congrua Chir. ſubligacula omnibus ejusmodi ſectioni- p. 651. bus longiſſime præferenda exiſtimat, præſertim cum in HISTORIA MORBO- 1702. p. RUM VRATISLAVIENSIUM plane ſi- 102. milia occurrant monita hiſce concepta verbis: "Nos profecto, quamdiu medi-

 cinam

„cinam fecimus, nulli fuimus autores, ut „circumforaneorum crudelitati ſe per„mitteret, ſed quantum in nobis fuit, la„boravimus, ut hernioſis per btachieria „& debita remedia opitularemur. Quod ſi vero hæc cuipiam palliativa tantum, videantur auxilia, ideoque autm eliora certiorave ſibi monſtranda poſtulet, aut hernias omnino incurabiles juxta veteres pronunciandas exiſtimet, eidem, dum iſta innotuerint, non ſolum ambabus, quod poſtulat, largiemur manibus, ſed & ejusdem cauſas aſſerti a NICOLAO LEQUIN, chirurgo herniario Pariſienſi, mutuatas dabimus: nimirum quod herniæ completæ & grandiores ſint curatu difficillimæ, deinde quod noſtris demum temporibus reperti ſint, qui in earum cura ſe præcipue imo unice exercuerint.

Tr. d. Hern. in Chirurg. Barbett. p. 57.

V.

Ad ulcera communiter refertur cancer, morbus, qui partes glanduloſas & mulierum inprimis mammas male plerumque mulctare ſolet; non male id quidem, ſi de erecto, quem Græci quoque ἀκρόπαδον elevatum appellant, ſit ſermo; occultus enim, Græcis ὑποβρύχιος ſubmerſus dictus pari jure ad tumores reduci poſſe videtur. Hac enim notione utrum-

utrumque cancri genus divus exprimit HIPPOCRATES, verbis pone ſequentibus: "Quibus cancri occulti fiunt, non L. VI. Aph. 38.
„curare melius eſt; curati enim citius in-
„tereunt, non curati vero longius vitam
„trahunt. Unde mox, quid de cura cancri radicali expectandum veniat, primo patet intuitu. Equidem non defuerunt omni tempore chirurgi, qui remediorum vulgarium inertia perſpecta ad ſpecifica & arcana ſublimiora & invenienda & malo huic rebelli opponenda animum applicuerunt. Quemadmodum P. BARBETTE empiricum quendam vidit, qui cancrum ad legitimam & laudabilem ſuppurationem deduxit per pilulas confectas ex bufone calcinato, poſt epotum mercurium currentem, cujus pars multa in calcinatione rite peracta fixatur. Sed ut idem ille medicus & chirurgus experientiſſimus virtutem prædicti bufonis perquirendam relinquit lectori curioſo, ita de ſucceſſu perquam dubio & incerto, ſaltem minus univerſali, ſuſpicio oriri facile poteſt illi, qui laudatum HIPPOCRATIS oraculum experientia abunde confirmatum curatius penſitarit. Eodem autore BARBETTE ſummopere a multis laudatur arſenicum quoddam præ- l.c. p.22 2.

paratum, ſive mercurius ſublimatus, quo vero ſucceſſu, ſatis loquuntur aperte, quæ mox ſequuntur verba: „ſed facta dictis non reſpondent ſufficienter. Et quod arſenicalia ſpeciatim attinet, ea ad mentem G. W. WEDELII, ſi fateri volumus, quod res eſt, cautiſſime & non niſi exuta acrimonia in uſum vocanda, ſiquidem centrum non penetrant, ſed ut alia ſuperficiem lambunt, vel ſi exedant, magis irritant & exacerbant. Qui & ipſe poſt fata quoque ſuſpiciendus medicus, in chirurgicis quoque exercitatiſſimus, pulveris cujusdam ſecreti, medici Lotharingi ex epiſtola BLONDELLI de nuncio profligati ſine ferro aut igne carcinomatis, meminit, ſed & absque encomio dimittit, manifeſto documento, experientia Wedeliana neque hæc, neque reliqua hactenus nota ad cancrum laudata præſidia comprobata eſſe. An vero calx ſaturnina, & qui ex ea cum reliquis componitur lapis medicamentoſus malitiæ cancri ſubigendæ par ſit? eo magis cum Viro Cl. J. H. SLEVOGTIO, qui alio in loco optandum eſſe exiſtimat, ut Sutorianum vel Gervaſinum cauterium, quibus ingentes tumores, modo non cancroſi fuerint, feliciter & absque no-

l. c. p. 223.

d. Cancro. Mamm. p. 30.

de Ceruſſa §. 35. de Tumot. Tunic. §. 21.

notabili molestia extirpari posse, haud fallacem, inquit, esse rumorem, innotescerent; ambigendum arbitramur, quod etiam ex hoc capite turpe sit dicere: non putaram; si eventus justo liberalioribus pollicitationibus non responderit. Sed miseris nunc cancrosis salutem & minime dubium pollicentur auxilium remedia KORTHOLTIANA, a viro erudito & amplissima consiliarii regii in Borussia dignitate conspicuo profecta, & non ipsius tantum elogio autoris & inventoris, sed & repetito eodemque felici usu longe lateque, Lutetiæ inprimis Parisiorum & Argentorati celebrata, utpote quibus in locis effectum laude omnino dignum in cancro exulcerato plus vice simplici præstiterunt, id quod eo magis videtur mirum, quod præter balsamum vulnerarium & liquorem pariter innominatum nulla requiratur diæta, nullus præterea medicamentorum apparatus. Hæc igitur si omnia rite se habent, & veritati respondent, ut dubitare non licet per ea, quæ in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS fuse atque erudite sunt commemorata, nihil optandum magis, quam ut in salutem tot misere languentium hæc talia remedia brevi propalentur, 1719 Jan. p. 100.

& repetitis confirmentur experimentis. Ita enim & inventorem debitus manebit honos, & artis pomæria magis magisque, quo nullum eſt deſiderium juſtius ac laudabilius, amplificabuntur. Alias vero & reliquis omnibus in caſſum uſurpatis, ad ferrum tranſire ſolent, qui cancri medelam curæ cordique habent, enſe reſcindendum rati id, quod ad frugem reduci nequit. Neque fruſtraneum eſſe ejusmodi inſtitutum, exempla docent eorum, qui per ſectionem feliciter a cancro liberati ſunt, tum alibi paſſim,
1717. Sept. p. 68. tum in iisdem ANNALIBUS obvia. Sed minus conſtans fuiſſe levamen, quod miſera ſibi ab operatione iſta ſatis crudeli ſpoponderat, quin lipothymiam, anxietates, oppletiones pectoris, ſuffocationis metum, V. Sne confeſtim inſtituta, vix ſublatum, aliaque ſymptomata eandem eſſe ſecuta, & mali in partibus reſiduis vicinis recrudeſcentiam, eamque
1718. Aug. p. 419. lethalem, fabulæ tandem finem impoſuiſſe, eodem in loco juxta cum ſingulis circumſtantiis relatum extat. Veriſſimum ut ſit & plane aureum, ut omnia eruditiſſimi Medici, J. N. PECHLINI, quo elegantem de Cancro Mammarum exercitationem, ſingulis ejus remediis ſolli-

cite

cite examinatis, obſignat, quodque miris ſemper modis placuit, epiphonema: „Adeo id operam dandam eſſe puto, ne lenta alioquin ſanatio violento conatu abrumpatur, & qui in longitudinem extrahi morbus poteſt, ſubita morte expietur; aliquid enim eſt, quem ſervare integrum non poſſis, illum quamvis miſerum & afflictum ad tardiorem exitum componere.„ L. I. Obſ. LXX.

VI.

Quæ de cancro, eadem & de gangræna & ſphacelo dici jure poſſent, niſi imbecillitatem ſuam ad unum omnes confiterentur lubentes medici & chirurgi, ubi id, quod plenariam ſubiit corruptionem, in integrum reſtituendum venit in ſphacelo: in gangræna vero non nimium progreſſa haud omnis remediis ſelectioribus deneganda eſſet efficacia. Ideoque miſſis ulceribus ad vulnera progrediamur, viſuri, an & quid in eorum curatione hodieq; deſideretur. Quo quidem loco neque unguentum armarium, aut pulverem ſympatheticum, neque balſamum vulnerarium Dippelii, vel l'eau d'arquebuſade, & ſimilia remedia vulneraria, miris paſſim encomiis celebrata, exagitabimus eorumque efficaciam veram an puta-

tatitiam examinabimus fuſius, ſed cum plura ſuperſint pertractanda, hiſce tantisper miſſis ad alia tranſitum faciemus. Hic vero præ cæteris occurrit artificium, ſanguinem ex vulneribus præſertim recentibus, & parvo nimis foramine, ut ſanguini, aliisque humoribus exitus præcludatur, exugendi, non heri demum aut nudius tertius natum, ſed antiquiſſimis jam notum temporibus, & venenatis inprimis morſibus applicatum. Qui enim hoc quicquid eſt operæ olim præſtabant, Pſylli vocabantur, nomen accipientes a Libyæ populis, qui Pſylli dicti a rege Pſyllo, quibus ſtupenda ab antiquitate tribuebantur, ſcilicet ingenitum habere virus exitiale ſerpentibus, cujus odore ſopiant eos, quemadmodum a PLINIO memoriæ proditum eſt. Sed & in hac methodo quod deſideret, invenit DOMINICUS ANELLUS, exarato eum in finem libello, gallico idiomate, ut artem ſugendi vulnera absque oris humani ope publico daret. Cogitans enim, fieri non raro poſſe, ut ore ſugens morbo quodam contagioſo laboraret, pluraque inde metuens in corpore tum vulnerato, tum ſano incommoda, methodum excogitavit, mediantibus ſyringis diverſæ magnitudinis, tum ſan-

H. N. L. VII. C. Z. L. VIII. c. 24.

gui-

guinem extra vaſa conſtitutum & corruptioni proximum educendi, tum & liquores balſamicos, & vulnerarios ad promovendam conſolidationem immittendi. Hæc vero an ita ſit explorata, & repetito confirmata uſu, ut nihil circa eam amplius deſideretur, in medio relinquimus.

VII.

Cæterum vulnera non pauca curationem aut plane non, aut non ſine maxima admittere difficultate, tum per ſe conſtat, tum exemplis vulnerum graviorum & profundiorum capitis, pectoris, itemque abdominis ſatis demonſtrari poteſt. Sine capite equidem & cerebro homines interdum natos & aliquamdiu in vivis ſuperſtites fuiſſe, exempla docent a J. J. WEPFERO, M. MAPPO, & in ACTIS MEDICORUM BEROLINENSIUM commemorata. Homines vero capite quacunque violenta ratione prorſus privatos in integrum reſtitutos fuiſſe, nemo recordabitur, neque nos tale quid deſideratis noſtris inſerere auderemus, ne jocoſa proferre ibi, ubi ſeria res agitur, velle videamur, niſi ſimile quid tentatum aliquando hiſtoriarum monumentis traditum eſſet. De DYONYSIO Areopagita relatum accepimus, ubi decollatus

M. N. C. A. III. Obſ. 29. Schol. d. Acephal. VIII. 1. 2. 3.

erat, gestasse aliquamdiu caput, & perinde ac si viveret, tropæi instar ad duo circiter milliaria gallica deportasse, sicut a G. FRANCO de FRANCKENAU una cum aliis exemplis parallelis ex aliis autoribus fusius relatum legitur. Sed altioris est indaginis id, quod ex ore MARCI MARCI BOHUSLAUS BALBINUS refert paradigma, quod a fabula non multum abesse æquis rerum arbitris videbitur: huic enim optimus senex enarravit, cum sub initio seculi præcedentis ipse adhuc adolescens interfuerit justificationi cujusdam, qui in Hradezan in arcis regiæ conspectu capite minueretur reus a carnifice, vidisse se ibi turmam medicorum atque chirurgorum, quibus nominatim Schatto, regni Boiemiæ Physicus, Sennerto laudatus, interfuerit, instrumentis, emphastris atque læniis armatam: qui cum id a Cæsare, Rege & Ordinibus impetrarint, experiri voluere, utrum reo vita aliquo tempore sustentari posset; ubi igitur caput demessum, alii chirurgorum truncum elevarunt, alii emplastris venas munierunt, alii caput imposuerunt, medici analeptica infuderunt, ut revera recreari visus atque etiam nictare, cum totius populi vociferatione & applausu, incipe-

Satyr. Med. VII. p. 133.

Miscell. Histor. Regni Boiem L. III. c. 18. §. 4. p. 215.

ciperet. Elevatus deinde lentiſſime tractus magis, quam ductus in vicinam domum, poſtquam non parva vitæ indicia dediſſet, tandem tamen inter manus medicorum & chirurgorum exſpiravit, adeoque Cl. VALENTINI hæc recitantis judicio, carnificis enchireſis magis infallibilis, quam chirurgorum obſervata fuit. Sic & lingua penitus abſciſſa an renaſci poſſit, affirmant G. HORSTIUS, C. RETGERUS, L. SCHRÖCKIUS; negat vero & nullo modo linguam regenerari poſſe contendit JACOBUS ROLANDUS de BELLEBAD, chirurgus Salmurienſis, in Agloſſoſtomographia, puerumque octennem ſeptica variolarum labe elinguem narrat, ſed & loquentem, ſtupet Academia Salmurienſis, ſtupet & univerſus terrarum orbis, ſtupebunt & ſeri nepotes. Etenim de miraculo ne conticeſceret ætas nulla, Academiæ Salmurienſi ſui ſtuporis memoriam propagare licitum eſt. Projecto quippe titulo ſesquipedali τῆς ἀγλωσσοστοματολαλοπαιδογραφίας hiſtoriam univerſam illam de puero octenni ſine lingua ore loquentis ab oblivione hominum & ſilentio vindicavit, quemadmodum ex CAROLO DRELINCURTIO GEORGIUS iterum

Prax. Chir. p. 2.

L. III. Conſ. & Ep. ſect. 1. M. N. C. Dec. I. A. I. Dec. II. A. II. Obſ. 51.

l. c. VII. p. 120.

FRAN-

FRANCUS de FRANCKENAU annotatum reliquit. Et quod vulnera attinet pectoris, mirum ſane, vulnus thoracicum neutiquam ſuperficiarium ſedula PECHLINI cura accedente chirurgi miniſtrantis opera Benedicente Deo, ex voto feliciter eſſe perſanatum, ſicut ipſe pluribus refert. Glandulæ vero thymo inflicta vulnera, ut reliqua prætereamus, quid ratione partium communi nexu junctarum implicent, autores nondum tetigiſſe, ut eſt in ACTIS MEDICORUM BEROLINENSIUM monitum, nemo mirabitur, quisquis uſum glandulæ thymi ad deſiderata phyſio logica ſupra a nobis relatum, recordabitur, ejusdemque uberiorem explanationem in hunc usque diem, etiam poſt inventos ductusBellingerianos & conſectaria inde precario elicita, a genuinis artis filiis deſiderari.

Ephem. Vuln. Thor.

Vol II. p. 115.

XIII.

VII.

In ſpeciali chirurgia, ad quam nunc ordine jubente ſenſim devolvimur, duo inprimis, quæ caſtigatione ac emendatione opus habent, J. BOHNIUS oſtendit, inſtrumentorum nempe apparatum modo juſto minorem & deficientem, modo incongruum, modo ſuperfluum, & operationum nonnullarum ineptitudinem pariter

L d off. Med. 488.

riter atque incertudinem: quæ ut per ſingula momenta ibidem ulterius perſecutus eſt, ita trepanationis ſigillatim difficultates peculiari eoque doctiſſimo labore deduxit. ELIAS pariter CAMERARIUS operationes recentiorum Wolhuſianas, Anelianas, Dionyſianas, aliasque numeroſas, ipſisque reſpondentia inſtrumenta & pretioſa & ſubtilia incuſat, nimiusque eorundem apparatus & ſplendor ipſum male habet, certo ſatis indicio, & in hac chirurgiæ parte non defore pia & juſta virorum doctiſſimorum deſideria. Quod ut clarius conſtet, unam atque alteram operationem chirurgicam penitius inſpicere juvabit, facto ab operatione maxime univerſali, & quæ maximos quondam in ſcholis medicorum concitavit ſtrepitus, initio, chirurgia nempe infuſoria & transfuſoria, quarum hæc ſanguinem recentem & calidum ex corpore animalis vel hominis ſani, illa vero varios liquores medicatos in venas corporis morboſi inciſas immittere docet. Hæc quidem operatio an OVIDIO, aut MARSILIO FICINO cognita fuerit, incertum omnino eſt, cum loca iſta partim ſint obſcura, partim manifeſtam ſapiant fabulam, neque ſatis conſtat, an MAGNO PEGELIO hoc

Syſt. Cautel. Med. p. 255.

L. VII. Metamorph. L. II. c. II. de Stud. Sanit. tu.

ex-

experimentum innotuerit, quemadmodum G. PASCHIO, & J. E. SCHAPERO ex nonnullis illius verbis vero valde videtur simile. ANDREAM vero LIBAVIUM haud superficiariam ejusdem habuisse notitiam, cum clara ejus extent verba, negandum non est, ut frustra cum Anglis C. WREEN, & R. BOYLE, J. D. MAJOR, & cum hoc S. ELSHOLTZIUS de inventionis gloria disputasse videantur. Hi cæteroquin doctissimi viri una cum M. ETTMüLLERO, J. C. STURMIO ac reliquis chirurgiæ istius scriptoribus, multa inde miseris languentibus & morbis desperatis atque rebellibus afflictis, mania, melancholia, hydrophobia & similibus commoda atque solatia, & senibus parum abest, quin rejuvenescentiam promittant, sed problematice plerumque rem tractant. Quamvis enim inficiandum non sit, in ACTIS præsertim ANGLICANIS non pauca felici successu instituta experimenta offendi, nihilominus tamen medicos una cum suis ægrotis spe sua excidisse, avtopsia, docet, atque unum istud exemplum de DIONYSIO inveteratam ope transfusionis sanguinis curante dementiam, ægro non multo post recidivam experto lethalem, dubitantem satis, opinor, con-

d Inv. Nov. Ant. c. 6. Med. Curios. 1698. p. 8. Defens. Synt. Are. c. H. Scheunem. c. 4.

p. 504. 588.

convincet. Nostris quoque temporibus D. CHILIANI, Medicus Vismariensis, mediante balsamo de Mecha per syringam in venam medianam, sanguine prius extracto, injecto ulcus venereum & rebelle persanavit in milite: idem vero experimentum cum in alio milite, cephalæa ex ulceribus pedum clausis laborante, eodem mediante balsamo tentaret, res ipsa quidem cessit feliciter, sed effectus inde speratus minime secutus est, ægro brevi post operationem fatis cedente, sicut in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS relatum legimus. ELIAS certe CAMERARIUS non multum huic operationi tribuere videtur, quando ægros ejusmodi magis judicat esse restitutos ex eductione proprii, quam injectione alieni sanguinis, cum addito: ad minimum & infusio & transfusio vix qua ideam supersunt in scholis medicorum, tanquam tenues quædam in memoria umbræ." Quam in sententiam G. A. MERCKLINUS ortum & occasum transfusionis sanguinis singulari exercitatione exposuit. Equidem Vir doctissimus D. G. MORHOFIUS non deserendam putat, nec spernendam; & in maleficis mortique damnatis capienda specimina, quod non

1718. April. p. 994. Maj. p. 1086.

l. c. p. 647.

Pol. T. II. L. II. P. I. C. VIII.

non destituatur verisimilitudine, & in experimentorum defectu quilibet in se fieri periculum grave existimet. Sed magis arrident sanioribus illa R. J. FORTIS, alia inter huc spectantia verba: „Non- „credat quispiam, hujus transfusionis ope „senes nova juventa reflorescere posse, ac „si nativus calor & augeatur, & renove- „tur, semel enim consumtus non amplius „restitui potest, sicut a privatione ad ha- „bitum non datur regressus.

Conf. Cent. II. p. 177.

IX.

Plura eam in rem afferre cum liceat, non libet, præsertim cum hoc idem argumentum in Desideratis jam practicis data hydrophobiæ occasione tactum, & OLAUM inprimis BORRICHIUM, commoda simul & incommoda, cautelas item non contemnendas circa hanc chirurgiam suggerentem laudatum meminerimus. Hic ipse vero morbus gravissimus aliam ostendit, eamque celebratissimam operationem ad chirurgicas haud inepte referendam, quando a cane vel alio animali rabido demorsi in aquam ex improviso præcipitantur; hoc enim remedii genere miseris istis mortalibus aut optatam aut nullam de reliquo medelam parari posse, plerique arbitrantur; aliis ex

XVIII.

ad-

adverſo demerſionem in mare vel aquam quamcunque non eſſe certum contra rabiem remedium, judicantibus. Permulti, inquit A. PARAEUS, ſe in mare demerſere, "nec tamen inde adverſus rabiem quicquam adjumenti ſenſere. L. XX. c. 8.
Quid quod non deſint, qui hanc curandi rationem GALENO, AETIO, aliisque veteribus ignotam a CELSO vero laudatam, L.V.c.27. ex male intellectis hujus verbis derivandam exiſtiment. Is enim præmiſſa curatione, quæ veneno debetur, deinde aliam ſubjicit, quæ ſiti & hydrophobiæ convenit, quæ interdum poſt aliquot menſes ſupervenire ſolet. Obſervandum præterea monent, CELSUM non reſpicere ſimplicem illam præcipitationem, & externam aquæ affuſionem, ſed eam potius CELSI & aliorum eſſe ſententiam, ut ægri, quia aquam & omnem potum reſpuunt, vi adhibita bibere cogantur, ac propterea, eosdem, qui natare poſſunt, vi immergendos eſſe, ut inviti quoque aqua ſatientur, autorem eſſe, quandoquidem ſic ſitis ſimul & aquæ metus tollatur. Quapropter dubium non eſſe, autumant, quin immerſio iſta in aquam frigidam ex doctrina medicorum minus intellecta, ab ignaro vulgo

 uſur-

Quæst. Med. XI. usurpari cœperit, J. M. HESSO haud inepte id observante.

X.

Oculorum quod attinet chirurgiam, reliquas inter operationes cataractæ eminet depositio, qua mediante acu a perito artifice per tunicas oculi juxta cantum majorem in bulbum oculi immissa, pellicula in humore aqueo juxta receptam hactenus sententiam concreta, & pupillam claudens deprimitur, & reliquis rite se habentibus visus antea amissus ægro restituitur. Hanc quidem operationem plenius ab iis descriptam, qui chirurgiam hanc operatricem ex professo, quod dicitur, tradiderunt, duplici de causa minus fidam deprehendit BOHNIUS, vel quod post detractionem prioris pelliculæ interdum brevi tardiusve nova generetur, & pristinam molestiam pariat: vel quod ipsa deposita post plures paucioresve dies, inprimis si adhuc imperfectior & levior extiterit, aut non rite depressa fuerit, vel etiam omnibus lege artis peractis, facili occasione & capitis motu denuo elevetur. Neque de nihilo esse hæc doctissimi viri dubia indeque oriunda desiderata, tum usus quemlibet docere potest, tum vero inde constat, quod nondum

l. c. p. 492.

dum inventa ſit methodus, quæ pellicu-
lam depreſſam ex oculo eximere, me-
tumque adeo omnem redituri forſan
mali cœcutientibus adimere valeret. STE-
PHANUS equidem BLANCARDUS, in
ſuperiori oculi parte ſupra pupillam exi-
guum fieri vulnus, & duarum acuum, for-
cipis inſtar fabrefactarum, ope pelliculam
eximi, ſicque ejusdem aſcenſum impe-
diri poſſe, putat, eandemque conjectu-
ram ex obſervatione quadam T. de MAT-
ERNE hauſiſſe videtur, qua memora-
tur, mulierem Anglam oculiſtam acu
aperuiſſe corneam ſupra pupillam, hu-
morem aqueum, qui turbidus & obſcu-
rior factus viſum imminuerat, effluere
ſiviſſe, concidiſſe oculum, applicata re-
media, imperatam quietem, proſpe-
ctum inflammationi, aliquot poſt die-
bus poſtliminio ſuccreviſſe humorem
aqueum, repletum oculi globum, pun-
cturam occluſam & conſolidatam, nulla
remanente cicatrice, viſionis aciem re-
ſtitutam, & perfecte curatum fuiſſe æ-
grum. Sic & acum cannula munitam ex-
cogitarunt alii, ut retracta acu per can-
nulam tanquam ſiphonem exugerent ca-
taractam, quemadmodum penes C. a SO-
LINGEN videre eſt. Alii vero ex agyr-

Chir. L. II. c. VIII. §. 16.

Prax. Med. L. I. c. 12.

Chir. P. I. c. 16.

tarum ordine acu certo modo fabrefacta & præparata oculum perforari, cumque ad catarractam pervenerit, presso digito elatere forcipe prehendi pelliculam simulque extrahi debere volunt; verum ut postrema & prima methodus nunquam in praxin vocari poterit, licet primo intuitu utraque valde videatur plausibilis: ita & mediam non succedere constat; suctione enim educitur aqueus humor, & mere fortuitum esset, si ejus effluxum sequeretur cataracta, æque facile attraheretur uvea, atque ita totus interior oculi mechanismus destrueretur, quemadmodum hæc & similia a B. ALBINO fusius demonstrata sunt. Eodem & acus pertinent variæ, & MATTHIOLI speciatim arundinea, in mucronem exiens cavum, eo reperta consilio, ut oculo infixa suctu oris cataracta ejiciatur. Neque alio eandem acum consilio emendavit BURRHUS, quam ut ludibrium illud chirurgorum, cataractæ reditus, præveniretur. Fallor! an eadem Nuckii mens fuit, qui duabus utendum putavit acubus, una acuta pariter atque excavata, altera obtusa, eademque ideo, ne pellicula tam facile scinderetur in partes, novæ generandæ suffusioni perquam aptas. Sed om-

d. Cataracta. XIV. seq.

omnes iſti boni viri judice doctiſſimo HEI- Chir.Inſ.
STERO,fuerunt fruſtra, in caſſumque labo- XXIV.
rarunt; nihilque inventis ſuis egregiis excogitandis egerunt aliud, quam ut numerum augerent chimærarum, inaniumque ſpeculationum chirurgicarum, quam ut amplificarent multitudinem deliramentorum potius, quam tentaminum chirurgicorum. Idemque Cl. HEISTE- Chir. P.
RUS de acu D. BRISSEAU, aliisque in II. C.
univerſum omnibus judicat, unico tan- LIV. p.
tum excepto caſu, quando cataractæ per 513.
pupillam ſponte erupturæ methodo nova, facta in inferiore corneæ parte apertione,unco mediante exitum parare licet.

XI.

Enimvero hæc talia ſupervacanea patet eſſe eruditorum circa cataractæ chirurgiam deſideria, ſiquidem recepta dudum in ſcholis medicorum de ſede ejusdem in humore aqueo hypotheſis,per argumenta firmius ſtringentia eliſa minus ſibi conſtaret. Nam & nativitatem cataractæ impeditiorem appellare nullus dubitat Cl. d. Aff.
STAHLIUS, cum ex humore craſſo illam Ocul. p.
non temere ſubnaſci,certiſſimum ſit, cum 17.
texturam & ſpecialiſſimam expanſionem exquiſite in latum, & quam minime in profundum exhibeat atque ſiſtat. Quod

 ſi

Nouvell. operat. de la Chir. si illa itaque vel ad mentem JOSEPHI de la CHARRIERE ex parva ab humore cryſtallino ſecedente pellicula formaretur, quæ humori innatans aqueo in eo juxta diverſos oculorum motus fluctuaret; de Cataract. Nova. pathol. XXI. aut ex ſententia L. F. JACOBI anima rationalis particulas viſcidas & ad quietem pronas in maſſa humorum & aqueo inprimis humore oberrantes congregaret, & conſulto quidem, ſed tamen per errorem tunicam quandam, ut telas araneæ, conſtanti adeo propoſito ſibi fabricaret, ut, cum ad perfectionem pervenit, ſi vel maxime poſſet, eandem rurſus deſtruere nollet: aut ſi in neutra harum parte, neque in aqueo neque in vitreo humore, ſed omne in ipſis nerveis expanſionibus hæreret, de quo agimus, vitium, quemadmodum ex rationibus opticis ſatis ingenioſe evincere conatur A. PITTCARNIUS: Theor. Morb. Ocul. p. 9. aut denique excluſo humore aqueo in opacitate humoris cryſtallini omne, quod cataractæ venit nomine, conſiſteret. Cujus quidem ſententiæ apud HIPPOCRATEM extant veſtigia, utpote qui ſuffuſionem ſub glaucomate comprehendit, & GALENUS ſuffuſionem inter humorem cryſtallinum & tunicam corneam locavit, atque alio in loco humorem cryſtallinum L. X. d. uſu. Part.

pro

pro ſede ejus habet, deinde vero V. F. PLEMPIUS eandem ſententiam expreſſe defendit, & G. ROLFINCIUS FRANCISCUM narrat QUAREUM, quem medicum & chirurgum vocat eminentiſſimum, Pariſiis in publicum propalaſſe: Suffuſionis & cataractæ in oculis cauſam non eſſe concretionem humoris albuginei, aut arachnoidis tunicæ, quæ tenuiſſima propagine parte antica cryſtallinum obvelat, ſed ipſius cryſtallini humoris incraſſationem: ſed & fatetur, ſemet ipſum binis vicibus, ſua in oculis defunctorum apertis avtopſia eſſe confirmatum. Cui quidem ſententiæ J. ROHAULTIUS diſertis adſtipulatur verbis. Quin & CASPARUS ipſe HOFFMANNUS controverſiæ meminit, quæ ſuo jam tempore, inter medicos Patavinos J. T. MINADOUM, & CAMPANAM, præceptores ſuos de ſede ſuffuſionis interceſſerit, ſed & a NURSINO quodam in favorem ſententiæ priſtinæ accedente avtopſia anatomia deciſa fuerit. Noſtris vero temporibus D. BRISSEAU, & ANTONIUS MAITRE JEAN, editis eam in rem ſingularibus de morbis oculorum, glaucomate inprimis & cataracta, gallico idiomate opuſculis, ut & D. GOVET, in nova, quam veram κατ' ἐξοχὴν vocat,

L. II. d. Sympt. Cauſ. c. I.

L. V. opthtalmogr. c. 9.

Tr. Phyſ. P. I. c. 35.

Comm. ad Galen. d. uſ. Part. L. X. c. 1.

vocat, chirurgia, malum omne absque hæsitatione, in humoris crystallini collocant opacitate; cujus quoque hypotheseos patronum esse, eamque acriter per omnia defendere Cl. Virum, L. HEISTERUM, dissertatio ejus de Cataracta in lente crystallina satis aperte docet, quamvis ipsum sententiam postea mutasse, & media nunc incedere via tum ANNALIS PHYSICO-MEDICI, tum E. CAMERARIUS, tum ipse fateatur Autor, postquam nimirum ipse non tam per acres WOLHUSII insultationes, quam solidas & eruditas C. VATERI, A. C. GACKENHOLTZII, J. BOECLERI, aliorumque hoc de argumento excercitationes, & sectiones anatomicas variis in locis, Norimbergæ speciatim, præsentibus D. D. LOCHNERO, THOMASIO, WIDMANNO & GÖCKELIO, & Romæ institutas, quemadmodum LANCISIUS, archiater quondam pontificius, ad archiatrum Cæsareum GARELLI, hic vero ad HEISTERUM perscripsit, & binis exemplis confirmavit, convictus procul dubio est, lubens ut fateatur, suffusionem in utroque oculi humore, & aqueo & crystallino, non raro reperiri. Et in ea fuimus sententia, postquam sub initium praxeos in magna hominum concione vidimus cataracta-

1718. Mart. p. 876. l. c. p. 556. chir. p. 497. de Suffus. Ocul. de Visu. per Catar. impedit. d. Cataracta.

taractam albam bene maturam in utroque adolescentis oculo, perita operatoris manu ita deprimi, ut pelliculam acui inhærere, oculis adstantium satis clare pateret, ægro non nisi post usurpata congrua remedia, interna & externa, quibus applicandis antea non concedebatur spatium, visum, quem ab ineunte ætate amiserat, recuperante; nihil ut obstare videatur, quo minus affirmemus, esse non raro cum suffusione unum vel plura oculorum vitia, ipsumque glaucoma complicata, quo casu nec sola cataractæ depositio, dextre licet instituta, malo omni debellando sufficit. Nam ut alia taceamus dubia, v. c. quod cataracta certum & determinatum requirat suæ maturitatis tempus, quam deponendo si anticipet vel ex ignorantia vel ex avaritia operator, irrita est operatio; occurrunt sæpe casus, ubi deposita cataracta, glaucoma Wollhusianum, aut gutta serena subesse deprehenditur, ut est in ACTIS MEDICIS BEROLINENSIBUS annotatum. Vol. II. p. 74. Ac quod demum celebrem istam operationem attinet, quando in Commentario Academiæ Scientiarum D. MERT narrat, per corneam discissam eductum crystallinum humorem a perito chirurgo,

PETIT, visumque sic restitutum, inde nihil aliud evincitur, quam, posse absque humore crystallino visum, quamvis debilem & imperfectum, fieri, ut DE LA HIRE, referente FONTENELLIO, & ante illum HUGENIUS ex principiis opticis & geometricis demonstrarunt, sed crystalli tamen absentiam posse & debere perspicillis compensari.

Hist. Acad. 1708. p. 48. Dioptr. Prop. XIII.

XII.

De Fistula Lacrymali, affectu molestissimo, rite curanda alii aliter sentiunt, & aliam quidem curandi & operandi viam GALENUS, ARCHIGENES, CELSUS, ÆGINETA, PARAEUS, H. F. ab AQUAPENDENTE, HERCULES SAXONIA, M. A. SEVERINUS, ISAACUS ISRAELITA, G. F. HILDANUS, BARTISCHIUS, P. de MARCHETTIS, C. a SOLINGEN, CHARRIERE, VAUGVION, LE CLERC, VERDUC, DIONIS, ANTONIUS MAITREIEAN, PALFYNUS, aliam ANELLUS ingressi sunt. Hic enim videns omnes veterum methodos, ut sunt sectio, rasio, perforatio aut adustio ossis, compressiones, & cathæreticorum usus, ubi canalis nasalis obstructus erat, non sufficere, nisi perforatio nasi accederet, & hinc tam sæpe eas frustra adhibitas fuisse, aliam ex-

cogi-

cogitavit, & in Abbate Fieſchi, nepote Eminentiſſimi Cardinalis Fieſchi, Archiepiſcopo Genuenſi, præſentibus Medicis Genuenſibus, D. D. ROUSO, PASSANO, OLIVIERO non tantum, ſed & Auguſtam Taurinorum vocatus ad Sereniſſimam Principem Matrem Ducis Regentis Sabaudiæ, præſentibus medicis & chirurgis aulicis nec non Profeſſoribus Taurinenſibus felici ſucceſſu inſtituit, ſetam primo porcinam, deinde parvum ſpecillum paulo incurvatum ad punctum lacrymale, quod elevatis palpebris diſtincte prius in conſpectum venit, blande intrudendo, &, deinde per ſaccum lacrymalem illud verſus eum locum dirigendo, ubi ſecundum naturam in nares hiat, eoque obſtructo reperto, aliquem impetum preſſionis adhibendo, eo quidem ſucceſſu, ut Abbas æger eodem momento ſentiret aliquem dolorem, & ANELLUS cum adſtantibus pauculum ſanguinis ex naribus effluere obſervaret. Hac operatione peracta & obſtructione viarum lacrymalium reſerata, liquore detergente nares & oculos fovit, ut per puncta lacrymalia pars hujus liquidi intrare queat in ſaccum lacrymalem, ſicuti alias liquidum lacrymale oculorum intrare ſolet, & quo deinde

de novam impediret obſtructionem, purgaretque exulcerationem ſacci, & perſanaret, atque leves calloſitates, quæ a materia ſtagnante produci ſolent, reſolveret, tubulum tam tenuem parari curavit, qui in punctum lacrymale immitti, & ope ſiphunculi liquidum conveniens, aqua v. c. mineralis, in ſaccum lacrymalem exulceratum iniici poſſet; eandemque pariter operationem adeo bene præmeditatam, adeo ſubtilem & delicatam, ipſique rationi & fabricæ partium ſuperſtructam felix & talis comitatus eſt exitus, qui inventoris longe ſuperavit expectationem. Ab hac methodo non multum abludere videtur operandi modus a Cl. STAHLIO quondam adornatus, utpote qui data occaſione in fæmina 40. annorum fiſtula lacrymali laborante, præparato prius corpore, exploravit prius per punctum lacrymale mediante chorda chelyos cera in apice imbuta flexu illo, quo ad ſinum usque ſeu communem capacitatem ipſius primarii ductus ſe recipit, ſed, diſtinctis vaſis ſanguiferis in hac perſona conſpicuis, inciſionem directi cultelli cuſpide oblique ab oculo verſus naſum fieri curavit, ad os usque naſi penetrando, quam ubi nimis latam adornare non convenerat,

P. P. d. Fiſt. Lacrym.

rat,

rat, turunda dilatari fecit, & impositis deinde eximie mundificantibus balsamicis, donec fundus, qui initio nigricabat, æque ac totus ambitus incisionis legitime mundificatus compareret, neque ullo modo ad & per punctum lacrymale quicquam saniei ad oculum amplius propelli posset, tunc demum successive & e fundo extrorsum, breviori indies turunda, consolidari permissum hoc foramen: adhibita deinde trochlea compressoria, proportionate, prout ipsa cicatrix coibat, ad majorem indies compressionem adducta, & sic hac methodo hoc malum integre sublatum, ægraque perfecte restituta fuit. Quemadmodum vero ANELLUS ab adversariis methodum hanc novam acriter exagitantibus non immunis mansit, ipseque pluribus demum instructus experimentis non solum remedia sua candide revelare pollicetur, sed & librum meliori ordine, quam quo hic est, de fistula lacrymali promittit, in quo etiam delineationem ductuum lacrymalium atque instrumentorum suorum exhibere spem fecit; ita doctissimus HEJSTERUS, qui fusius hæc omnia persequitur, tale de hac methodo nova Anelliana judicium tulit: " Quamvis in plerisque fistulis" pro-

Diss. d. Fistula Lacrym. p. 34.

„prodeſſe queant hæ operationes: tan-
„tum abeſt, ut vel nos, vel hujus methodi
„inventor, easdem pro univerſali & in-
„dubio omnium ſine diſcrimine fiſtula-
„rum lacrymalium remedio venditemus,
„ut potius ambabus manibus conceda-
„mus, quandoque adhuc recurrendum
„eſſe ad operationes hactenus uſitatas, in
„illis ſcilicet fiſtulis, ubi vel callus durior
„adeſt, vel caries oſſium profundior. „

XIII.

Videlicet plura occurrunt in oculo, utpote nobiliſſimo organo, & ad vitam bene beateque tranſigendam valde accommodato, quæ ut aliorum uſu & doctrina præſtantium vriorum, ita & noſtram excitant attentionem. Quo quidem loco, an viſus dimidiatus & duplicatus a nervorum decuſſatione derivandus veniat, id quod non ſine magna veri ſpecie, quamvis problematice tantum adſerit A. VATERUS, utpote quæſtionem magis theoreticam, quam ad chirurgiam oculorum ullo modo referendam, ſuo loco merito relinquimus. Clarum vero cum ſatis ſit, medicamenta, quæ oculis imponuntur, non tam diu inhærere, donec vires ſuas exerant, optandum omnino cum eruditis & expertis HISTORIÆ

d. viſus vitiis duobus rarisſimis. Vitemb. 1723.

1699. p. 70.

MOR-

MORBORUM VRATISLAVIENSIUM AUTORIBUS, ut tandem vaſcula illa vitrea, inſtar cucurbitularum oculi orbitæ reſpondentia, ab HIERONYMO FABRITIO ab AQUAPENDENTE excogitata in uſum trahantur; nam liquore repleta oculo commode admoveri poterunt, iisdemque cum fructu SYLVATICUM, CAPIVACCIUM, aliosque uſos eſſe, ibidem relatum legitur, ſimul & quid de remedio illo ophthalmiæ, BARTHOLINO quondam communicato, habendum ſit, utpote paulo obſcurius, in ancipiti relinquitur. Hoc vero vult, ut lobulus auris lateris affecti perforetur, perque foramen factum trajiciatur turunda longiuſcula ex inverſo & convoluto cortice laureolæ tamdiu relinquenda, donec aures & vicinæ partes intumeſcant, ubi demum turunda leviter commovenda, ut aquæ copia effluere queat, hac exhauſta ſpopondit, fore, ut auris detumeſceret, & ophthalmia ſedaretur. Neque vero in hunc usque diem ſatis conſtare, patet, quodnam ſit collyrium illud Epheſinum, quod Hadrianus Imperator poſtea, quam vulnus grave ſervi cujusdam ſui oculo ira commotus ſtylo inflixit, facti pœnitentia ductus, inſtituto longinquo itinere, diu fruſtra quæſitum,

Oper. Chir. Cap. d. Suffuſ.

Cent. IV. Obſ. 80.

ſitum, tandem Aſiam, & in ea Epheſum perveniens, in templo Dianæ inter tabu-
Diff.clin. d. opht. Adl. ad Reſp. p. 26. las votivas ſuſpenſum, a νεωκόροις oblatum lætus accepit, & archivario aſſervandum commiſit, uti rem omnem G. W. WEDELIUS eleganter enarravit.

XIV.

Ab oculis demum ad dentes tranſitum facturi offendimus non paucos, qui in dentitione infantum difficili, ad præcavenda & tollenda graviſſima, quibus non raro affliguntur puſilli, ſymptomata, gingivas tumentes ſcalpello incidendas, & dentium adeo eruptionem promoven-
L. XXIX. c. 67. dam ſvadent, hancque adeo a PARÆO propoſitam operationem rarius hactenus adminiſtratam frequentius exercendam, valde exoptant. Non tale quid optat vel
l. c. p. 51. ſvadet R. LENTILIUS, qui in annoſa praxi nullum infantem ob intermiſſam hanc inciſionem periiſſe teſtatur. Ad
Op. T. II. p. 175. eundem fere modum C. J. LANGIUS methodum hanc quidem vocat certiſſimam, modo facile eandem admittant pueruli; ut taceam, non adeo feliciter aliquando ſuccedere operationem, inprimis ſi imprudens manus accedat, eodemque loco TULPII meminit notantis, ex inciſione tali immediate epilepſiam ſecutam eſſe. Adulto-

ultorum vero dentes quando dolent, dolent autem sæpissime, nullum frequentius iisdem opponi præsidium, quam extractionem eorum, res in vulgus nota est, id quod ut in nonnullis casibus recte & feliciter fieri non negaverimus, ita rariores eosdem esse, quam communis fert persuasio, certissimum est. Graviter certe in errorem hunc popularem invehunt medici & chirurgi doctrina & artis usu inclyti. JOANNES inprimis CRATO, medicus sui temporis præstantissimus & trium Romanorum Imperatorum archiater, Evulsio, inquit, L. II. Consil. XXI.
„dentium, non est vera odontalgiæ cu-
„ratio. Sed quia hoc pacto materia ad
„affluxum reperit aditum, certo obser-
„vatum est, non solum hos dentium do-
„lores, sed & diuturnos capitis dolores sedatos, hæmorrhagia nimirum aut phlegmatorrhagia dentium evulsionem utplurimum insequente, & dolorem sedante; hanc vero veram esse & communem maxime causam, & ultimum naturæ scopum, ut per congestiones sanguinis ad dentium & capitis regionem factas, excretionem ejus, aut in serum resoluti, aut sinceram intendat, nec nisi hoc impetrato scopo a dolorum sævitie remit-

tat, ſolide demonſtratur, ac dentium extractionem minus neceſſariam, imo ſæpius noxiam eſſe, recte inde colligitur in ANNALIBUS PHYSICO-MEDICIS. Eadem eſt querela, idemque deſiderium medici & chirurgi quondam conſummatiſſimi, J. BOHNII, dentes non raro intempeſtive & inconſiderate extrahi, & quidem non ſine ſymptomatum graviſſimorum concitatione conquerentis verbis pone ſequentibus: "Neque omnis „mox odontalgia dentis remotionem exi„git, cum affectus hic non raro a catar„rhoſa defluxione, ſeu ſtagnatione circa „gingivas & dentis fibrillas nerveas eveni„at."

1718. Jul. p. 1337 1719. Nov. p. 661 1720. Febr. p. 165.

l. c. p. 526.

XV.

In media corporis regione, quæ pectoris itemque thoracis nomine venit, nulla eſt frequentior, nulla poſt cancri mammarum chirurgiam ſupra tactam magis famoſa, quam paracentheſis thoracis. Hanc vero in empyemate, cui maxime eſt propria, rariſſime cum ſucceſſu exoptato inſtitui, quia materia purulenta communiter in ſacco celluloſo inter muſculos intercoſtales & pleuram hæret, conqueritur C. H. ERNDLIUS, ideoque ſatius eſſe putat, cum F. RUT-

Rel. de itin. Angl. & Bat. p. 79.

SCHIO

SCHIO ſcalpelli loco cauterium potentiale adhibere, intra quartam & tertiam coſtam veram, ab inferioribus numerandi principio facto, applicandam. Sed huic pariter, & quod alias circa diaphragmatis ſitum moveri ſolet, dubio maxima ex parte ſatis videtur feciſſe N. TULPIUS, Medicus & Conſul quondam Amſtelodanenſis, cujus hæc ſunt verba: "ſed „diſpar eſt vivi, ac mortui hominis ra„tio: quippe viventibus elevatur dia„phragma multo altius quam in mortuis. „Sed in diutina ſuppuratione languet, vel „potius emoritur tantopere vis expultrix: „ut multo facilius expellat onus ſuum per „viam declivem, quam ſublimem. Hisque præmiſſis ita pergit: „dirige itaque „curſum tuum, o Medice, per lineas hic ſi„gnatas: & excipe grate, quod præfertur „lumen. Sed ſeca mature, conſtantibus „viribus, & integris viſceribus: alias e„duces quidem pus vel cruorem, ſed „neutiquam ex periculo ægrotum. Ac „proinde non temere monuit prudentiæ „genius Hippocrates: tabeſcentes cito „inurendos. Sic & in hydrope pectoris & hydrocardia ſeu pericardii ſigillatim hydrope cum RIOLANO multi quæ runt: „ſi non poſſis exhaurire illud ſerum

L. II. obſ. V.

L. VI. Aph. VIII. Epid. ſect. VII.

Enchir. Anat. L. III. c. 4. p. 213.

„rum per hydragoga, licetne terebra „ſternum aperire, intervallo pollicis a „cartilagine xyphoide, quia pericardi- „um ibi annexum ad ſuſpenſionem cor- dis? Sed quæ huic operationi obeſſe vi- dentur dubia, recenſet ſimul & diluit Vir Celeberrimus, F. HOFFMANUS, ſed ita diluit, ut non niſi integris viſceribus, du- biam inde ſalutem miſeris ægrotis pro- mittat. Similiter & paracentheſis abdo- minis hydropi inprimis aſciti debita, quod raro cum ſperato ſucceſſu noſtris in regionibus celebretur, & vel mortem brevi pediſſequam habeat, vel recidi- vam ſerius ocyus inſequentem poſt ſe re- linquat, hæc potiſſima ratio eſt, quod aut procraſtinatur, donec v. c. hepar ſcirrhoſam acquirat duritiem, aut ab iis expetitur, qui poſt longam cachexiam aſcitem ſibi conciliarunt, ſicut Cl. SLE- VOGTIUS opportune monet.

d. Hydr. Peric. XXV. ſeq.

d. Parac. Thor. & Abd. XLVIII.

XVI.

Lithotomiam denique, operationem, ſi quæ alia, & celebrem, & miſeris cal- culoſis inprimis ſalutarem, quod attinet, ejus notitia vel etiam exercitium an me- dicum deceat clinicum, multi idcirco dubitant, quod HIPPOCRATES in ju- ramento expreſſis defenderit verbis, ne

quis

quis calculo laborantes ſecaret. Præterquam autem, quod hoc Coi jusjurandum neminem hodie obligare valet, P. LAURENBERGIUS rem hanc pacti fuiſſe ſpecialis perhibet, conſtitutis in Coorum Republica medicorum conſenſu certis miniſtris, qui hac ipſa operatione victum ſibi quærerent. JO. HENRICUS MEIBOMIUS vero facile concedit, ab officio Doctoris medici alienum non eſſe, Lithotomiam adminiſtrare, dummodo ſufficienti hujus operationis peritia practica polleat, nec infauſti ſucceſſus ignorantiam ac temeritatem ejus prodant. Hæc vero cum in juvenem medicum raro cadant, HIPPOCRATEM ſine dubio ad hoc condendum juramentum impulerunt, exemplis alias in Belgio, Anglia, Gallia, Helvetia contrarium ſatis teſtantibus. Dirum cæteroquin & pernicioſum valde remedium cum DURETO lithotomiam veſicæ multi, nec ſine ratione pronunciant, eoque plura & majora circa eandem deſiderant momenta, quod de calculi præſentia, & an mole, ſitu, figura & nexu talis ſit, qui ſine vitæ discrimine evidenti eximi queat, prius certis & indubitatis ſignis conſtare debeat, ne aut fruſtra torqueatur, aut perimatur

Port. Aeſculap. 19.

Comm. Iusjur. Hipp.

tur miſer, quale fatum ſummum Virum, OLAUM inquam BORRICHIUM, expertum, & ipſi huic operationi ob nimiam calculi magnitudinem ſuccubuiſſe, in vita ejus legimus. Varii autem cum ſint lithotomiam adminiſtrandi modi, & nuper admodum JO. HENR. HESSUS, chirurgus & lithotomus Hafnienſis novam invenerit machinam pro calculo ex veſica tenaculorum loco extrahendo, quæ nullam veſicæ vim infert,
1726. p. 42. ſicut in ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIBUS relatum extat, in iis & Franconica, quæ & Douglaſſiana appellatur, & ſupra os pubis inſtituitur, occurrit. Hanc vero miris ab aliis encomiis celebratam ideo plerorumque calculo non adprobari, quod urinæ exitus per vulnus, hujus ſanationem multum retardans, vix ac nequidem, omni licet adhibita opera, idque ex neceſſitate mechanica, & ſitu viſceris juvante, impediri poſſit, exper-
Chir. p. 713. tus teſtatur Cl. HEISTERUS, qui & ipſe, quid circa methodum Fratris JACOBI, a J. J. RAU, Lithotomo, dum viveret, in Belgio exercitatiſſimo, emendatam deſideret, partium nempe operationi proxime adjacentium læſionem, urinæ involuntariam excretionem, frequentem

reci-

recidivam & regenerationem quaſi calculi neutiquam diſſimulat. Satis ut conſtet, non de nihilo eſſe iſtiusmodi circa lithotomiam vesicæ deſiderata tum penes J. BOHNIUM, tum G. W. WEDELIUM fuſius expoſita. Quæ vero apud Aegyptios frequentata eſt lapidis e veſica extractio, absque ulla inciſione a PROSPERO ALPINO commemorata & mediante ſuctione membri genitalis peragenda, ea vel maxime, noſtris ſaltem in regionibus & quoad praxin, deſideratur. Præter ea vero & alia datur, & anxie a nonnullis deſideratur lithotomiæ ſpecies, nempe renalis, ſeu nephrotomia, de qua tale offendimus judicium in ACTIS MEDICORUM BEROLINENSIUM: "Nemo gnarus operationum chi„rurgicarum ſibi perſuaderi patietur, cal„culum renum ex renibus manu chirur„gica exſcindi poſſe; eam vero poſtquam fuſe ſecundum potiora ſui momenta excuſſit, exempla item a ROUSSETO, PARAEO, RIOLANO, & in ipſis Annalibus MONSTRELETI laudata ad rationis atque experientiæ normam examinaſſet ὁ πάνυ WEDELIUS, hiſce concludit verbis: "Ratum itaque manet, lithoto„miam renalem præbere indicationem

l. c. p. 723.

l. c. p. 514. d.

Lithot. p. 16.

Med. Aegypt. L.III.c.14. p. 104.

Dec. II. Vol. II. p. 87.

l. c. p. 15.

„inutilem, neque in hunc usque diem „vel experientia comprobatam, vel ra„tionibus ſatis ſtabilitam, adeoque nec „tentandam a lithotomo, non conce„dendam a medico, non exoptandam „ab ægroto.“

XVII.

Artem demum obſtetriciam & embryulciam, quæ & ipſa ad chirurgiam pertinet, cum non penes exteros tantummodo, ſed & in multis Germaniæ locis, medici & chirurgi ad embryulciam adhibeantur, quod concernit, in ea unicum tantum excutiemus caput, id quod de placenta agit uterina. Hujus incertam ſedem ex Virorum SLEVOGTI, & SCHACHERI obſervatione vidimus ſupra inter deſiderata anatomica. FRI-
IX. DERICUS vero RUYSCHIUS anatomicus ſine exemplo maximus, nec minor chirurgus, exiſtimat, placentam uterinam, fœtu in lucem edito, utero nimis arcte affixam nulla artis efficacia ſecure poſſe educi, conſultius ratus, eam ibidem relinquere; ſiquidem obſervatum fuit, illam a natura poſt ſecundam tertiamve ſeptimanam ſponte ejici. Vanum enim reputat metum, quaſi placenta in utero retenta putreſcat, ipſeque ute-

rus

rus inde cito corrumpatur, inflammetur & gangrænescat, vel quasi fœtus placenta humores inquinet ut hecticæ febri, inflammationibus similibusque malis fores pandantur; nunquam enim observare potuit, placentam in pus ichoremve abire, vel in putridum liquamen redigi: notum etiam esse putat, fœminas cancro uteri, intolerabilem mephitin spirante, affectas per plures annos superstites esse. Fatetur tamen, placentam retentam substantiam suam integram non servare, sed vel in hydatides vel massam, farinaceæ haud absimilem, & sæpe sub iterato partu cum sano fœtu & secundinis expelli. Provocat ad pecudum genus, cui ex retentis placentulis, quas ad triginta vel quadraginta utero gestant, nunquam sinistri quid accidere dicit. Imo provocat ad experientiam in vulgus notam, qua constet, nullam puerperam intervallo quinquaginta annorum postquam suam introduxerit methodum, ex retentis secundinis mortuam esse, quarum copiosa ante numerata funera, quæ vulgari modo erant tractatæ. Accedit musculus novus in fundo uteri fibris orbicularibus præditus, ab autore nuper inventus, cui placenta communiter ad-

 hæret,

hæret, quemadmodum ex adverſariis ejus anatomico - medico - chirurgicis in
1726. p. 41. ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIBUS plenius legere licet. Maxima ſunt viri in rem medicam merita, quibus obſtrepere nec libet nec licet. Sed ſi tamen dicendum, quod res eſt, alia omnia & Ruyſchianæ methodo plane contraria edocemur in gynecæis noſtris, in agris, in trivio, utpote puerperis noſtris placentæ paulo diutius ſuperſtites aut funeſtæ, aut ſaltem valde oneroſæ & moleſtæ, & non raro per omnem vitam multorum morborum & ſymptomatum cauſæ eſſe ſolent; Ac licet ſimilia fere exempla penes T. KERCKRINGIUM & L. RIVERIUM occurrant; ille tamen ſatius judicat, huic obſtetricum inſcitiæ remedium, & malitiæ quærere ſupplicium, quam ſemper fidere huic naturæ bonitati, quæ non niſi obſervatione digna rariſſima raritate tale ſolet edere miraculum. Atque idcirco hæc quidem in medio rerum nondum ſatis exploratarum relinquimus.

obs. anat. 36. Cent. II. obſ. 3.



VIII.

VIII.
DESIDERATA
MEDICO-FORENSIA.

I.

PLura ſunt argumentorum genera, medicis cum legum peritis communia, ideoque forſan mixta, ſeu medico-legalia dicenda, ſuper quæ hi illorum cenſuras ſub relationum, renunciationum & depoſitionum nomine petunt, & pro eorum diverſa inclinatione reos damnant ac inſontes abſolvunt. Sicut Cl. BOHNIUS opportune monet. d. Renunc. Vuln. p. 1. Mixta hæc eruditionis pars, ſi dicendum, quod res eſt, magis hactenus a medicis quam jure conſultis exculta eſt. Hi enim fere incidenter tantum & ex ſententia medicorum hoc tractant argumentum; ex ordine vero medicorum præter P. ZACHIAM, FORTUNATUM FIDELEM, J. B. CODRONCHIUM & A. PARAEUM antiquos Italos & Gallos, ex neotericis & Germanis T. REINESIUS P. AMMANNUS, J. F. ZITTMANNUS, vel C. J. LANGIUS potius, M. B. VALENTINI, F. HOFMANNUS, & J. BOHNIUS, & quoad vulnerum præſertim lethalitatem idem J. BOHNIUS, G. WELSCHIUS, P. AMMAN-

Quæſt. Med. Legal. Relat. Med. Meth. teſtif. de Renunc. Med. Schola Jurecouſ. Med. Med. Crit. Iren. Numæ P. c. Hipp.

Med Forens. Pand. Novell. Med. Leg. Med. Consultat. d. Off. Med. L. II. Corp. Med. For. Jurisprup. Med. Quæst. Med. For. Med Forens.

MANNUS, G. W. WEDELIUS, & G. E. STAHLIUS, in colligendis variis casibus & problematibus multum posuere industriæ, laudis & multum consecuti sunt. In artis vero formam, quod hactenus desideratum fuit, redegerunt Cl. viri M. B. VALENTINI, M. ALBERTI, A. O. GOELICKE, H. F. TEICHMEIER, quam singuli cum laude amplius exornant provinciam. Sed supersunt tamen & in hac doctrinæ parte non pauca dubia, incerta, & majorem postulantia lucem, nunc porro strictim excutienda.

II.

Rogant inter alia Jureconsulti haud infrequenter circa morborum simulationem, epilepsiæ inprimis, amentiæ & sigillatim melancholiæ, ac morborum magicorum, seu a fascino oriundorum, atque obsessorum, medicorum sententiam, ut alios inter a J. BOHNIO observatum est. Simulatos vero morbos a veris seu genuinis discernere, difficile esse, ac medico genuino & perito vix vitio verti posse, si in renunciando desuper hallucinetur, medicorum summorum quoque arbitrium est, vel quod huic illorum paroxysmus & habitudines attendere & observare raro concedatur, & aliquando soli testium rudio-

L. II. d. O. M. c. VI. p. 676.

diorum rerum ejusmodi imperitorum & suspectorum ineptiori ac fallaci depositioni fides sit habenda; vel quod ipsimet delinquentes adeo callide affectus ejusmodi fingere, & medico adeo imponere queant. Equidem non desunt medicis eruditis & sagacibus indicia & viæ detegendi hominum ejusmodi astutias & in aprico ponendi, cujus luculentum inter alia τεκμήριον penes JO. BARCLAIUM occurrit. Argenidis enim invalitudo cum in fugæ prætextum simularetur, medicus eam in rem accersitus pollice virginis propemodum repugnantis tentato, notatis præterea oculis, spirandique mensura, mirari primum cœpit, moxque negare, nullum sibi ægritudinis vestigium liquere. Sed nihil tamen magis est, si ELIAM audias CAMERARIUM, quod æque crucem medico figere queat, quam morborum simulationes difficillime detegendæ. Cujus alia inter deliria exemplum præbent manifestum: tota sane Regis Philistæorum aula simulatum Davidis delirium non potuit detegere, aut discernere a vero: quin & lucida intervalla talium morborum augent incertitudinem.

L. IV. p. 326.

l. c. p. 617.

III.

Nullibi vero major hodie incertitudo

major-

majorque incredulitas deprehenditur, quam ubi de morbis magicis pronunciandum judicandumque eſt; quidam, ut notum eſt, ſunt nimis ſuperſtitioſi ac creduli in gravibus hiſce negotiis, quidam omnia exſibilant, meraque phantaſiæ credunt ludibria, quidam media tutiorique incedentes ſemita nec credunt, nec reiiciunt omnia aut derident, ſed examine recto demum inſtituto pronunciant. Et hi ſunt, quos deſideramus in hiſce talibus, prudentes & circumſpecti, & a præjudiciis longiſſime remoti. Spirituum indoles, vis agendi, potentiaque eorundem tam profundis adhuc tenebris involvuntur, ut non liceat adeo promiſcue cum modernis plurimis ſagarum magorumque incantationes, ac faſcinationes in univerſum omnes, tanquam fabuloſas rejicere, ubi maxime peregrina e corpore miris excluduntur extrahunturque modis, quam in rem G. C. SCHELHAMERUS, F. HOFFMANNUS, & M. ALBERTI conſuli merentur. Sed ab altera parte probe advertere oportet, ne fraudes committantur, alias in hiſce talibus frequentiſſimæ.

d. Morb. Magic. d. Pot. Diab. in Corp. de Pot. Diab in Corp.

IV.

De veneno propinato quando oritur quæſtio, eam difficultate premi fere incredibili,

dibili, uno hodie ore medici fatentur intelligentes, poſtquam dubio caret omni, nullum fere venenum inter hodie nota exiſtere, ex quo non, debita accedente miſcela, compoſitione aut præparatione benigniſſimum evadat medicamentum, quemadmodum C. VATERUS, J. H. HEÜCHERUS, C. H. ERNDLIUS, & F. HOFFMANNUS dudum extra dubium poſuere, ac quæ ſuperſunt in venenorum claſſe collocata, diverſimode adeo operari, ut, quod uni animantium generi eſt pernicioſum, alteri ſit ſalutare, atque ex rebus innoxiis & ſaluberrimis, ipſo puta vino, roſis, nicotiana, talia non raro per idioſyncraſiam ſubjectorum proficiſci phænomena, quæ venenis adſumtis vulgo adſcribuntur, ut taceamus, id quod tot exemplis luculentiſſimum evaſit, poſſe & in corpore gigni colligique tam acres corroſivosque humores, qui cum in plenas motuum ataxias ruant, eadem cudant ſymptomata, ſimilemque in primis viis inflammationem, gangrænam, & ſimilia producant, quæ a venenis propinatis proficiſci ſolent. Lenta vero venena, quale Claudio Imperatori ab Agrippina propinatum TACITUS tradit, aut enemate injectum eſt, ut SVETONIUS commemorat,

d. Venen. & Philtr. Mithrid. & d. Aran. Ex Venen. Salut. d. Generat. Ven in C. H.

L. XII. Annal.

rat, & externo ſolum affrictu halituque necantia, incerta, ſaltem occulta hactenus cum ſint, ad deſiderata, vel ignota potius, & quæ nemo forſan experiri deſiderat, optimo jure referuntur, per ſectionem cadaveris non magis, quam priora, ponenda in aprico. "Multi e vulgo, ſi quid inſoliti accidit, ſtatim „veneris adſcribunt, præcipue, ſi quem „male ſibi cupere ſuſpicantur. Hic cau„tum in aſſenſu ſe præbeat medicus, nec „facile, niſi re intime perſpecta de veneno „pronunciet, niſi litibus, imo proceſſi„bus criminalibus implecti velit, uti ex„pertus ROSINUS LENTILIUS perbe„ne animadvertit. „

Et. Med. Pr. p. 598.

V.

Omnium autem frequentiſſimum, & prout PAULUS loquitur ZACHIAS, Medicus Romanus clariſſimus, practicabile maxime, ſuper quod Magiſtratus a medicis informari deſiderat, vulnerum eſt lethalitas, in qua ſpecialius determinanda ſæpe fluctuant & Jureconſulti & Medici, onusque in ſe reciproce nituntur devolvere. HIPPOCRATEM ſi audias Coum, is vulnera cerebri, & cordis, & ſepti transverſi, & inteſtinorum, & ventriculi, & hepatis & veſicæ, lethalia pronunciat. Aſt horum fere nullum abſolute & per ſe lethale

V. Aph. 8.

thale exiſtere, recentiorum medicorum evicit induſtria, ſed ita evicit, ut ICtorum ſimul invidiam incurreret. Horum enim princeps, S. STRYCKIUS, vix vulnus P. P. Vi-
quoddam, ſi unum alterumve exceperis, temb.
1699.
proferri poſſe, quod abſolute mortife- ap. M.B.
rum eſſe univerſa Medicorum ſchola Valent.
aſſerat, quamvis ſine cauſa conqueritur. Pand. Med.
Tantum enim abeſt, ut, quod Jurecon- Leg.
ſultus ille illuſtris inde metuit incommo- præf.
dum & damnum, delicta nimirum, & ſigillatim homicidia non eſſe capitali ſupplicio punienda, inde ut conſequatur, ut medicis potius a ſcrupuloſa conſcientia in diverſum actis haud minimum afferat ſolatii, utpote qui de qualitate vulneris judicando, a pœna infligenda, tanquam alius fori negotio, prorſus abſtrahunt. Sed quando inſpectio vulneris a Carolo V. in Nemeſi injuncta eſt, non deſunt, qui de non
cum H. BODINO & P. LETSERO fru- requir.
ſtraneam cadaveris inſpectionem in ho- lethal. Vuln.
micidio adſerere non dubitant, quibus Hal. 1693.
tamen WEDELIANIS potius, quam no- d. fru-
ſtris verbis obviam ire placet, & quidem ſtran. Cadav.
ejusmodi: " Neque vero ϛοχασμὸς hic Inſpect.
" ſufficit ullus, ſed ſcientifica demonſtra- in Ho-
" tio. Corpus aperiendum eſt. Manus micid. Helmſt.
" noſtræ oculatæ ſunt, credunt, quod vi- 1722.
" dent. Nec ſufficit, mortuum eſſe vul- d. Fund

Lethal. Vuln. I. XXXVII. „neratum vulgi hæc eſt; philoſophia, non „medicorum & ſapientum, quorum eſt, „ultra vulgus ſapere. Et tanto magis qui„dem, quod etiam vulnera levia aliquan„do, imo & alapa ſuis de cauſis mortem „intulerint, quod ordinarie imposſibile „eſt, contra ea vero lethalia etiam vulne„ra omnino aliquot dierum mora dilata „ſunt & eſſe poſſunt, cumprimis cerebri, „neq; hæc æque eximet e lethalitatis rea„tu eadem, quando, quod differtur, non „aufertur lethum. Et de alapis & colaphis mortiferis poſt G. FRANCUM de FRANCKENAU plura pariter exempla ROSINUS (Satyr. Med. XXIV.) collegit LENTILIUS, (l.c.p.684.) qui & ipſe in iisdem nihil deſiderat magis, quam in plerisque, & unico forſan illo, quod penes DODONÆUM (Obſ. I.) occurrit, ubi cranium ſecundum longitudinem magnam rimam in oſſe petroſo exhibuit, excepto, ſectionem anatomicam plerumque omiſſam eſſe. Neque vero exiſtimemus, præter iſta quoad vulnerum lethalitatem determinandam, hodie ad liquidum omnia eſſe perducta. Quando enim autoritate ZACHIÆ, (Quæſt. Med. Legal. L. V. T. A. U. Q. V. N. I) qui tempus, vulnus & mortem intermedium, maxime attendendum judicat, vel Nemeſis potius Carolinæ, ubi Imperator aliquot dierum interſtitii, a vul-

vulnere nempe inflicto, usque ad mortem vulnerati mentionem facit, perversa explicatione, quin & autoritate HIPPOCRATIS seducti Jureconsulti, certos dies, quos criticos appellant, & attendendos, & pro lethalitate exactius determinanda observandos monent, plura circa hanc sententiam hodieque jure desiderari, vel inde judicemus licet, quod ipsi in diversa abeuntes JCti, alii quidem cum CARPZOVIO tertium diem, alii quintum, alii octavum, nonũ alii, alii decimum, alii rursus quadragesimũ, alii sexagesimũ, alii ultimum octavi mensis diem tanquam certissimum salutis & mortis indicem attendendum velint, quam tamen alii iterum ad integri anni, alii denique ad biennii lapsum extendere non erubescunt, sicut penes KLEINIUM pluribus enarratum exstat. Cum tamen penes medicorum filios in confesso sit, crises & dies criticos ad solos morbos acutos, febres inprimis continuas, benignas & malignas, ipsamque pestem spectare, hisce vero morbis cum vulneribus ab externa violentia inflictis nullum intercedere commercium, id quod in disputatione WEDELIANA, efficaciam dierum criticorum

Prorrhet. L. II. §. XXIII. Coac. Prænot. d. Cap. vuln. L. IV. popular.

Disp. Jurid. de Dieb. Crit. Rost.

in vulneribus de lethalitate dubiis dubiam reddente, egregie demonſtratum eſt.

VI.

Infanticidia quod ſigillatim attinet, nec ibi deſunt, quæ animus veri cupidus, & a præjudiciis liber hodieque deſideret. Ut plura mittamus alia ſatis fallacia, occiſorum a partu infantum indicia magni medici nominis, quos ſuperior dedit ætas, pulmones fœtus mortui aquæ injectos mox ſubmergi & præcipitari, nati ſupernatare videntes, an partus vivus mortuusque a matre excluſus fuerit, ex dicta pulmonum ſupernatatione, aut ſubmerſione decidere ſuſtinuerunt. Quod tamen experimentum, quamvis quæſtioni illi theoreticæ, an fœtus in utero reſpiret, aut revera reſpiraverit, diſcutiendæ, cæteris paribus congruum ſatis ſit, documentum tamen fidum & infallibile, quale id plurimos hactenus ſibi concepiſſe, non ſine ſtupore obſervamus pro controverſia decernenda: an natus in utero, an extra eum demum obierit, occiſusve fuerit, & pro defendendis, aut inculpandis ſeu convincendis infanticidis nunquam a ſanioribus admittetur. De quo quisquis dubitat, dubitandi rationes & difficultates contra utramque experimenti partem a viris doctiſſimis J. BOHNIO,

l c.p.662. Diff. d.

NIO, J. ZELLERO, F. HOFFMANNO, J. D. MOUSCHARTO, & J. C. KUNDMANNO motas trutinet, horumque & nostro desiderio faciat satis.

pulm. subsid. Med. Conf. P. III. d. II. C. II. E. G. Cent. I. II. Obs. CXXI. Annal. Vr. 1722. Oct. p. 464.

VII.

De termino partus nota quidem est ARISTOTELIS sententia: „Unum pariendi tempus statutum est omnibus animalibus, homini soli vel uni multiplex datum est: sed & attenta rerum experientia dudum confutata, qua constat, finem noni & initium decimi mensis solaris, verum, unicum & ordinarium partus humani terminum esse; ita tamen, ut aliqua in his latitudo agnoscenda omnino veniat. An vero partus septimestris sit vitalis, Iureconsulti non amplius ex Medicis quærunt, sed tanquam certum legibusque definitum, atque experientia comprobatum supponunt, ut E. CAMERARIUS apposite loquitur, autoritate iterum HIPPOCRATIS nixi, qui partum septimestrem vitalem, octimestrem autem non vitalem pronunciavit. Quæ tamen quæstio saniorum judicio ita est comparata, ut nec absolute affirmari nec negari possit debeatve, id vero est, dubiis multis, ac desideratis non paucioribus

Hist. Animal.

l. c. p. 598.

L. d. Ætat. XII. & d. Partes Oct.

bus ſit expoſita; præſertim cum incerta plerumque ſit computandi ratio in fœminis gravidis, adeoque incerta fere ſint omnia, quæ de partu ſeptimeſtri in medium proferuntur. Quantùmvis vero nonnulli cum AMMANNO, BOHNIO, LUDOVICI, aliisque, partum ſeptimeſtrem eſſe vitalem prorſus negent; alii tamen ex adverſo circumſpecte hac de re loqui, nec negare tamen ſeptimeſtrem partum, ſed inter rariora prudenter referre amant, a ZACHIA, WEDELIO & DIEMERBOECKIO inprimis meliora edocti, utpote qui exempla vidit evidentia, non ſeptimeſtris tantum, ſed & ſemeſtris fœtus, qui in goſſypio repoſiti, miraque ac ſingulari cura enutriti fuerint.

Anat. L. I. c. XXXV.

VIII.

De Virginitate demum integra & illibata quando rogantur medici, fatentur ad unum omnes, nihil hic magis deſiderari, quam certitudinem & evidentiam, quos inter PINAEUS quoque referendus eſt, qui licet ſigna integræ & ſolutæ zonæ virginalis innuere prolixius elaborarit, incerta tamen illa hinc inde pronunciat. Aliam tamen rationem eſſe partus brevi, vel longiori interjecto intervallo exantlati, ejusque non omnino nulla dari indicia,

L. d. Virginit. Not. 12.

cia, prudentiores perhibent, rerum usus monstrat. Quamvis enim, ut HORATIUS AUGENIUS prolixe enarrat, sex probatæ famæ seu peritiæ obstetrices juvenculam quandam judicaverint virginem intactam, quæ septem antea mensibus puerum pepererat; longe tamen alia a C. H. ERNDLIO edocemur, utpote qui veras partus facti aut non facti notas, sibi a præceptore RAU esse monstratas, perhibet. Interea verissima manet sententia RIOLANI: " Nihil unquam in arte medica difficilius judicare, quam puellæ virginitatem detegere - mille enim sunt artes, quibus hoc versipelle genus virginitatem simulare solet. "

Ep. ad Olivar. Ict. c. 7. 8.

Rel. It. Angl. & Bat. p. 104.

Anthropogr. L. II. C. 34.

IX.

Nimirum ut reliqua huc spectantia brevitati studentes sicco prætereamus pede, aliquot tantum exemplis defectus in hac quoq; parte ostensuri, unde de reliquis posset fieri judicium, res istæ medico-legales plerumque obscuræ, intricatæ, " perplexis vestitæ circumstantiis, ac in individuo casibusque specialibus mire variantes, artibusque subinde distortæ, " atque infelicibus insufficientibusque, " vel culpa vel dolo, vel simplicitate atque " ignorantia inquirentium actis involutæ "

 sunt,

l.c. p. 575. „ſunt, quæ ſunt iterum verba E. CAME-
„RARII.„ Sed illud etiam ignorandum non eſt, in nonnullas rerum occaſiones medicum nonnunquam incidere, ut, cum nihil certi de re propoſita conſtet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non ſemper enim promptæ ſunt rerum atque affectuum notæ, ut propterea in dubia & ancipiti medicorum relatione ſatis juſta poſſit eſſe excuſatio, ad
Rel. mentem FORTUNATI FIDELIS. Ac
Med. fin. ſi J. BOHNIUM denuo conſulas, is enim-
l. c. p. 533. vero ingenium forſan humanum rerum huc ſpectantium varietatem atque multitudinem ſuperare judicat; ut, ſi per plura, ac hactenus factum, ſecula colatur hæc ſcientia, vix ſibi quisquam promittere poſſit cunctorum caſuum ſpecialium, quos experientia non tam fingit, quam gignit, adæquatam enarrationem, multo minus evolutionem perfectam & neceſſariam.

(o)

IX.

IX.

DE DOCTA MEDICORUM IGNORANTIA.

I.

DE iis, quæ deſiderantur in arte medica, egimus hactenus, & ita quidem egimus, ut per ſingulas partes eundo, in ſingulis notabiles defectus, errores atque hiatus oſtenderemus. Quemadmodum vero ea Deſideratorum proprie nomine veniunt, quæ hactenus quidem nota atque perſpecta non ſunt, ſed de quibus tamen ſpem concipere licet, fore, ut iſta aliquando in aprico ponantur; ita ſunt ex adverſo alia, quæ, ut hodie ignorantur, ita perpetuo forſan ignorabuntur. Et fatendum omnino eſt, horum diſcrimen certum & indubitatum non ſine maxima poni difficultate, cum ea ſit mentis humanæ poſt lapſum imbecillitas, ut ſpem non raro concipiat ea indagandi, quæ a nullo unquam ſciri poſſint, & viciſſim omnem fiduciam abjiciat ibi, ubi ſæpenumero occultæ hactenus veritates inſperato deteguntur. Ad doctam vero Ignoran-

tiam hæc talia jure meritoque referuntur, eo quod, quo quis doctior & in arte magis versatus est, eo lubentius, se plura eorum ignorare, fateatur, id quod præ cæteris eleganter polyhistor & medicus Augustanus, G. H. VELSCHIUS, his, quæ sequuntur, exposuit: "Profundo Democriti puteo latentem veritatem, qui quærunt, queruntur. Nativa enim hæc mentis imbecillitas humanæ, quam omnibus communem nemo non sentit, quo quisque tamen indoctior est, aut arrogantior, minus agnoscit, quo magis ingenuus & prudens, promtius fatetur. Quippe in universo scientiarum artiumque genere ingentes difficultates occurrunt, obscura plurima, hallucinationes, errores propemodum infiniti. Natura inprimis, Seneca teste VII. Quæst. Nat. c. XXXI. sacra sua non simul tradit. Eleusis est, quæ servat, quod ostendat revisentibus. Nec arcana ejus promiscue patent: reducta & in interiore sacrario reclusa sunt. Huic deinde cum medicina aut ancilletur, aut imitando opem ferat, eandem conditionem experitur, aut verius eadem sorte premitur. Malorum prolixa ilias, nec una facies, mutationes ac varietates admiran-

Cur. & obs. propr. Dec. X. Cons. X.

mirandæ. Abditæ morborum causæ, " necdum satis explorata interiorum vi- " scerum officia, partium usus, corporis- " que actiones, quamvis nostro præcipue " seculo summorum virorum industria al- " tius evecta utique magno successu se ex- " serat. Hinc ardua adfectuum cognitio, " judicium fallax, parum fidæ prædictio- " nes, & difficilis curatio. „

II.

Horum vero plura capita ut desideratis supra adnumeravimus, ita sunt non pauca, quæ propus scopum nostrum feriunt, & ad doctam medicorum ignorantiam jure meritoque referuntur. Ita enimvero negandum non est, dari aliquod θεῖον in medicina & morbis sigillatim, ut HIPPOCRATES autor est. Quo nomine quid veniat, licet post H. AUGENIUM, & H. JORDANUM J. VESTI pluribus declarare annisus sit; manent tamen usque vera ista T. SYDENHAMII verba: " In " acutis quibuslibet atque in chronicis " plerisque omnino fatendum est, τὸ θεῖον " inesse, sive specificam proprietatem ali- " quam, quam nulla unquam contempla- " tio a speculatione corporis humani de- " ducta queat indagare, atque in lucem " protrahere. „ Quod si enim ROSINO

d. Febr. L. VI. c. 14. d. divino in Morb. d. θείῳ Hippocr. Erf. 1702. Opusc. Ed. Lipf. p. 619.

cre-

Et Med. Pr. Præf. credamus LENTILIO, & quidni credamus viro in arte peritiſſimo, & vero maxime ſimilia, atque experientiæ conformia ſcribenti: " In ea ſemper fui, ſum, & quoad vivam, ero ſententia, Deum, quoties ægrotum e cœtu mortalium vocare decrevit, haud raro permittere, ut medicus interroganda non interroget, veſtiganda non veſtiget, videnda non videat, agenda non agat. " Medici quoque rerum ſuarum apprime ſatagentes, & de ægrotantium ſalute ſolliciti omni licet adhibita induſtria veram morbi indolem, ſedemque adſequi non ſemper poſſunt, quam in rem data occaſione calculorum, aſperam arteriam prementium, poſt mortem demum repertorum, eleganter THEODORUS loquitur KERCKRINGIUS: " Ita ſæpe, quæ latent in corpore, medicantes latent. Quo magis riſu digna eorum videtur ignorantia, qui medendi rationes ad mathematicorum calculos volunt exigere: & medicos rident, ſi forte ex ignoratione rei, prorſus extra ordinem ſe offerentis, mediis ordinariis fuerint uſi ad eum morbum depellendum, quem illi prudenter, quamvis non certo, ſubeſſe, exiſtimabant. " Sed habent & medicamenta quædam, etiam præter

Obſ. Annat. XXVII.

ra-

rationem, quam nos ignoramus, aliquid divini. Quod recte quidem inter maximos quondam habitus Medicus, Herophilus, fertur dixisse, medicamenta divinum munus esse, ut P. FORESTUS apposite scriptum reliquit. L. IX. Obs. 52. Sic & investigatio causæ morborum proximæ & primo - primæ in morbis tantum non omnibus, cujus pariter supra in desideratis pathologicis mentio facta est, huc eodem, si non meliori, jure refertur. Hanc enimvero qui indagare animum inducunt, nihil efficiunt magis, quam ut meras proferendo conjecturas, intelligentium risui semet exponant, id quod si quisquam alius, probe perspiciens G. BAGLIVIUS, hunc in Prax. Med. p. 214. modum de ea loquitur: "Latet, qualisnam sit, qualiterque se habeat textura" minima & morbosa sanguinis, dum" homo febricitat, dum pleuritide, a-" poplexia, delirio, aliisque morbis la-" borat, & quænam sit causa illa pri-" mo - prima & proxima, quæ singulas in" actum deducit. In morbis enim sive" acutis sive chronicis producendis viget" occultum quid per humanas speculatio-" nes fere incomprehensibile, & nisi ju-" vantium & lædentium testimonio in il-" lius cognitionem perveniamus, admini-"

cula

„cula mentis irrita prorſus experiemur.„ Quam eandem ſententiam THOMÆ quondam SYDENHAMII fuiſſe, ex ſuperioribus conſtat. Errant enim omnino, qui morborum cauſas ab acrimonia humorum, viſciditate aut abundantia eorundem, vel ab acidi & alcali commixtione, aut eorundem difficili circulatione, hincque facta congeſtione omnes repetere conantur. Infida pariter ſunt, quæ ex cadaverum ſectionibus alii ſpecioſe magis, quam vere ſtatuere & demonſtrare conantur, productum a cauſa morbi non ſatis diſtinguentes. Et ſine morboſo apparatu quandoque miſcelam humorum turbari, ut vel inde lethifera exſurgant ſymptomata, celeres & ſubito emergentes ab animi affectibus motibusque gravioribus morbi inter alia declarant, longe efficacius celeriusve in corpus agentes, quam diætæ vitium quodvis, quæ ſunt verba J. A. BÖTTICHERI, BAGLIVIANA iſta non parum illuſtrantia.

d. Meth. Med. Gen. VI.

III.

In parte medicinæ ſemiotica, cujus exacta ſcientia medicum valde nobilitat, & a vulgo atque empiricis diſtinguit, multum equidem accuratæ pulſus explorationi medici tribuunt Sinenſes, quando eidem

dem integros non raro dies impendunt, atque ex eo, tanquam ex tripode deinceps omnia morborum phænomena eruere, & recensere dicuntur, sed hujus quidem ignorantiam artis divinatricis genuinorum eruditioni medicorum nullum adferre præjudicium, pulchre doctissimus SCHELHAMERUS his, quæ sequuntur, verbis: Primo statim intuitu apparet, " inane esse commentum & rerum naturæ " e diametro adversum, quod de Sinensium " Medicis nonnulli, qui ejus regionis de- " scriptionem dedere, narrare solent: A- " junt isti, ubi ad ægrum vocati accedunt, " lecto assidentes per horæ dimidium nihil " agere, quam ut pulsum explorent, quo " facto totius morbi initia & causas, sin- " gulorumve dierum accidentia & sym- " ptomata omnia ad illam usque horam, " quæ contigerint, quam accuratissime " enarrare. Quod sane nisi magicis artibus " ab ipsis peragatur, aut fraude, quam sit " ἀδύνατον, cum nulla horum omnium cum " pulsu sit cognatio, nemo est, qui non " queat cernere.,, Similiter & licet vulgus magnum eruditionis momentum in uroscopia ponat, & Medicorum Vespasianoneorum æmulis, ut apposite a MONTANO vocantur, qui ex urina tanquam ex spe-

Disqu. d. Pulsu. p. 62.

Consil. 137.

ſpeculo, nunquam viſis iis, quorum urinæ ſunt, non ſolum ſtatum corporis ſanum vel morboſum, ſed etiam ætatem, ſexum, graviditatem, ac filiane an maſculus utero geratur, ſe divinari poſſe gloriantur; docti tamen & experti medici hæc talia ſecure & ſalva eruditionis penes æquos rerum arbitros exiſtimatione, ignorant, inque eorum jactantia pluribus refellenda eo minus laborant, quanto certius, aliam longe mentem omnibus rationalis medicinæ ſectatoribus eſſe, norunt, probe quippe edocti, urinæ inſpectionem ſignum eſſe in pleriſque morbis fallaciſſimum, atque ex eadem, præter viarum, per quas fertur, & fontis, e quo emanat, ſanguinis inquam, vitia, nihil certum & infallibile de partibus v. c. ſolidis & remotioribus colligi poſſe. Nam & G. W. WEDELIUS, Medicus ſummus, non dubitavit adſerere, quod præſtet ex urina judicare interrogando quam decidendo: ad lectum, quam domi; nota, quam ignota.

IV.

Panaceas & medicamenta univerſalia ſupra pariter deſideratis accenſuimus, ſed nihil obſtare videmus, quo minus eadem & ipſa ad doctam medicorum ignoran-

rantiam referamus, cum ſi penitius rem omnem introſpiciamus, quo quisque eſt imperitior & rerum omnium, opum & facultatum expers, eo frequentius panaceam aliquam jactat, diteſcendi fine & ſcopo, ſanioribus & eruditis medicis hæc talia plerumque aſpernantibus, niſi & ipſi alchymiſticis ſtudiis & laboribus plus, quam par eſt, dediti tale quid quærant, quod nunquam forſan invenient, panaceam inquam, qua mediante omnia omnium morborum ſemina in prima herba radicitus tollere, balſamum vero innatum ac flammulam vitalem in perpetuo vigore conſervare liceat. Qua de re ſequentia D. LUDOVICI verba hic legi merentur: "Equidem credimus, dari "poſſe arcanum aliquod inſigne totius "corroborativum, vel mundificativum "complurium morborum ſolamen: nec "vires tot ſecretis, quaſi alcaheſtinis, "maturis & immaturis, electris, panaceis, "a zoth phalagiis, arboribus vitæ, mercu-"riis philoſophorum, quint-eſſentiis ve-"neris, auro potabili &c. modeſte aſſigna-"tas ſimpliciter hic & præcipitanter ele-"vamus, ſi talia rite præparata, & circum-"ſpecte ſuo quodvis in genere data fue-"rint. Dum autem prius quidem ultra" Phar. p. 82.

„modum extenditur & plane catholicum „dicitur ac fingitur, reliquis vero nimium „plerumque tribuitur, dum mage proficua „ex his ut plurimum data opera obſcuran-„tur, vel cum Eliæ Artiſtæ adventu de-„mum expectantur - - alia vero partim „nihilo magis catholica ſunt, quam ptiſa-„na, omnibus olim morbis indifferenter „apta, & ſi perſvaſiones, hyperbolemque „demas, haud adeo notabiliter vel directe „juvant; partim inſtar nudi tantum dia-„phoretici, aperientis aut figentis agit, „cui paria ſæpe in domeſticorum vulga-„tiorumque ſerie invenias; proinde tan-„tum abeſt, ut eam pro hujusmodi quaſi „catholica ad morborum interitus gras-„ſandi viam cuiquam commendemus - - „ut potius hoc ipſo evporiſtorum per va-„rias claſſes ſelectu oſtendere voluerimus, „alia aliis omnino deberi.„ Imo vero pro varia ægrotantium habitudine, & circum-ſtantiarum multiplici varietate varia de-bent eſſe remedia, quæ languentibus cum fructu propinantur. Quæ vero panaceis usque inhiant, merito ſibi dictum exiſti-ment illud SCALIGERI: "Neſcire velle, „quæ magiſter optimus docere non vult, „erudita inſcitia eſt.

V.

V.

Non multum ab hisce distant, qui senectutis retardationem, aut rejuvenescentiam plane a panaceis ejusmodi expectant, id quod A. SEILERUS primum desiderare videtur, hunc in modum ad J. BAUDISIUM scribens : „ Utinam ars „nostra & natura hoc præstarent, ut se- „nectus in adolescentiam commutaretur; mox vero, quid sentiat, hisce prodit: „Sed hæc non sunt artis nostræ, verum ut „affectiones, quas natura auxiliatrice „pharmacia resarcire potest, medicus so- „lummodo subit. Ad impossibilia ne- „mo obligatur. Sic & visus obscuritas, senibus familiare malum, cum invaluerit, haud facile medelam admittit, adeoque ejusdem remedia hoc saltem nomine ad doctam medicorum ignorantiam suo quodam jure referuntur, id quod ipse J. CRATO eleganter exposuit his, quæ sequuntur verbis: "Quod natura negat," reddere nemo potest, tamen diligentia" quadam profici potest, ne malum inva-" lescat, & obscuritas vel obfuscatio, atque" cœcitas inducantur. Ut vero plane senio-" res hebetudine liberentur, ne adniten-" dum quidem est. „ Ut vero, adversus mortem quis arcana atq; remedia desideraret,

Ep. I. Craton. L. III. p. 277.

L. II. Ep. p. 18.

nemini forsan sanæ mentis in mentem venisset, nisi de Cardinali Mazarini tale quid
L. I. Ep. p. 510. GUIDO PATIN scriptum reliquisset: „Il gronde ses médicins, & leurs reproche, „qu'ils n'ont point des secrets pour l'em„pecher de mourir.„ Hic certe qui sapiunt, lubenter & candide suam profitentur, ignorantiam, & ita quidem profi-
L. IV. Ep. p. 279. tentur, ut nec remedia talio, si vel maxime darentur, scire desiderent, cum J. CRATONE rati: "Quam firmitatem hac ætate senili sperare possimus, in qua unum „illud animo plane obfirmato nobis per„svadere debemus, nos eo vitæ beatæ vi„ciniores esse, quo ad exitum hujus vitæ „& sepulcrum accedimus propius.„ Nimirum ut nostrum iterum faciamus illud SCALIGERI: "Nos in tenui rerum luce „caligamus, in mediocri cœcutimus, in „majori cœci sumus, in maxima prorsus „insanimus.„

VI.

De docta cæteroquin ignorantia, præter FRANCISCUM SANCHEZ, qui de eo, quod nihil scitur, integrum conscripsit volumen, quo Scholasticorum ineptias exagitare voluit, multiplici eruditione celebris suo tempore Cardinalis,
Op. fol. NICOLAUS DE CUSA, libros integros tres,

tres, & GISBERTUS VOETIUS, Theologus in Belgio celeberrimus, dissertationem conscripserunt. Hic vero quid de illo judicet, non abs re erit hoc loco plenius, ipsissimis ejus verbis tradere: "Nicolaus de Cusa in catachresi usus est hac voce L. III. de docta ignorantia op. fol. quo titulo ex aliis scriptoribus percepto, me ante annos complures admodum deceptum, fateor. Postea Cusani opera nactus, & libris his perlustratis comperi, nihil minus tractari, quam quod titulus videtur promittere. Neque enim abstracte & in actu signato, (ita loquar) agit de docta ignorantia, neque etiam in actu exercito de ἀγνώστοις illis in particulari, quæ in theologia, philosophia, artibus ignorari solent, aut debent, sive absolute sive secundum quid, sed tantum summarie delineat scientiam, & scibilia, quæ de Deo & operibus Dei, tum creationis tum redemptionis cognoscuntur. Hinc L. I. agit de Deo, L. II. de Mundo, L. III. de Christo. Hanc scientim videtur maluisse vocare ignorantiam, quam scientiam, per hyperbolen catachresticam, comparate scilicet ad scientiam Dei, etiam ad scientiam bonorum."

Diss. Select. P. III. p. 669.

VII.

Videlicet, ut dicta hactenus in summam contrahamus, totique opusculo colophonem tandem imponamus, verissima ex dictis patet esse hæc SENECÆ verba: „Nemo est mortalium, quem non aliqua „pars ignorantiæ attingat, hanc contagem ex ipsa mortalitate traximus.„ A quibus non multum abludit HENRICI ab HEERS, Medici eruditi & in arte apprime versati, sententia ad artem propius medicam applicanda, qui, venenatarum occasione muscarum ab extra tantummodo applicatarum & sanguinem causantium mictionem, dicent aliqui, pergit, ad „occultas hoc referendum proprietates. „At quid interest, ad hoc ignorantiæ asy„lum confugere? Nonne malim me ho„minem, hoc est, plurimarum rerum in„scium fateri? revera enim, etiam qui „docti habentur, potius sunt extra igno„rantiam, quam cum solida scientia.„ Ac si HERMANNUM identidem consulas CONRINGIUM, id quid sentiat, satis probat verbis, supra pariter, si recte meminimus, laudatis: " Ut nihil tandem ali„quando sit, quod in arte desideres, haud „ignoro sane, quæ est nativa ingenii no„stri imbecillitas, pariter & rerum obscu-

ritas,

L. d. Ira. c. 9.

Obs. Med. oppido Rar. IX. p. 136.

præf. obs. P. Salmuth.

ritas, fieri non posse.„ Nemo vero concinnius, elegantius nemo & curatius id quod volumus, expressit, quam LACTANTIUS, cujus proinde concludimus verbis: "Alii putarunt, sciri posse" omnia, hi sapientes utique non fuerunt: " alii nihil, neque hi quidem sapientes fue-" runt; illi, quia plus homini dederunt," hi, quia minus. Utrisque in utramque" partem modus defuit. Ubi ergo sapien-" tia est? ut neque omnia te scire putes," quod Dei est, neque omnia nescire, quod" pecudis: est enim aliquid medium, quod" sit hominis, scilicet scientia cum" ignoratione conjuncta & tem-" perata.„ de fals. Sap L. III. C. VI.

S. D. G.

